MEDITATIONES

SACERDOTALES

CLERO

TUM SÆCULARI TUM REGULARI

ACCOMMODATÆ

auctore F.-X. SCHOUPPE, S. J.

—

SERIES ALTERA.

PARISIIS

E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

VICTOR PALMÉ, RECTOR GENERALIS

BRUXELLIS
apud J. ALBANEL, succurs.-rect.
12, VIA PAROCHIANORUM, 12

GENOVÆ
apud H. TREMBLEY, succurs.-rect.
4, VIA CORRATERIE, 4

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

TOUS DROITS RÉSERVÉS



BX1912
S37
ser. 2

MEDITATIONES

SACERDOTALES

De variis sacerdotum classibus.

—

Pr. 1. *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia ; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* II Tim. II, 20.

Pr. 2. Ut cognoscam varias sacerdotum classes, et inter eas locum mihi figam in numero sanctorum.

Quatuor distinguuntur sacerdotum classes : I. sacerdotes mali, II. tepidi, III. boni, IV. sancti.

I P. MALI. — Sacerdos malus ille est qui, superbia inflatus, intemperantia et luxuria infectus, peccatum mortale non evitat, sed in id labitur ac relabitur... et mox in statu damnationis hæret permanenter...

Oculis hominum studet videri bonus... quo intuitu laborare solet pro Ecclesia quantum necesse ut querimoniæ non oriantur... oculis vero Dei monstrum est, Judas ac proditor cruentus, sacrilegiis coinquinatus... *reus corporis et sanguinis Domini*... diabolus sub angelicæ vestis candore latens... *Nonne ego vos duodecim elegi? et ex vobis unus diabolus est?*...

I Cor. 11.

Joan. 6.

Idem, respectu gregis Domini, mercenarius est, non pastor... imo lupus rapax, fur ac latro in ovili... *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei si natus non fuisset homo ille*...

Matth 26.

O Domine Jesu, miserere confratrum qui in miserrimo

1915

hoc statu vivunt... me autem custodire digneris, ne unquam eo deveniam... Melius enim mihi mori, o Jesu, quam ut ita reprobus efficiar... Quapropter orationi perseveranter insistam, in qua tutum præsidium habebo.

II P. TEPIDI.— Sacerdos tepidus ille est, qui velut claudicat ex utraque parte, hinc Deo, inde mundo vel sibimet ipsi servire studens...— Respectu Dei, peccata gravia quidem evitat, venialia vero nequaquam... Pietatis exercitia vel omittit vel obit negligenter... pro Ecclesia laborat quantum præcise opus esse censet ut gravis delicti non fiat reus... — Respectu sui, quærit quæ sua sunt ; vitæ delectamentis, iis quas non graviter illicitas esse existimat,cum conscientia satis dubia deditus est ac servit...

Pace autem ac felicitate hujusmodi Christi minister non gaudet... nam internam Dei suavitatem non experitur, ut qui terrenis inhærendo cœlestia gustare non possit... imo Dei donis ac speciali dilectione indignus efficitur, Deoque nauseam movet : *Quia tepidus es,incipiam te evomere ex ore meo*... Numquid ego forte, aliquousque saltem talis existo ?... Quomodo mihi a tam misero tamque periculoso statu cavendum ?...

Apoc. 3.

III P. BONI. — Sacerdos bonus ac fervens est ille, qui non tantum ab omni specie et umbra peccati mortalis abhorret... sed etiam venialia, ope examinis conscientiæ quotidiani, evitare nititur... — Vitæ ordinem ac regulam servat constanter... Ex animo quærit quæ sunt Jesu Christi, ita tamen ut aliquatenus etiam quærat quæ sua sunt... Non enim ad perfectam sui abnegationem efficaciter contendit ; quapropter defectibus non paucis impeditur, quominus plenum spiritus Christi influxum accipiat...

Hujusmodi sacerdos felix est et pace Domini fruitur, licet non perfecte... Conscientiam enim habet bonam... et in tribulationibus consolatorem Christum Dominum... *Cum ipso*, inquit, cum fideli meo servo *sum in tribulatione : eripiam eum et glorificabo eum*... — Quapropter mox in hora mortis gaudebit, et cum Apostolo dicere poterit : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*...

II Tim. 4.

IV P. SANCTI. — Sacerdos sanctus ille est, qui non modo ab omni peccato abhorret, sed etiam defectus vel levissi-

mos evitare studet, *ab omni specie mala abstinens se...* qui unice quærit, non quæ sua sunt, sed quæ Christi et animarum... qui *omnino et non ex parte* se suaque omnia, omnesque sui temporis particulas impendit sive exercitiis pietatis sive officiis zeli... qui proinde influxum Christi Domini ejusque spiritum accipit, non ex parte, sed plene et aperto corde... ita ut dicere possit : *Vivo autem non jam ego, vivit vero in me Christus...* I Thess. 5. Galat. 2.

Hic vir felicissimus : ipse enim plenissime experitur promissa Domini : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit...* Matth. 19.

Mortem autem prospicit ut auream cœli januam, ubi *apparebit princeps pastorum afferens immarcessibilem gloriæ coronam...* I Pet. 5.

En quatuor in Ecclesia existentes sacerdotum classes, vita, fructu et felicitate inter se differentes... Ad unam ex iis pertinere debeo... quamnam eligo?... Utrum memetipsum efficiam vas in honorem, an in contumeliam?... *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum...* II Tim. 2.

O Domine Jesu, adjuva servum tuum, ut omnino et non ex parte tibi serviendo, ut orationi et laboribus indesinenter instando, inter sacerdotes sanctos, viros secundum Cor tuum, merear connumerari.

De puritate sacerdotali.

Pr. 1. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde.* Psalm. 23.

Pr. 2. Ut intelligam qualis et quanta inesse debeat sacerdoti puritas ; atque hunc animæ nitorem omni cura custodire studeam et perficere.

1. Quid sit animæ puritas. II. Quam necessaria sacerdoti. III. Quomodo acquirenda et custodienda.

I P. NOTIO. — Animæ puritas hic intelligenda mundities

cordis seu conscientiæ, quæ consistit in immunitate a maculis peccati... estque claritas animæ, quocumque peccatorum inquinamento carentis... *Mundemus nos*, inquit Apostolus, *ab omni inquinamento carnis et spiritus*...

II Cor. 7.

Animæ macula est quodcumque peccatum... sive mortale, sive veniale... imo peccatorum radices, quæ sunt inclinationes pravæ et affectus inordinati, animam quodammodo maculant...

Longe autem fœdiores sunt hujusmodi maculæ spiritus quam lepra aut putredo cadaverica quæ in corporibus cernuntur...

His vero maculis immunis anima, dicitur ornata puritate : quæ perfectio spiritualis est, et quædam claritas, analoga nitori quem cernimus in veste nivea... in auro splendente... in luce solis... in corpore vivo ac sanitate florente... Tantum affert animæ pulchritudinem, ut complacentiam et amorem rapiat ipsius Dei, dicentis : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*...

Cantic. 4.

II P. NECESSITAS.—Necessaria sacerdoti est animæ puritas ut perfectionem sui status adipiscatur... Nisi enim anima mundetur a malo, non potest impleri bono... Nisi ager purgetur a spinis, non coronabitur messe... Nisi crystallum sit clarum, non penetrabitur lumine... Similiter, nisi anima pura sit, non proficiet in virtute, neque accipiet orationis donum aut gratias copiosiores... *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*... — *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem*...

Matth. 5.
Prov. 22.

Requiritur animæ puritas ut digne obeatur ministerium altaris... *Mundamini qui fertis vasa Domini*... — *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens manibus et mundo corde*... —

Isaï. 52.
Psalm. 23.

« O quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum « os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor sacer- « dotis, ad quem toties ingreditur Auctor puritatis !... Ex « ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et « utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi « accipit Sacramentum... Oculi ejus simplices et pudici, « qui Christi corpus solent intueri ; manus puræ et in « cœlum elevatæ, quæ Creatorem cœli et terræ solent

Kemp. IV, 11.

« contrectare... Sacerdotibus specialiter in lege dicitur : « *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus* « *Deus vester...* »

Requiritur animæ puritas ut impleatur ministerium fructuose... imo, ut obeatur secure... præsertim ministerium verbi et pœnitentiæ... Cor mundum requiritur, ut minister Dei ipse non inquinetur, sive luxuria... sive superbia... utque auctoritate polleat, et Dei benedictionibus potiatur...

An hactenus intellexi quam necessaria mihi sit magna et solida cordis atque intentionis puritas ?...

III P. PRAXIS. — Quid agendum mihi ut cordis munditiem augeam et custodiam ? Nonne imprimis respiciendum præteritum ut expietur magis... et futurum ut præmuniatur a peccatis et defectibus quæ adhuc vigent...

Adhibenda autem sunt media : confessio frequens... fuga periculorum... custodia sensuum...

Item, orandi assiduitas, meditatio quotidiana... recollectio animi, et memoria præsentiæ Dei...

Item, examen conscientiæ quotidianum et impugnatio defectus dominantis... Adjutorium directoris et admonitoris...

Item mortificatio et generositas in vincendo semetipso... ususque pœnitentiæ afflictivæ...

Devotio demum erga B. Virginem, et exercitia quælibet pietatis...

An hisce mediis utor serio ?...

Concede mihi, Domine, adjuvante gratia tua, ad eam animæ puritatem pervenire, quæ a me sacerdote requiritur ut altaria tua digne conscendam.

De pietate sacerdotali.

Pr. 1. *Exerce te ipsum ad pietatem. Nam... pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* I Tim. IV, 7. 8.

Pr. 2. Ut intelligam quam essentialis mihi sit vera pietas, utque pietatis spiritu proficiam semper.

I. Quantopere mihi amanda pietas. II. Quomodo consequenda perfectius.

I P. PIETATIS AMOR. — Pietas religiosa, pietati filiali erga parentes similis et analoga, refertur ad Patrem nostrum qui in cœlis est... ad B. Virginem, Matrem nostram, omnesque Sanctos... et suggerit nobis obsequia interna et externa... quæ eis debemus...

Pietatem ex animo amare debeo, cum hæc virtus sit præstantissima, quæ directe ad Deum, cui obsequia reddit tanquam Patri, referatur...

Efficit nos vere filios Dei corde et operibus...

Nos similes reddit angelis, qui semper Deum laudant,
Matth. 18. *semperque vident faciem Patris qui in cœlis est...*

Absque pietate, sancto sacerdotis nomine dignus nemo est... quandoquidem vi vocationis suæ sacerdos *vir pietatis* sit... scilicet vir pietati addictus, sicut miles militiæ... imo, pietatis magister constitutus, quam verbo et exemplo spargere ac fovere tenetur...

Absque pietate, non datur vita interior aut profectus in spiritu... cum pietas conjunctio quædam sit animæ cum Deo, qua, velut palmes cum vite, sic anima cum Deo, vitæ suæ principio unitur... Adeo ut e pietate vim suam omnem atque efficaciam sacerdos hauriat...

Absque pietate, sacerdotalia munia digne impleri nequeunt... quoniam hujusmodi munia omnia sacra sunt et ad cultum Dei spectantia... quæ essentialiter spiritum pietatis requirunt...

Nonne pietatem sectari debeo propter fructus ejus ?... *Pietas*, inquit Apostolus, *ad omnia utilis*... Præservat enim sacerdotem a periculis... Producit in anima virtutes
Eccli. 24. omnes... utpote arbor vitæ, de qua dicitur : *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : et flores mei fructus honoris et honestatis...* —
Tim. 4. Demum felicitatem parit, in hac vita... et in futura... *Promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ...*

An itaque tam pretiosam tamque necessariam virtutem, ut oportet, amo et persequor ?... Quæ est mea pietas in oratione, in missa, erga Sanctissimum, erga B. Virginem ?...

II P. PIETATIS PRAXIS. — Sacerdoti pietas inesse debet *fervens*... id est, non languida... sed vivax et florens, sicut planta quæ radice gaudet bona... Radix autem pietatis est *fides*... fides, inquam, vivida, quæ et *spiritus fidei* vocatur... *Fides enim est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis*... Trid. Sess. 6. c. 8.

Sacerdotis pietas sit *exemplaris*... quæ oculis fidelium appareat in omnibus quæ ad Deum, Deique cultum pertinent... et quidem ubique... præsertim vero in domo Dei...

Sit pietas *solida* : interior simul et exterior... quæ duæ partes sese mutuo sustinent et confirmant... — An viget in me pietas illa interna quæ in virtutibus theologicis, fide, spe ac fiducia, et charitate sita est... iisque non mediocribus... pietas efficax, quæque non sit sicut ignis latens sub cinere ?... — An viget in me pietas externa, quæ complectitur orationem frequentem... et quæcumque religionis exercitia, pietatis internæ simul effectus et alimentum ?...

Sit pietas *efficax*... talis quæ moveat ad opera bona... ad patientiam, charitatem erga proximum, ita ut etiam pietatem amabilem reddat... et ad omnia sui status officia diligentissime implenda... An talem habere pietatem contendo ?...

Fiat in fine oratio ad B. Virginem, ut impetret nobis pietatem illam perfectam, cujus ipsa piissima Mater ejusque divinus Filius exemplum nobis præbuerunt... et cujus fons invenitur uberrimus in sanctissimo Corde Jesu.

De humilitate.

Pr. 1. *Qui major est in vobis fiat sicut minor ; et qui præcessor est, sicut ministrator.* Luc. XXII, 25.

Pr. 2. Ut intelligam quam necessaria quamque pretiosa mihi sit humilitas ; utque hanc virtutem prædilectam juxta exemplum Domini exerceam.

I. Quare amanda sit humilitas. II. Quodnam hujus virtutis fundamentum. III. Quæ praxis.

I P. HUMILITATIS AMOR. — Humilitas, *verissima*, juxta S. Bernardum, *sui cognitio, qua homo sibimetipsi vilescit*... amanda imprimis est ab omni sacerdote Domini, quia eam divinus Magister tanto amore dilexit et amplexus est... in vita sua mortali, a præsepio usque ad sepulchrum... in corpore suo mystico, Ecclesia, quam pusillum gregem appellat et semper humilitate vult crescere... in vita demum eucharistica, qua nobiscum manet in Mysterio, non minus humilitatis nomine quam charitatis appellando...

Amanda humilitas, quia thesaurum continet gratiæ... I. Pet. 5. *Humilibus Deus dat gratiam*... illam speciatim gratiam, quæ ad servandam castitatem juvat. *Ut castitas detur*, inquit. S. Bernardus, *humilitas meretur*... Et S. Gregorius : *Per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis*... — Thesaurum quoque continet pacis : qui enim a Domino discunt humilitatem, invenient requiem animabus suis...

Amanda humilitas, quia conditio est et mensura sanctitatis, ac perfectionis nostræ. Si enim sacerdotalis perfectio ædificium est, ejus fundamentum est humilitas... Quanto autem altius erigendum ædificium, tanto profundius foditur fundamentum...

Matth. 23. IV Reg. 19. Amanda humilitas, quia scala est ad gloriam... *Qui se humiliat exaltabitur*... — *Mittet radicem deorsum et faciet fructum sursum*... Vera sane ad gloriam via quam secutus est Christus, quæque discipulis ejus omnibus aperta et facilis... Quis enim descendere ac humiliare se non potest ?...

An ego vivido desiderio ad hanc virtutem suspiro ?...

II P. HUMILITATIS FUNDAMENTUM.— Fundatur humilitas in veritate... in vera *sui cognitione*, qua homo sese in gradu suo ac conditione, ubi coram Deo existit, continet... nedum se exaltat incongrue.

Quid autem est *cognitio mei ?* nisi cognitio mei nihili, meæ indignitatis, meæ exiguitatis ac infirmitatis...

Meum nihilum... Ex memetipso illud tantum sum quod ab æterno fui, quodque in æternum mansissem, nisi Deus

me vocasset ad existentiam : nempe *nihil et nihil*... Quod si nunc beneficio Dei existo, aliud tamen non sum, quam idem illud *nihil*, indutum existentia aliisque Dei donis ornatum... ita ut omne id quod sum et habeo, Dei donum sit, quo uti deberem ad gratitudinem Benefactori referendam... prout perfectissime fecit B. Virgo Maria, dicens : *Respexit humilitatem*, nihilum, *ancillæ suæ*... At ipsa, creatura immaculata, in se non cognoscebat nisi nihilum ; ego infra nihilum video in me peccatum... unde mea exercetur indignitas.

Positiva mea *indignitas* consistit in peccatis... Si solummodo unum peccatum veniale commisissem, merito essem sub omnium pedibus conculcandus... Quid si peccatum mortale commisi ? si mortalia plura ?... nonne infra diabolum, qui unum dumtaxat commisit, locus meus est ?...

Quænam deinde est mea *exiguitas ?* Nonne quidquid boni mihi est, sive in ordine naturæ sive in ordine gratiæ, valde exiguum in se... magisque exiguum si spectetur comparative ad illud quod mihi inesse deberet, si Dei dona non præpedissem aut non amisissem ?... Nonne id quod valeo, quod agere possum, similiter minimum est ? Nonne sicut infans parvulus indiget manu matris, ita ego manu Dei sustentandus sum ut incedere possim ?...

Utinam me ita cognoscam sicut a te, Deus meus, cognitus sum ! *Noverim me, Domine, et noverim te !...* S. Aug. Confess.

III P. PRAXIS. — Humilis homo non se extollit, nec cogitatione, magnam de sua peritia vel virtute ideam fovendo, se aliis præferendo... nec desiderio, altiorem locum appetendo, quærendo apparere oculis hominum... neque verbo, jactando se et sua, excusando se, præsertim in confessionali, ubi omni humilitate peccata Deo declaranda... neque opere, faciendo opera etiam bona quasi nos Deo præstaremus gratiam, non Deus nobis, dum concedit nobis sibi servire... *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus...* — *Non* enim *vos me elegistis, sed ego elegi vos...* Luc. 17. Joan. 15.

Homo humilis nunquam conqueritur, nec de humiliatione aut tribulatione... nec de labore... nec de hominum moles-

tiis... nec de superiorum correptione aut regimine... sed dicit : longe plura merui...

Homo humilis paratus est omnibus hominibus obedire et servire... nec unquam discedit a pedibus Dei... ut imploret misericordiam, ut petat auxilium...

Ad finem pie meditans suppliciter adeat fontem humili-
Matth. 11. tatis, divinum Cor Salvatoris, dicentis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde...*

De obedientia.

Pr. 1. *Obedite præpositis vestris et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.* Hebr. XIII, 17.

Pr. 2. Petere gratiam magis ac magis æstimandi, et sectandi obedientiam.

I. Cur obedientia magni facienda et efficaciter amanda? II. Quæ recta notio obedientiæ christianæ? III. Quæ praxis ?

I. P. OBEDIENTIÆ AMOR. — Sacerdos Domini peculiari modo amare debet et sectari obedientiæ virtutem, quia Christus Dominus, ut inobedientiam Adami repararet...
Philipp. 2. *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis...*

Præterea nonne obedientia præstantissima virtus ?... cum sit basis ordinis moralis in mundo, sicut subordinatio ac dependentia membrorum basis existit harmoniæ in humano corpore ; imo similis subordinatio inter corpora globosque cœlestes, concentum generat in mundo physico... Qua subordinatione obedientiæ deficiente, habetur perturbatio... peccatum ac ruina... prout lapsu angelorum et protoparentum manifestum fit...

Obedientia fundamentum est ordinis speciatim in Ecclesia militante, super auctoritatem Petri fundata, et per hierarchiam pugnans tanquam acies ordinata...

Sacerdos præsertim moderno tempore, frequenter gra-

vissimum obedientiæ mandatum prædicare debet, adeoque prædicationem exemplo suo firmare... *Filii obedite parentibus in Domino : hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem tuam : quod est mandatum primum in promissione : ut bene sit tibi, et sis longævus super terram...* Ephes. 6.

Promissio quarto mandato annexa pertinet etiam ad sacerdotem obedientem : *Ut bene sit ei et sit longævus super terram...* habeatque benedictionem Dei in suo ministerio... *Vir obediens loquetur victoriam... — Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ : quia obedisti voci meæ...* Prov. 21. Gen. 22.

Alii sunt obedientiæ fructus · pax et gaudium... meritum magnum... profectus in spiritu... *Obedientia*, inquit S. Gregorius, *sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit...* Moral.l.25. c. 10.

Quanta est mea obedientiæ æstimatio ?... An in ea excellere contendo ?...

II. P. OBEDIENTIÆ NOTIO. — Obedire est voluntati obsequi legitimi superioris... Sic obediunt filii parentibus, cives regi, milites duci, fideles Ecclesiæ, angeli Deo... Ubicumque scilicet creatura rationalis voluntate superioris movetur vi auctoritatis, obedientia est... Auctoritas autem a Deo manat, cum sit participio ipsius potestatis Dei gubernativæ... *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt...* Rom. 13.

Obedientia vero christiana quænam est? Nonne subjectio auctoritati legitimæ *intuitu Dei*, obedientiam præscribentis, imo in persona hominis nos gubernantis ?... *Qui vos audit, me audit...* Luc. 10.

Hinc principium et conditio obedientiæ vere christianæ est intuitus Dei et Christi in superioris persona... Si enim in superiore merum hominem intueor, et ideo obtempero quia prudentia aliisque donis ornatus, obedientia hæc humana est... sin autem in ejus persona Christum aspicio, et ob id solum obtempero quod vices gerat Dei, ejusdemque auctoritate fungatur qui dicit : *Qui vos audit me audit,*

et qui vos spernit me spernit... tunc obedientia vere christiana est...

An talis obedientia mea? An hoc fidei intuitu meis superioribus obedio ?... An hanc obedientiæ rationem explico fidelibus ?..

III. P. PRAXIS. — Tres dantur in obedientia gradus : primus *executionis*, qua injunctum opus perfecte impletur... secundus, *voluntatis :* cum voluntatem nostram voluntati superioris ita conformamus, ut præceptum impleamus libenter... tertius, *judicii :* cum nostrum judicium ita, quoad fieri potest, judicio superioris submittimus, ut præceptum approbemus, rectumque judicemus... An hos gradus obedientiæ conscendo ?..

Obediendum juxta exemplum Christi in Nazareth... in horto Olivarum... — Juxta exemplum Abrahæ, filium
Luc. 5. Isaac immolare jussi... — Petri, dicentis : *In verbo tuo laxabo rete*,.. — B. Petri Faber respondentis : *Non mihi necesse est vivere, sed necesse obedire*...

Ita obediendum ut vitentur defectus : murmurationes...
Numer. 14. censuræ et detractiones... *Murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israël, locutusque est Deus ad Moysen et Aaron, dicens : Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contre me ?*... Ergo Deus reputat murmurationes fieri contra se...

I Reg. 15. Ait Samuel Saüli, inobedientiæ reo : *Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini ? Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum... Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ non acquiescere... pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex*..:

An nullius ego defectus in obediendo superioribus... vel præscriptionibus eorum, præsertim quæ in statutis diœcesanis continentur, reus sum ?.. An in persona superioris mei et confessarii, intueor Christum Dominum ?...

Demum ad Dominum me convertam, qui se perfectum præbuit exemplar obedientiæ, ut ab ipso discam, ego pulvis et cinis, obedire, et me similiter in obediendo exemplum exhibere fidelibus.

De prudentia.

Pr. 1. *Estote prudentes sicut serpentes*. Matth.x,16.
Pr. 2. Ut bene cognoscam rationem apostolicæ prudentiæ, eaque merear a Spiritu sancto repleri.

I. Prudentiæ notio. II. Prudentiæ acquisitio et exercitium.

I P. NOTIO. — Prudentia virtus quædam primaria est, omnibus a Salvatore enixe commendata in parabola decem virginum... speciatim vero præscripta hominibus apostolicis, ubi dixit : *Estote prudentes sicut serpentes...* Matth. 10.

Virtus hæc, prima inter morales, non sine causa vocatur *auriga virtutum...* cum dirigat hominem in omnibus vitæ actionibus, atque in ipso exercitio et usu virtutum... — A pio sacerdote Hamont [1], ex mente S. Francisci Salesii describitur : virtus qua docemur cogitare, loqui et agere quod decet, quando et quomodo decet...

Cavendum a prudentia falsa filiorum hujus sæculi, *a prudentia carnis, quæ mors est : prudentia autem spiritus vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo...* Scilicet ista prudentia maligna pro objecto habet bona hujus mundi, quæ persequitur solerter, gnaviter, per omnia media, præsertim per fallaciam et mendacium... Rom. 8.

Prudentia vero spiritus pro fine habet bona æterna, gloriam Dei, salutem ac sanctificationem animæ propriæ et proximorum... Quem quidem finem semper intendit, sive dirigendus sit homo in usu generali vitæ suæ, sive in electione status, sive in status cujusque obligationibus implendis et in rebus quibusvis particularibus... Nunquam prudentia christiana, in variis istis actionibus, intueri omittit salutem animæ aut Dei famulatum...

Extenditur autem ad omnes actiones et circumstantias vitæ, et ubique necessaria est... Per ipsam fugimus animæ corporisque pericula... in discrimen illapsi, expedimur... ipsa duce ac prælucente, sapienter negotia suscipimus et cum successu tractamus...

[1] Auctore Vitæ S. Francisci Salesii.

Prov. 3. *Beatus* igitur *homo qui invenit sapientiam et qui affluit prudentia... Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia...*

Quam ardenter itaque debeo eam concupiscere, et a Spiritu sancto postulare !...

II P. PRAXIS. — Ut acquiratur prudentia, imprimis a
Jacob. 1. Deo petenda... *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter...*

Orationi cooperatio adjungenda... Cognoscendæ prudentiæ christianæ qualitates... ejusque regulæ sequendæ... quæque ei adversantur evitanda...

Prudentia Christi simul solertia pollere debet et sim-
Matth. 10. plicitate : *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ...* ita quidem, ex una parte, prudentes, ut omnibus utamini mediis, nullique parcatis sacrificio... ex altera vero, ita simplices, ut nihil prorsus admittatis quod fidem offendat aut conscientiam...

An prudentiæ regulas in praxi præ oculis habeo ?... Sunt autem præcipuæ sequentes :

In omnibus respice finem, et media adhibe congrua...

Tob. 4. In omni cœpto legem Dei præ oculis habe. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum...*

Nunquam recede ab obedientia.

Prov. 3. Esto humilis et a propria prudentia diffide : *Ne innitaris prudentiæ tuæ.*

Tob. 4. *Consilium semper a sapiente perquire...*

Ne sis pertinax... neque e contra ita mollis ut consiliatorum voluntati potius quam rationibus cedas...

Ne sis credulus, nec quemquam inauditum condemnes...

Ne maneas fluctuans, ne cuncteris nimis... neve e contra sis præceps... sed, causa bene cognita ac re deliberata, statue et age...

Recta intentione procede... et cave a præjudiciis, a timore, ab interesse proprio, aliove inordinato affectu...

Ubi res prudenter et secundum Deum suscepta est, constantissime, cum omni fiducia in Domino, est persequenda.

Diffide a rebus innovandis...Esto secreti tenax...Multum audi, parce loquere... Noli loqui aut agere sub influxu iræ, alteriusve inordinati animæ motus...

Esto vigilans, ora multum et cave ab omni incuria...

Imprudentiæ peccatum est, imo imprudentia summa, periculo damnationis se exponere vivendo in indifferentismo religioso... et in statu peccati mortalis... vel ultro se inferre in periculum perdendæ fidei per pravas lectiones... vel labendi in peccatum mortale adeundo peccandi occasiones... vel salutem in tuto non ponere differendo conversionem... vel vivere in oblivione mortis, et tempore ægritudinis sacramenta non mature recipere...

An ab his imprudentiæ delictis caveo, et alios ut caveant instanter moneo ?... An præfatas prudentiæ regulas sequi studeo ?

O Domine Deus, da mihi hanc cœlestem sapientiam, quam me docere dignatus es : tu ipse, quæso, *dirige in conspectu tuo viam meam*... Psalm. 5.

De temperantia.

Pr. 1. *Sobrii estote et vigilate.* I Pet. v, 8.

Pr. 2. Ut temperantiæ excellentiam intelligam, et hanc virtutem constanter colam exemplo Christi et Sanctorum.

I. Quam pretiosa virtus sit temperantia ; II. quam necessaria; III. quomodo colenda.

I P. TEMPERANTIÆ PRETIUM. — Pretiosam esse virtutem oculis Dei temperantiam, patet ex historia veteris Testamenti. Nam Deus ab initio protoparentibus præceptum imposuit abstinentiæ : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas*... — Angelus matri Samsonis commendat sobrietatem et abstinentiam, similiterque ejus filio Samsoni... — Gabriel quoque futuram Præcursoris Domini magnitudinem annuntians, addit : *Vinum et siceram non bibet*... Genes. 2. Judic. 13. Luc. 1.

Nonne salutares temperantiæ effectus indicat Ecclesia his et similibus verbis : *Carnis terat superbiam polus cibique parcitas*... — *Iste confessor Domini... sobriam duxit sine labe vitam... et jejuna membra deferens, dapes supernas obtinet ?... Temporali jejunio,* Domine,

vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia...

Virtus pretiosa corpori, cum sit principium et custos sanitatis... id est, status illius boni, quo corpus aptum existit instrumentum animæ ad laborandum pro Deo et
Eccli. 31. Ecclesia... *Sanitas est animæ et corpori sobrius potus...*
Eccli. 37. *In multis escis erit infirmitas... qui autem abstinens est adjiciet vitam...* Nonne experientia constat temperantia morbos arceri?... vel si infirmitas aut vulnus acciderit, ea facilius in homine temperanti curari?... ipsamque mortem alleviari?... Mira fuit abstinentia Patrum in eremo, mira quoque longævitas...

Virtus pretiosa animæ. Est enim principium sanitatis mentis... quæ sanitas consistit in statu gratiæ... item, in fervore, et in imperio quo spiritus dominatur sensibus ac passionibus... nec non in vigore facultatum spiritualium, intellectus et voluntatis, ut ea quæ sursum sunt videat et sapiat...

Nonne virtus tam pretiosa omni studio custodienda? Quomodo eam custodio ?...

II P. NECESSITAS. — Nonne necessarium vivere castum?
Epist. 22. Atqui *pudicitia*, inquit Hieronymus, *nisi per abstinentiam tuta esse non potest...* Et castitati accommodari potest quod de sapientia scriptum : *Non invenitur in terra*
Job. 28. *suaviter viventium... — Hæc fuit iniquitas Sodomæ :*
Ezech. 16. *superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium...*

Kemp. I, 19. Necessarium est domare passiones : atqui *frena gulam, et omnem carnis inclinationem facilius frenabis... —*
Prov. 29. *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem...*

Rom. 14. Necessarium est esse hominem spiritualem. *Non est enim regnum Dei esca et potus : sed justitia et pax et*
I Cor. 2. *gaudium in Spiritu sancto... — Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei...*

Necessarium nobis est fidelibus exemplo prælucere, etiam in materia temperantiæ... hoc præsertim tempore, quo sensualitas tantopere dominatur in mundo... Imo cavendum nobis ne sæculi flumine in ingluviem rapiamur...

An ego caveo ? An non indulgeo lautitiæ convivali ?...

III P. PRAXIS. — Tenendæ sunt temperantiæ regulæ.

Habentes, inquit Apostolus, *alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*... — Ad necessitatem, non ad sensualitatem corpus nutriendum, utque sit idoneum animæ instrumentum... *Hoc me docuisti*, Augustinus ait, *ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*... — De cætero, ut adagium habet, *natura paucis contenta*... I Tim. Confess. l. 10. c. 31.

Expedit sibimet præscribere mensuram, omnemque præscindere excessum, tum in quantitate tum in qualitate alimentorum... Quæ viliora sunt ne respuantur, quæ delicatiora parcius usurpentur...

Confert insuper frequentare jejunium... nihil sumere extra consueta refectionis tempora... aliquam in mensa mortificationem exercere... præ oculis habere exemplum vitamque sobriam Christi et Sanctorum...

An hos ego temperantiæ regulas sequor? Quid hic emendandum?... Quid agere me decet in posterum?...

O Domine Jesu, per sanctum jejunium tuum, per fel et acetum quo potatus es in cruce... per mirabilem temperantiam qua rebus vitæ necessariis usus es... da mihi perfectam illam servare sobrietatem ac frugalitatem, quæ sacerdotem decet...

De amore Ecclesiæ.

Pr. 1. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Exod. xx, 12.

Pr. 2. Ut magis magisque sanctam Matrem Ecclesiam diligam, meque pro ea impendam ac devoveam.

I. Quare Ecclesia sit a me amanda. II. Quonam modo eam amare debeam.

I P. AMORIS MOTIVA. — Ecclesia sane ardentissime a sacerdote amanda est, quia eam Christus Dominus tantopere amavit. Eam enim ut sponsam suam mysticam ineffabili dilexit amore et *se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret*... Imo Ecclesia mysticum Christi corpus est Ephes. 5.

et caro ejus : *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus...*

Ideo, velut identificatus cum Ecclesia sua, Dominus omnia ejus gaudia sentit et dolores : gaudet in ejus incrementis, patitur in persecutionibus, in membris ejus : *Saule, Saule,* inquit, *quid me,* non dicit *fideles meos,* sed *quid me persequeris ?...* Nonne ergo Ecclesiæ membra quamvis humilia ex animo diligam, et Christum in eis ?...

Amanda Ecclesia quia amabilissima est, Regina nempe, Christo Regi gloriæ simillima... splendida magni Regis civitas... regia Christi vestis, ejusque ornatus pulcherrimus... *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate... — Ego Joannes vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo... et claritas Dei illuminavit eam... et structura ejus et fundamenta omni lapide pretioso ornata... ipsa vero civitas aurum mundum...*

Psalm. 44.
Apoc. 21.

Quænam sunt illa ornamenta, illa claritas, aurum, lapides pretiosi ?... Nonne omnes Sancti, variæque virtutes ac bona opera eorum ?... — Terrestris enim Ecclesia imago est et atrium Ecclesiæ cœlestis : *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli...*

Genes. 28.

Ecclesia Christi vestis est mystica, pulcherrima, qua cum indutum vidit Isaïas, dicens : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? Iste formosus in stola sua...* Hæc est tunica polymita Joseph, *tunica inconsutilis, desuper contexta per totum,* quam scindi non licet, quæque in transfiguratione apparet *splendens et candida nimis velut nix...*

Isaï. 63.
Joan. 19.
Marc. 9.

Amabilis Ecclesia ratione cœlestis suæ in mundo beneficentiæ. Nonne sequens vestigia Salvatoris, pertransit generationes benefaciendo et sanando omnes ?... Si qua felicitas, si qua veritas, si qua honestas ac virtus in mundo est, nonne hæc tota ab Ecclesia sancta dimanat ?... — Nonne ipsa mater ac nutrix divina, populos, quos Christo ac veræ libertati parturiit, educat perpetuo, protegit, et quamvis reluctantes... componere nititur in pace ac felicitate ?...

Nonne ab ipsa nos alma Matre accepimus bona omnia ?... Nonne capiti nostro imposuit coronam sacerdotii, imposi-

tura mox coronam gloriæ æternæ ?... O Ecclesia Mater sancta ! quis te tam amantem non redamet? *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea... si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ...* Psalm.136.

II P. AMORIS EXERCITIUM ET PRAXIS.— *Filioli mei,* inquit S. Joannes, *non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate...* Scilicet Ecclesiam Matrem nostram amplectendo, eam honorando, ei serviendo. I Joan. 3.

Amplectenda Ecclesia in persona capitis sui, Romani Pontificis.... et Pastorum omnium qui ipso uniti sunt... — in persona membrorum, qui sunt fideles omnes, pauperes ac divites, justi ac peccatores... quos cunctos pari reverentia, pari charitatis affectu, neminem excludendo diligere debemus...

Ecclesiam honorat sacerdos vita et moribus sanctis, doctrina et exemplis...

Ei servit suis laboribus, omnique sacrificio... pascendo oves Domini : *Si diligis me, pasce oves meas...* præ oculis semper habens oves esse meas, mihique dilectissimas, et quidquid feceris pro eis a me reputatum iri tanquam mihi factum in propria mea persona... Joan. 21.

O Domine Jesu, Ecclesiæ Sponse et Pastor amantissime, da mihi, quæso,Cor tuum amore flagrans, ut sicut tu Ecclesiam sanctam diligam et me tradam pro ea...

De persecutione toleranda.

Pr. 1. *Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur.* Joann. XV, 20.

Pr. 2. Ut persecutiones ac vexationes præsentis temporis in spiritu christiano intueamur et toleremus.

Ut sancte et ad mentem Christi persecutiones sustineamus, acceptare eas et tolerare debemus, I. in spiritu fidei, II. in spiritu fiduciæ ac patientiæ, III. in spiritu charitatis.

I P. IN SPIRITU FIDEI. — Suscipere oportet calamitates

quæ obveniunt, tanquam persecutiones olim nobis a Domino prædictas. *Mementote*, inquit, *sermonis mei... si me persecuti sunt et vos persequentur...* — *Dixi vobis priusquam fiat, ut quum factum fuerit, credatis...* — *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos... et eritis odio omnibus propter nomen meum...*

Joan. 15. Joan. 14. Matth. 10.

Suscipere eas oportet de manu Domini... non de manu Pilati vel Judæ cujuslibet, sed Dei... Sic Dominus Jesus calicem passionis accepit de manu Patris : *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?...* Omnia de manu Dei, qui sancto semper consilio quævis adversa, etiam scandala permittit... *Necesse est ut veniant scandala... Oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant in robis.*

Joan. 18. Matth. 18. 1 Cor. 11.

Suscipienda ista cum humilitate a Domino, tanquam debitæ expiationes : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut et vos exaltet in tempore visitationis...* Humiliter itaque examinemus verba et opera nostra, inquirendo an non inimicorum calumniis et odio locum aliquem aut ansam dederimus...

1 Pet. 5.

Suscipienda cum docilitate, tanquam paternæ castigationes, quibus stimulemur ad bonum, ad fervorem in servitio Dei et in adimpletione ministerii nostri... *Ego*, inquit, *quos amo arguo et castigo. Æmulare ergo et pœnitentiam age...* Quapropter oportet pœnitentiam agere, et magis orationibus... bonisque operibus instare...

Apoc. 3.

An ego in hoc spiritu vere christiano præsentis temporis calamitates accipio ?...

II P. IN SPIRITU FIDUCIÆ ET PATIENTIÆ. — Fiduciæ actus sunt, nunquam despondere animum aut tristari... quia *Ipse nobiscum est omnibus diebus...* Hoc intendit diabolus, persecutionum suscitator, ut in animi dejectionem cadamus...

Confidere respectu subsidiorum temporalium, et interim ex parte nostra conferre quod possumus... *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis... — Modicæ fidei... non recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis?*

Matth. 6. Matth. 16.

Confidere respectu animæ et virium... *Fidelis Deus*

Cor. 10.

est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.... — Ego sum, nolite timere... nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora. Matth. 10.

Confidere respectu finalis triumphi... *Non prævalebunt...* In navicula quidem dormiebat aliquamdiu Dominus ; in fine autem *surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna...* Matth. 16. Matth. 8.

Fiduciæ addenda patientia. Hæc omnino necessaria : *In ea* dumtaxat *possidebitis animas vestras...— Regnum* enim *cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* Luc. 21. Matth. 11.

Invicta porro manebit patientia, si respicimus exemplum Christi, et vulnera ejus... exempla Sanctorum, qui tanta passi sunt tormenta... — et si, juxta talia exempla insistimus orationi...

Quomodo me habeo in hoc spiritu patientiæ et fiduciæ ?...

III P. IN SPIRITU CHARITATIS ET GAUDII. — Nonne charitatem erga persecutores nos docuit Dominus ? *Diligite,* inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos...* Nonne Dominus pro crucifixoribus oravit ?... et S. Stephanus pro lapidantibus se ?... — Nonne quoque inter nos, Ecclesiæ milites, sive sæculares sive regulares, concordiam studiosius servare et unionem debemus, ut fortiores simus adversus hostem communem ?... Matth. 5.

Nonne cum gaudio persecutiones accipiendæ ? *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam... Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis...* Ibid.

Propterea Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati...* Act. 5.

Propterea fideles illi Hebræi, ad quos scribebat Apostolus, *rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt...* Hebr. 10.

O Domine Jesu, qui præsentibus tribulationibus nos affligi permittis, concede nobis spiritum fidei, fiduciæ et charitatis... ut probationes et vexationes quasvis, sancte ac perseveranter, secundum exemplum tuum et Sanctorum tuorum, sustinere mereamur.

De zelo. Notio, incentiva.

Pr. 1. *Zelus domus tuæ comedit me.* Psal. 68.

Pr. 2. Ut bene intelligam quid sit in sacerdote zelus, et eodem ac Christus Dominus igne zeli accendar.

I. Quid sit zelus, quamque pretiosa virtus. II. Quam necessarius sacerdoti. III. Quomodo excitetur.

I P. ZELI NOTIO ET EXCELLENTIA. — Quod militi fortitudo, quod operario est diligentia et alacritas, quod mercatori studium lucri... id zelus est sacerdoti... Sicut miles sine fortitudine, non re sed specietenus tantum miles existit ; ita sacerdos sine zelo, sacerdos non est nisi veste ac nomine... caret enim animo et spiritu quo Ecclesiæ Dei prodesse debeat...

Recte dicitur zelus purissima flamma charitatis, ardens scilicet studium ac desiderium efficax procurandi gloriam Dei et salutem animarum... Simili fere studio agitur avarus homo in acquirendo divitias hujus sæculi...

Objectum zeli non est corruptibile aurum, sed gloria Dei, et animarum salus... Quo quid excellentius, quidve pretiosius ?...

Zelus gloriæ Dei intendit Dei honorem inter homines conservare, reparare et augere... allaborando ut Deus cognoscatur, ut non offendatur, ut ejus cultus floreat, ejus lex vigeat... adeoque ut Deus glorificetur, tum in templis suis, tum in fidelium cordibus...

Zelus salutis animarum respicit æterna mala æternaque bona hominum... infernum et peccatum, ut ab iis liberentur... beatitudinem et justificationem, ut iis locupletentur...

Actus zeli internus consistit in desideriis sanctis, qualia in oratione dominica continentur... externus vero, in quacumque operatione, ad promovendum Dei honorem aut animarum bonum pertinente... ut est prædicatio, puerorum eruditio, confessionum auditio, bonum exemplum...

An viget in me spiritus zeli ?... An peto frequenter a Domino ut igne illo sacro, quo ipse consumitur, me ministrum suum inflammare dignetur ?...

II P. ZELI NECESSITAS. — Necessarius omnino sacerdoti

est spiritus zeli, cum hic spiritus sit velut anima veri sacerdotis... adeoque principium omnis activæ virtutis ejus atque efficaciæ... sicut ignis motorius in humanæ industriæ operationibus...

Sine zelo, sacerdos fit homo animalis, materialis, terrenus... sal infatuatum... An talis esse velim ?..

Sine zelo, sacerdos obstacula non vincet... obligationes suas gravissimas non implebit... vel easdem instar mercenarii obibit... et tremendam rationem Deo reddendam sibi præparabit... *Sanguinem ejus de manu tua requiram...* Ezech. 3.

Quantopere ergo allaborare debeo ut zelum acquiram ardentem ?..

III P. ZELI INCENTIVA SEU STIMULI. — Ut excitetur zelus, præ oculis ponenda sunt motiva : nimirum, exemplum Christi Domini... et Apostolorum... qui vere zelo suo consumpti sunt et pro animabus immolati...

Dein exemplum filiorum hujus sæculi, ut mercatorum, et aliorum qui nulli parcunt labori ad lucrandas perituras divitias.... imo ardor, zelus ministrorum diaboli ad perdendas animas... Quos sacerdos æmulari debet ad animas salvandas.

Accedit indigentia animarum... et inferni molimina...

Præterea, zeli fructus : bonum animarum... cœli gaudium... Ecclesiæ solatium... propria zelantis felicitas...

Demum merces copiosa, quæ sacerdotem zelo plenum manet in hoc sæculo et in futuro... Quanta effecerunt et meruerunt apostolici viri, S. Dominicus, Vincentius Ferrerius, Ignatius, Xaverius, Vincentius a Paulo, Salesius, Vener. Vianney !... *Sufficit*, ait S. Hieronymus, *unus homo zelo succensus totum corrigere populum... Da mihi*, dicebat S. Philippus Nerius, *decem sacerdotes spiritu Dei plenos, et ego dabo tibi mundum conversum...*

At zelus ille ardens donum Dei est ferventi prece efflagitandum. Quapropter in fine meditationis petatur a Christo Domino, ut Cordis sui igne nos inflammante, nunquam languescat zelus noster, sed novis quotidie incrementis perficiatur et exardescat...

De zeli dotibus. In subjecto, in objecto.

—

Pr. 1. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Luc. XII, 49.

Pr. 2. Ut intelligam qualis esse zelus debeat, eumque semper excerceam *secundum scientiam.*

Spectandæ zeli dotes I. ex parte subjecti, II. ex parte objecti.

I P. EX PARTE SUBJECTI. — Spectatus in ipso viro apostolico, zelus debet imprimis esse purus... qui pure quærat honorem Dei ac bonum animarum, nihil autem aliud...

Si purus fuerit zelus meus, non quæram quæ mea sunt... sed quæ Christi ejusque gregis, quem mihi concredidit, dicens : *Pasce oves meas...* Pascere, inquit S. Gregorius, id est, non tam præesse quam prodesse...

Si purus fuerit zelus meus, non occupabor in rebus a ministerio meo alienis... Non ero invidiosus, sed gaudebo quod a quocumque confratre animæ salventur... Nec ero ambitiosus, sed quodcumque ministerium mihi commiserit Dominus, quamvis humile, ut catechismum parvulorum, pauperum, libenter acceptabo : imo potiores partes aliis haud invite cedam... Nec ero acceptor personarum, sciens tanti valere animam pauperis quanti valet anima divitis, et Christum pauperes prædilexisse...

Si zelus meus fuerit purus, non laborabo verme inanis gloriæ, fructum boni operis corrumpente, ita ut aliquando
Matth. 6. dicatur mihi : *Recepisti mercedem tuam...* Magna sane nobis stultitia foret, aiebat S. Josephus Calasanzius, si labores ac fatigationes, prout facimus, sustinentes, mercedem dumtaxat temporalem ab hominibus quæreremus...

An diligenter intentionem meam custodio, ut zelus meus permaneat purus?...

Zelus sit ardens. Est enim ignis... qui tunc solummodo lucet et calefacit, cum ardet... non vero dum sub cinere
Prov. 30. latet... *Nec ignis unquam dicit sufficit...* At, sicut fax, ardendo consumitur. Sanctus Franciscus Salesius dicenti cuipiam : Si sic laborare pergis, non diu vives : *Non est necesse,* inquit, *me diu vivere; sed donec vixero, ferventer Ecclesiæ ministrare...*

Si ardens fuerit zelus meus, nunquam ero otiosus... sed semper labori, studio, orationi instabo... nec ero incurius, dormitans... nec me ipsum fallam, persuadens mihi omnia belle se habere ; sed universa examinando attente, multa detegam mala, quibus medendum est...

An ut ardeat zelus meus, eum inflammare satago per orationem assiduam ? *In meditatione mea exardescet ignis...* — Quænam hic emendanda ?... Veniam petam, statuam in futurum, auxilium gratiæ implorabo... Psalm. 38.

II P. EX PARTE OBJECTI. — Zelus ex parte objecti debet esse universalis, extendens se ad *omnes* et ad *omnia*... Complectitur charitate sua omnes animas Christi sanguine redemptas... præsertim vero fideles cunctos, qui curæ suæ sunt concrediti : pauperes et divites... peccatores et justos... parvulos ac juniores æque ac senes et infirmos...

Non itaque omittat pastor bonus quærere ovem perditam, adire suspectos ac scandalose viventes... *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina*... Simul autem crebro Deum oret pro ipsis... II Tim. 4.

Peculiariter diligat pauperes, omnesque miserabiles personas... cum ibi sit major necessitas... et sibi majus meritum majorque consolatio... « Cum præcepto divino, « inquiunt Tridentini Patres, mandatum sit omnibus, qui- « bus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, « pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, « sacramentorum administratione, ac bonorum omnium « exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium « personarum curam paternam gerere, et in cætera munia « pastoralia incumbere... sacrosancta Synodus eos admo- « net et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, « factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et « regant... » Sess. 23. c. 1. ret.

Zelus porrigit se ad *omnia :* scilicet ad omnes hominum necessitates, etiam corporales... ad omnia media, remedia, opera sancta...

Hujusmodi sunt sacramenta... præcipue laborandum ut frequentatio sacramentorum vigeat : hic labor, hic fructus.

Dein, splendor cultus publici... instructio catechetica, concionatoria... missio singulis quinquenniis vel septenniis... cura et visitatio infirmorum ac nominatim impio-

rum... cura juventutis... prima communio... confessio parvulorum ter vel quater in anno... scholæ visitandæ, sustentandæ, magistrorumque animus ac zelus stimulandus... adolescentes ad bonos convictus dirigendi... vocationes sive ecclesiasticæ sive religiosæ prudenter excolendæ...

Cœnobium monialium si fuerit, peculiari sed prudenti charitate curandum... ut ex. gr. hora convenienti sacram communionem Christi famulæ recipere possint...

Confraternitates et congregationes piæ, vel erigendæ vel in exercitio ac fervore conservandæ...

An tali ego sum zelo animatus ?... An, sicut Præcursor Domini, lucerna sum ardens et lucens ?...

O Domine Jesu, qui venisti ignem mittere in terram, et hunc vis vehementer accendi, inflamma, quæso, cor meum igne illo apostolico, ut possim et ego pro mea vocatione, animas hominum amoris tui igne inflammare.

De zeli dotibus. In exercitio.

Pr. 1. *Attende tibi et doctrinæ.* I Tim. IV, 16.

Pr. 2. Ut cognoscam qualis sit zelus *secundum scientiam*, ut artem artium cum divina gratia valeam exercere.

Exercendus zelus I. cum prudentia, II. cum humilitate, III. in spiritu unionis.

I P. PRUDENTIA ZELI. — Virtus prudentiæ, sicut et cæteræ quæ sequuntur, supponit adesse in sacerdote conditionem triplicem, ad exercendum rite zelum requisitam, quamque hac formula S. Bernardus indicat : *Zelum tuum*, inquit, *inflammet charitas... formet scientia... firmet constantia...*

Sit zelus tuus prudens respectu tui, ut propriæ animæ non obliviscaris... Monet S. Bernardus ministrum Dei, ne sit merus canalis... Sit multo minus puteus, aliis aquam vivam præbens, sibi retinens lutum... sed velut concha,

BOSTON COLLEGE LIBRARY
CHESTNUT HILL, MASS.

gratiarum aquis repleta, et de plenitudine sua effundens... Propterea per secessum annuum, per recollectionem menstruam, per quotidiana exercitia sibi provideat...

Zelus sit prudens respectu subditorum : corda sibi devinciat per amorem... — Sit *discretus in silentio, utilis in verbo*... Multa tacite sufferat... neminem ex cathedra, etiam indirecte aut æquivoce reprehendat... S. Greg.

Prudentia vetat ne ad sacramenta ministranda vocatus, ire moretur... præsertim ubi de infirmo agitur... ne absit a parochia sine necessitate, et non indicato confratre qui vices suppleat... ne facile relationi alienæ vel rumoribus fidem adhibeat, semperque audiat accusatum... Qui inaudita altera parte judicat, nihil judicat...

Zelus sit prudens respectu operum : *in confessionali*, ne aspero verbo occludat os pœnitentis, neve indiscreta interrogatione animam vulneret... *in cathedra*, ne personam peccatoris, sed ejus peccata impugnet... *in admonitione privata*, ut locus et tempus eligatur opportunum... *in suscipiendo negotio*, ne sit præceps, sed multum consideret, consilium petat sapientum, conferat cum superioribus... et imprimis Deo rem commendet in oratione...— *in executione*, ut paulatim procedat et per partes, nec uno quasi die omnia perficere contendat...

An ita prudentiæ studeo, quam Dominus præcipue viris apostolicis commendavit? *Estote prudentes sicut serpentes*... An eam frequenter precibus postulo ?... Matth. 10.

II P. HUMILITAS. — Zelus sit humilis in rebus agendis, ut Dei auxilio magis quam propriis viribus innitatur... *Non ego sed gratia Dei mecum*... et *qui incrementum dat, Deus*... S. Vincentius a Paulo sese unice aptum judicabat ad res pessumdandas... — Zelus sit humilis in successu bono... sit humilis in rebus infaustis... *Humiliamini sub potenti manu Dei*... I Cor. 15. I Cor. 3. I Pet. 5.

Si humilis fuero, benedicet Dominus operibus meis : *Humilibus Deus dat gratiam*... An hanc humilitatem a divino Magistro discere studeo ?... Ibid.

III P. SPIRITUS UNIONIS. — Zelus sit unionis tenax. In unione enim et virium conjunctione efficacia maxima... Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur... *Sint unum*, inquit Dominus, *sicut et nos unum* oan. 17.

sumus... Sint uniti ministri Dei omnes, sive sæculares sive regulares, sicut ejusdem exercitus milites, sicut ejusdem corporis membra... Absit ergo omnis invidia et zelotypia... detractio... discordiæ seminatio...

Rom. 15. Ad unionem confert praxis uniformitas... *Deus det vobis idipsum sapere in alterutrum... ut unanimes uno ore honorificetis Deum*... Quapropter magni fiant conferentiæ, sapienter institutæ ut non sint in praxi discrepantiæ, quæ a fidelibus magno sæpe detrimento notantur...

Ad unionem confert obedientia, qua operarius evangelicus cum superiore conjunctus, fortior evadit... ab ipso
Prov. 21. sustentatur et a Deo benedictionem consequitur... *Vir obediens loquetur victoriam*... Nullum itaque opus suscipiat nisi approbante superiore... neque in rebus agendis ab ejus directione, præsertim quæ in Statutis exprimitur, discedat...

An hanc obedientiam, hanc unionem sanctam cordi habeo ?

Concede mihi, Domine Jesu, spiritum zeli sancti, qualis fervet in Corde tuo divino... zeli prudentis, humilis, quique ab unione cum confratribus et cum superioribus nunquam discedat.

De zeli dotibus. In exercitio, continuatur.

Pr. 1. *Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam*. Rom. x, 2.

Pr. 2. Ut verum zelum cognoscam qualis esse debeat, eumque exerceam semper secundum scientiam.

Exercendus est zelus I. suaviter et fortiter, II. confidenter, III. constanter.

I P. SUAVITAS. — Zelus mitis sit ac suavis, sine asperitate, sine amaritudine ac duritate in ipsis reprehensioni-
Matth. 11. bus... *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*... —
Galat. 6. *Instruite*, inquit Apostolus, *in spiritu lenitatis*...Et de se loquens ad Thessalonicenses : *Facti sumus parvuli in*

medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos... 1 Thess. 2.
Una guttula mellis, aiebat S. Franciscus Salesius, plures capiuntur muscæ quam integro dolio aceti... — Defectus qui animadvertitur non raro tolerandus est, saltem ad tempus, donec animi melius disponantur... *Non potestis portare modo...* Joan. 16.
Imitanda est actio solis... actio Dei, quæ suavis et fortis.

Ita enim zelus debet esse suavis, ut non sit mollis neque timidus. Diligite homines, dicebat Augustinus, interficite errores...

Verbum Dei prædicandum est super tecta et in conspectu regum... Non timuit loqui Christus, neque Apostoli... non fuerunt *canes muti, non valentes latrare...* — Cavendum Isaï. 56.
a prætextu falsæ pacis et concordiæ: vera pax non est quæ proditione emitur. Monet quidem Paulus ut *cum omnibus* Rom. 12.
hominibus pacem habeamus; sed conditionem adjicit : *si fieri potest, quod ex vobis est...* Dantur enim circumstantiæ in quibus *non possumus non loqui...* et dicendum : *Si* Act. 4.
adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.. Galat. 1.

Propterea parati esse debemus ad patiendum... et cum fortitudine apostolica magna conjungenda patientia : *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia...* II Cor. 6.

An suavem hanc fortitudinem a Corde Jesu mutuare studeo ?...

II P. FIDUCIA. — Zelus pure Deum quærens et animas, magna et ardua suscipere non dubitat, ubi hanc esse Dei voluntatem sufficienter intellexit... et omnia sperat ab Eo qui ministris suis, opus Patris agentibus, se affuturum promisit... *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus...* Matth. 28.

Nihil tamen interim de humanis adjumentis negligit : ex parte sua faciens quidquid est in se, omnia sacrificans, impendens se et superimpendens... Novit enim non solere Deum nisi insufficientiam nostram supplere ; præ oculis habens multiplicationem panum, quam Dominus non perfecit, nisi postquam cibaria omnia essent consumpta, et Apostoli dedissent cuncta sua, nempe quinque panes et duos pisciculos...

Propterea omnia generosissime quæ habet impendit... et se ipsum impendit... vigilans ne quispiam penetret fur in

ovile, ne superseminentur zizania... Atque omnibus omnia factus, pias artes, varia variis in circumstantiis exquirit media, ut omnes lucrifaciat adjuvante Domino...

An talis est mea fiducia ? An ita est generosa ?... An ita memetipsum adjuvo, ut merear a Deo juvari?...

III P. CONSTANTIA. — Vir apostolicus ne cadat animo ob errorem vel culpam commissam... Caveat utique a variis scopulis ; si tamen in quempiam impingat, facile a Deo veniam impetrabit propter intentionis puritatem. *Apud misericordem judicem nequaquam sine venia relinquitur, cum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur*... si tamen qui peccavit, humiliter culpam agnoscat.

S. Greg. Moral. l. 10, c. 5.

Zelantes operarii multo plura coram Deo promerentur et sibi comparant, quam amittunt ; nec propter defectus incidentes desistere debent a jactando Dei semine... sicut nec agricola seminare omittit propter volucres, quæ non-nihil de sparso semine rapiunt.

Ne cadat animo sacerdos in contradictionibus, in laboribus, in malo successu : cogitetque Deum exigere curam, ut S. Bernardus dicit, non curationem... Nec facile arbitretur nullam superesse emendationis spem : memor perseverantiæ S. Monicæ et conversionis Augustini... nec brevi tempore aut paucis diebus rem efficiendam ; sed longanimitate utatur...

Imitandum exemplum Christi et cœlestis Patris, peccatores vocantis et exspectantis usque ad mortem... exemplum B. Petri Claver, qui per triginta annos conversionem cujuspiam peccatoris persecutus est, ac tandem obtinuit... exemplum mercatorum, qui tot sustinent labores, vigilias, pericula pro lucro temporali... exemplum piscatorum, qui tanta patientia exspectant capturam... *Faciam vos fieri piscatores hominum*... Exemplum denique intuendum angeli custodis, qui usque ad finem vitæ salutem pessimi etiam clientis prosequitur... quin, inspicienda constantia ipsius dæmonis, usque ad vitæ exitum homines vel prædestinatos tentantis...

Matth. 4.

An hujusmodi constantiam studeo æmulari?..

Ferventi oratione ad sanctos Apostolos et ad Christum Dominum, postulabo zeli suavitatem, confidentiam, constantiam...

—— 3 ——

De castitate. Castitatis amor.

Pr. 1. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Sap. IV, 1.

Pr. 2. Ut castitatem tanquam præcipuum sacerdotii decus magis magisque amem, atque custodiam perfecte.

Amanda castitas, I. quia virtus Christo gratissima, II. in se excellentissima, III. mihi vero necessaria maximeque pretiosa.

I P. CASTITAS CHRISTO GRATA.— Nonne toto cordis affectu amabo castitatem, quam Christus Dominus amore tam manifesto dilexit? Ubique enim eligit ac præeligit virgines : nimirum in vita sua mortali habere vult matrem virginem... nutritium, præcursorem, discipulum prædilectum, similiter virgines... in vita gloriosa, comites *eum sequentes quocumque ierit*, iterum virgines... in vita Eucharistica, clerum virgineo candore decoratum... Vere Sponsus ipse est amabilissimus ille *qui pascitur inter lilia*... O Jesu castissime, da mihi magis magisque amare virtutem hanc tam gratam oculis tuis. Apoc. 14. Cantic. 2.

II P. EXCELLENTIA. — Sublimis hæc virtus hominem velut supra naturam suam attollit ut eum angelicis mentibus assimilet : *In resurrectione*, inquit Christus, *non nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo*... Quemadmodum cœlestes spiritus Deum et quæ divina sunt assidue contemplantur... Deique amore exardescunt... throno Altissimi assistunt, ejus gloriam laudibus celebrantes... eique tanquam ministri in omnibus obsequuntur : *Ministri ejus, potentes virtute, facientes verbum illius*... ita et animæ castæ. Matth. 22. Psalm. 102.

Quid, inquit S. Bernardus, *castitate decorius, quæ angelum de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute. Et si illius castitas felicior, hujus fortior esse cognoscitur*... fortior scilicet propter certamina homini subeunda, quibus angeli carent. Epist. 42.

Merito igitur castitas virtus angelica nuncupatur...

Nec tantum angelis hominem assimilat, sed Beatæ Virgini

Mariæ, ipsique omnis puritatis fonti, castissimo Jesu reddit simillimum maximeque amabilem...

Hujus virtutis pulchritudine captus exclamat Sapiens : Sap. 4. *O quam puchra est casta generatio cum claritate ! Immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est et apud homines...*

Nonne igitur castitas merito esse dicitur sacerdotalis ordinis gemma splendidissima, omni sollicitudine custodienda ?...

O pulcherrima virtus, angelica castitas, amo te ex omni affectu cordis, super omnem speciem et pulchritudinem carnalem diligo... Utinam, o Beatissima Virgo, cor meum eodem quo tuum castitatis amore flagret !

III P. NECESSITAS, EMOLUMENTA. — Castitas mihi necessaria, quia per sacros Ordines ejusdem voto obstrictus sum. Quo quidem felicissimo voto et obligatio continetur et privilegium. Obligatio mihi sancta incumbit angelicam puritatem æmulandi, tum corporis, tum mentis meæ munditia... Si unquam, quod avertat Deus et ne permittat protectrix immaculata Virgo, contra castitatem peccato etiam mere interno peccaverim, sacrilegii reus fiam...

Privilegium in eo consistit, quod vi voti anima mea tanquam sponsa Christo consecratur... quodque simul jus acquiro ad peculiare auxilium gratiæ... ut angelicam virtutem, quam Deo volente vovi, fideliter valeam custodire.

Ideo autem voluit Christus Dominus ministros suos ca- I Cor. 7. stitatis voto ligari, ut unice *cogitent quæ Domini sunt, ut sint sancti corpore et spiritu...* O Domine Jesu, peto suppliciter ut, quod mihi largitus es tibi vovere, ad id explendum gratiam uberem largiaris.

Deinde quanti, quamque pretiosi sunt virtutis angelicæ fructus, tum in hac, tum in futura vita ! Liberat enim hominem a multis peccatis... et a plerisque curis hujus vitæ, quæ virtutis progressum et exercitium zeli impediunt...

Inducit virtutes plurimas, felicem imponendo necessitatem eas colendi quæ, ut mortificatio, ad castitatem servandam requiruntur... Quam plurimum juvat ad omnem animæ sanctificationem, adeo ut ab Apostolo *sanctificationis*

nomine appelletur : *Hæc est*, inquiens, *voluntas Dei sanctificatio vestra... non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem....* — Juvat ad orationem, ad commercium et unionem cum Deo : quia mundi corde Deum videbunt resque divinas... Fecundam reddit animam et velut matrem filiorum Dei... Demum, lilii instar fragrantiam spargit ac bonum odorem Christi... — Quod si castitatem in futura vita spectemus, virgines in cœlo peculiari luce fulgentes, cantabunt canticum novum, sequentes Agnum immaculatum quocumque ierit... 1 Thess. 4. Apoc. 14.

Fiat in fine oratio ad Beatam ac immaculatam Virginem et ad B. Joseph, ut castitatis amor et custodia efflagitetur.

De castitate. Castitatis custodia.

Pr. 1. *Te ipsum castum custodi.* I Tim. v, 22.

Pr. 2. Ut adhibitis mediis, Deique nixus auxilio, angelicam virtutem custodiam perpetuo illibatam.

Ut castitas integra servetur, tres requiruntur conditiones : I. nonnulla sunt principia tenenda, II. pericula fugienda, III. media adhibenda.

I P. PRINCIPIA. — Imprimis alte animo imprimendum unicuique est, se in materia castitatis esse maxime fragilem, se ferre corpus concupiscentia infectum et ita infirmum ut facillime labatur, nisi juvetur auxilio Dei... *Ut scivi*, inquit Sapiens, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det... adii Dominum et deprecatus sum illum...* An mihi vere persuasa est mea fragilitas ?... Sap. 8.

Tenendum deinde, necessarium prorsus esse, virtutem tam delicatam... totque inimicorum insidiis expositam, omni sollicitudine custodire... ac proinde adhibere opportuna media, sive ad servandam eam illæsam, sive ad vulnera ejus sananda...

Tenendum denique principium possibilitatis. Sicut nemo neglectis mediis castitatem diu servare potest... ita homo

quilibet, et nominatim sacerdos, si pericula fugere et media voluerit adhibere, caste vivere potest. Deus enim
1 Cor. 10. impossibilia non jubet... *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*... et gratiam utique non negabit mihi servandi virtutem, quam vi vocationis mihi peculiariter servandam injunxit... An credo Dei auxilium ita mihi esse paratum ?... non minus scilicet quam Sancto
II Cor. 12. Paulo, cui oranti dixit Dominus : *Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur*... O Domine, tu spes mea et fortitudo mea : in te confido, non erŭbescam...

II P. PERICULA FUGIENDA. — Etsi sacerdoti cuilibet gratia peculiaris datur ad cœlibatus votum sancte implendum ; hanc tamen gratiam non consequetur, nisi, quan-
Eccli. 3. tum in se, periculum fugiat : *Qui enim amat periculum in illo peribit*... id est, qui sponte periculum adire non metuit, etiam leve, peribit... non autem ille, qui ex necessitate officii in discrimen deducitur : hic enim, dummodo Dei adjutorium invocet, non secus ac pueri in camino Babylonis, illæsus servabitur. — An nunquam ego me gratuito periculis exposui ?... vel expono ?...

Quænam pericula in particulari fugienda? Triplex periculum, seu triplex castitatis scopulus merito indicatur : *otium*, *potus*, *mulier*... Ad hæc tria velut capita referuntur reliqua virtutis angelicæ offendicula : lectiones frivolæ, sensualitas in cibo et somno, cursitandi libido, incustodia oculorum, teneriores inclinationes quibus indulgetur, superbia et animi temeritas...

Circa periculum ex parte mulierum, notandum, hic maxime exitiales strui castitati insidias : *Initium libidinis*, ait S. Hieronymus, *in visitatione mulierum*...

Nec dicatur : Sunt piæ... sunt cognatæ... sumus provectioris ætatis... est ancilla... familiaritas procedit ex urbanitate, ex amicitia... colloquia fiunt propter directionem conscientiæ... sunt juniores pueri... bona est intentio... nec intercedit inclinatio inhonesta, sed tantum sensibilis... — excusationes hujusmodi rem in se periculosam et scandalo obnoxiam nequaquam cohonestare possunt ; sed laqueus sunt diaboli, quo sacerdotum animæ capiuntur...

Omne ergo commercium cum altero sexu, non necessarium, cavendum est diligenter... Ubi autem necessarium

fuerit, aut ratione ministerii conveniens, servanda semper est sacerdotalis gravitas, excludenda quæcumque familiaritatem sapiunt, ut jocus, cachinni, sermones scurriles aut molles, omnisque animi levitas... — An ita caute me gero respectu mulierum?... Quid hic corrigendum?... Petatur gratia.

III P. MEDIA ADHIBENDA. — Præcipua media quæ tanquam castitatis præsidia vel medelæ usurpanda sunt, enumerantur sequentia : oratio et jejunium... *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium*... — Custodia sensuum, mentis et cordis : *Te ipsum castum custodi*...— modestia et gravitas sacerdotalis, animique recollectio... studium humilitatis... subsidium sacramentorum... memoria divinæ præsentiæ... magna devotio erga B. Virginem, S. Joseph, S. Angelum custodem... labor assiduus... resistentia tentationibus prompta, fortis et constans... Matth. 17 1. Tim.

Hæc totidem media fere ad hæc tria referri possunt castitatis symbola, quæ in variis Scripturæ locis occurrunt : *lilium inter spinas*, quo indicantur mortificatio, labor, abstinentia... *lilium convallium*, id est humilitas, solitudo sancta et recollectio... *lilium agri*, quod rore cœli et solis radiis expanditur, et innuit orationem omneque devotionis exercitium, gratiæ abundantiam inducens...

An media hæc diligentissime adhibeo?

In fine conjiciam me ad pedes S. Joseph et Beatæ atque immaculatæ Virginis Mariæ, suppliciter deprecans ut me ab omni inquinamento carnis ac spiritus custodiant... et mihi a Domino Jesu per dolorosam ipsius flagellationem donum perfectæ castitatis obtineant.

De spiritu paupertatis.

Pr. 1. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Matth. v, 3.

Pr. 2. Ut intelligam quænam sit illa spiritualis paupertas quam Dominus a me requirit, eamque amem et exemplo Apostolorum colere studeam.

I. Quare apostolica paupertas amanda? II. Quomodo in praxi colenda?

I P. PAUPERTATIS AMOR. — Paupertas illa spiritus, clero suo a Christo Domino commendata, non tam *effectiva* est, qua omnis proprietas abdicatur... quam *affectiva*, qua homo rebus terrenis nullo affectu adhæret... Prior, paupertas religiosorum, tantum est de consilio ; altera, quæ divitiarum contemptus vocatur, de præcepto, et sacerdotibus præcipue necessaria...

Paupertas hæc cordis ac spiritus, quam Christus Dominus primo loco commendans inter Beatitudines, velut basin constituit suæ doctrinæ moralis totiusque disciplinæ evangelicæ... nonne a sacerdote Evangelii præcone imprimis servanda?... Quomodo enim divitiarum contemptum commendabit serio et efficaciter, si ipsemet divitias quærit... vel quærere videtur, verbi gratia, emendo ac possidendo domos et agros?...

Et propterea nonne voluit expresse Dominus ut Apostoli sui, Ecclesiæ principes, essent etiam principes paupertatis?... *Nolite*, inquit, *possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Matth. 9.

Nonne ipsemet Dominus,exemplar nostrum, summopere paupertatem amavit, a præsepio usque ad cruçem?... *Pauper sum ego, et in laboribus, a juventute mea...* In ipsa sua vita evangelica, *vulpes*, aiebat, *foveas habent et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet...* — Regalis paupertas Salvatoris a propheta prædicitur antequam oculis mundi effulgeat : *Exulta satis, filia Sion... Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator : ipse pauper et ascendens super asinam...* Psalm. 87. Matth. 8. Zachar. 9.

Nonne hoc exemplum Apostoli secuti sunt? *Habentes*, inquiunt, *alimenta et quibus tegamur, his contenti simus...* — Ministerium suum obeunt, gratis dantes quæ acceperunt gratis... operantes manibus suis... *sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes et omnia possidentes...* I Tim. 6. II Cor. 6.

Nonne post Apostolos, omnes viri apostolici eodem fuere spiritu animati? Eorum enim unusquisque ab Ecclesia laudatur ut *mundi gaudia hujus caduca respuens... ut vir sine macula, qui post aurum non abiit, nec speravit*

in pecunia et thesauris... O Domine, horum vestigiis Patrum constanter inhærere volo, non oblitus verborum quæ solemniter pronuntiavi : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei*...

Nonne præterea magnifica sunt paupertatis commoda et fructus ?... Continet enim thesauros pacis... et divitiarum cœlestium : nam pauper spiritu efficitur *in Deum dives*... per humilitatem, fiduciam, cæterasque virtutes. Luc. 12.

Ad paupertatem amandam confert quoque considerare vitii oppositi turpitudinem et mala, præsertim in sacerdote... Sacerdos enim non lucrum quærens animarum, sed pecuniæ, contemptibilis efficitur, sterilis in ministerio, terrenus totus,obcæcatus mente... Judæ sequens vestigia... et quidem, nisi resipiscat, usque ad finalem desperationem... aliquando dicturus : *Peccavi, tradens sanguinem justum*... Matth. 27.

II P. PAUPERTATIS CULTUS. — Ad colendam practice paupertatem, sicut Ecclesiæ ministrum decet, sacerdos sese consideret, non ut proprietarium, sed dispensatorem et œconomum eorum quæ possidet...cui aliquando dicetur : *Redde rationem villicationis tuæ*... Luc. 16.

Licet clericus dominium perfectum habeat in bona sua patrimonialia, casualia et parcimonialia ; debeatque dumtaxat de bonis ecclesiasticis, quod post honestam sui sustentationem superfuerit, in pauperes et pia opera erogare... seposita tamen hac strictæ justitiæ regula, nonne convenit ut, Sanctorum vestigia et ecclesiasticam regulam secutus, largius misericordiam studeat exercere ?...

Secundum hanc regulam charitatis, eorum quæ habet duas faciat partes : unam sibi, alteram pauperibus, Ecclesiæ, aliisve piis usibus destinatam. — Sibimet faciat partem honestæ sustentationi necessariam. Quæ quidem ita erit temperanda, ut ex una parte sacerdotali decentiæ... ex altera vero, ecclesiasticæ paupertati satisfiat... Jam vero hæc requirit, ut modestia spiret in domo et supellectili... frugalitas in mensa... simplicitas, imo mortificatio in lectiratione... Debita sua solvere ne differat, mercenariisque omnibus faciat satis, non parca manu.

Postquam sibimet, ut par est, providit, prospiciat pauperibus et ecclesiæ... Nullum charitatis opus prætermit-

tat : omniaque liberalitate sua et exemplo sustentet...— Caveat interim a nimia propensione erga consanguineos : quos quidem, si indiguerint, ut æquum est, juvare potest, ditare vero non potest... Caveat quoque a nimia sollicitudine circa necessitates adventantis senectutis, quæ incertæ sunt, et maxima parte providentiæ Patris cœlestis relinquendæ : *Scit enim Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis...*

Matth. 6.

Quæcumque demum res familiaris fuerit, hanc unusquisque sapienter, ut prudens paterfamilias, administret... Disponat tum spirituali, tum temporali domui suæ, quia morietur... testamentum quisque suum scribat,prout coram Dei tribunali legendum optabit... illud autem tempestive et accurate ac indissolubiliter conficiat... ne post obitum oriantur incommoda ulla, sed omnia inveniantur ita composita, ut fideles universi ædificentur in Domino...

Da mihi, Domine Jesu, ita juxta exemplum tuum paupertatem amare, et exercere misericordiam in pauperes, ut post mortem meam nihil, aut vix quidquam inveniatur quod in bona opera non fuerit erogatum.

De Fortitudine.

Pr. 1. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea.* Psalm. 42.

Pr. 2. Ut intelligam fortitudinis necessitatem,eamque semper Deo nixus exerceam.

I. Quam necessaria sit virtus fortitudinis. II. Quodnam fortitudinis christianæ principium. III. Quomodo acquirenda et exercenda.

I P. NECESSITAS. — Fortitudo christiana, qua homo infirmus res arduas propter Deum intrepide aggreditur... aut infracto animo sustinet... virtus est omni christiano necessaria : quia *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud...*

Matth. 11.

Necessaria præsertim est homini apostolico, quia missio ejus militia est et bellum adversus diabolum et peccatum... *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus*

Ephes. 6.

mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus...

Fortitudine opus est sacerdoti ad *certandum bonum certamen*, ad quod exemplo Apostolorum nos hortatur Ecclesia dicens : *Estote fortes in bello et pugnate cum antiquo serpente...* II Tim. 4.

Nonne mittimur nos, sacerdotes Domini, *sicut oves in medio luporum ?...* Quanta ergo pericula, quanta oppressio nos manent ! Quæ, seclusa fortitudine, quomodo possunt superari ?... Matth. 18.

Nonne persecutiones nobis prædictæ?... *Si me persecuti sunt et vos persequentur...* Joan. 15.

Nonne insuper tentationes sustinendæ ?... *Qui tentationes sustinere nequiverunt*, ait Auctor Imitationis, *reprobi facti sunt et defecerunt...* Kemp.I,13.

Nonne fortitudine indiget pastor bonus, ut quærat ovem perditam per invia et devia... ut portet eam in humeris suis... ut gregem contra lupum defendat et *animam ponat pro ovibus suis ?...* Joan. 18.

Nonne fortitudine indiget ut cum fiducia loquatur verbum Dei, ut non taceat, sed prædicet veritatem super tecta ?... — ut recte administret sacramentum pœnitentiæ?... *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis...* Eccli. 7.

O Domine Deus, video maxime necessariam mihi esse fortitudinem : tu, quæso, robora infirmitatem meam...

II P. FORTITUDINIS PRINCIPIUM. — Ex nobis ipsis non sumus nisi ignavia, timiditas et infirmitas... omne robur nostrum ex Deo est... *Quia tu es, Deus, fortitudo mea...* Quapropter omnis in Deo fiducia est collocanda, et cum propheta clamandum : *Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo ?... Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum... Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es...* Psalm. 24. 22.

Principium fortitudinis nostræ est Spiritus sanctus, qui datus est nobis *ad robur...* quem vocat Dominus *virtutem ex alto*, qua velut armatura *induti sumus...* Luc. 24.

Principium fortitudinis nostræ est fides... *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra...* sed fides illa I Joan. 5.

I Pet. 5. vivida, quæ montes transfert... de qua Petrus : *Resistite fortes in fide.*

Cantic. 8. Principium fortitudinis est charitas : *Fortis ut mors dilectio...*

Principium denique fortitudinis nostræ est ipse Christus Dominus, tum patiens pro nobis... tum in Eucharistia nobis cibus fortium factus... O Domine Jesu, reple nos in Sacramento fortitudine tua, ut tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus... ut sicut martyr tuus Laurentius, hoc cibo nutriti, tormenta et incendia superemus...

III P. PRAXIS. — Acquirenda fortitudo imprimis per orationem. Si enim cum Christo agonizante oravero, Luc. 23. *angelus de cœlo confortabit me*...—Per orationem scilicet assiduam uniar cum Deo et Christo : cujus brachio si innitar, invictus ero... cujus manui si conjungar sicut instrumentum manui artificis, omnipotens fiam...

Fortis efficiar per devotionem erga B. Virginem, reginam Martyrum, auxilium christianorum, quæ serpentis caput immaculato pede contrivit... quæ inimicis spiritua- Cantic. 6. libus *terribilis ut castrorum acies ordinata*...

Fortis efficiar intuendo exempla Martyrum, qui tanta passi sunt tormenta... Apostolorum... ipsius Christi Do- Hebr. 12. mini crucifixi... *Nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes*...

Exercenda autem fortitudo active et passive... id est, in laboribus ac pugnis... in multa patientia... Nunquam indulgendo pigritiæ... nunquam animum despondendo in adversis...

Prov. 16. Exercenda fortitudo in vincendo se ipso : *Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*...

Exercenda in tolerandis proximi defectibus, et in condonandis injuriis omnibus cum charitate...

Exercenda demum semper fortitudo cum temperamento mansuetudinis, ad normam ipsius Dei, qui *fortiter* in omnibus *et suaviter* operatur.

O Domine Jesu, Rex potentissime, Domine virtutum, et fortis in prælio, præcinge me virtute ad bellum, esto fortitudo mea et robur meum...

———3 6———

De constantia et perseverantia.

Pr. 1. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. x, 22.

Pr. 2. Ut intelligam quam necessariæ sint constantia et perseverantia, utque per Dei gratiam in bene cœptis persistam et pergam usque in finem.

I. Constantia. II. Perseverantia.

I P. CONSTANTIA. — Christiana virtus constantiæ, prout a perseverantia distinguitur, illa est qua homo in bona sententia atque in virtute persistit, nec ullis labefactatur quassationibus...

Supponitur sane hic subesse sententia vera ac certa, ut est fides... item virtus vera, ut est fidelitas legi Dei... secus enim non constantia foret sed obstinatio... O Domine, concede mihi per Spiritum sanctum tuum, ut nunquam obstinationem cum constantia sancta confundam.

Necessaria est constantia omni homini christiano, præsertim vero sacerdoti : quia insultus tentationum ac passionum ab omnibus sunt sustinendi... Oportet ut virtus ejus similis sit domui, ædificatæ super petram, quæ ventis pulsata et inundantibus fluctibus, perstat immota... Matth. 7.

Sine constantia sacerdos erit sicut arundo ventis agitata... cum debeat esse columna in domo Dei...

Exemplum constantiæ exhibent Martyres, qui in dirissimis tormentis *immobiles permanent vitæ perennis gratia...*

Exemplum constantiæ apparet B. Virgo Maria, juxta crucem consistens Filii morientis...

Exemplum constantiæ perfectum est Christus Dominus, in sua passione sustinens animo infracto omnes mundi et perversitatis humanæ ac diabolicæ insultus... qui sicut fluctus sævi maris eum inundare quidem, at nihilo magis quam rupem movere possunt... *Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me...* Psalm. 87.

Basis constantiæ christianæ est fides firmissima ac vivida... fiducia quoque in Deo... patientia, de qua Dominus dicit : *In patientia vestra possidebitis animas vestras...* Luc. 21.

demum conformitas seu potius unio cum immobili voluntate divina...

Da mihi, Domine, ita in te per fidem, fiduciam atque conformitatem voluntatis firmari, ut constantiæ et immutabilitatis tuæ particeps efficiar...

II P. PERSEVERANTIA. — Perseverantiæ virtus distinguitur a perseverantia prout est gratia. Perseverantia, scilicet finalis, gratia illa est quam Tridentinum *magnum perseverantiæ donum* appellat... quod tamen justus potest, ut Augustinus ait, suppliciter emereri... Hoc ego frequenter a Domino petam et assidue mereri conabor...

Perseverantiæ autem virtus illa est, qua Christi discipulus in via bona non sistit, nec a bono opere desistit, donec rem perfecerit...

Perseverantia supponit, opus susceptum esse certo bonum... secus non perseverantia sed pertinacia foret. Antequam res suscipiatur, dicebat S. Franciscus Salesius, bene consultandum ac deliberandum est; postquam vero aliquid secundum Deum susceptum fuit, nullo obstaculo relinquendum, sed usque in finem persequendum...

Exemplum perseverantiæ præbet natura,. quæ nullum opus imperfectum relinquit, sed, ut in plantis videre est, a minimo semine deducit ad fructum maturum, vel ad arborem proceram, etsi lente, paulatim et per varias tempestates...

Exemplum perseverantiæ exhibent homines in operibus suis externis, domum ædificandam non relinquentes dimidiatam...

Item, in ordine spirituali, anachoretæ, qui inchoatam viam pœnitentiæ continuant usque ad decrepitam ætatem et felicem mortem... Similiter Apostoli, nullis obstaculis in
Act. 20. suo cursu cedentes... *Nihil horum vereor*, inquit Paulus, *dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu*... Atque ita perseverant
II Tim 4. ut in extremis dicere possint : *Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*...

Exemplum deniquc præcipuum perseverantiæ est ipse Dominus, dicens Patri : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*... Et in cruce : *Consummatum est*...

Utinam, o Jesu, exempla hæc ita sequar, ut et ego opus perficiam quod dedisti mihi... ut consummem ministerium meum in sanctificanda parochia mihi concredita, in instructione parvulorum... in excolendo spiritu pietatis, in lucrandis peccatoribus !...

An necessitatem perseverantiæ tum ad fructum operis... tum ad coronam salutis bene intelligo?... *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ...* — Quid prodest iniisse viam, si non pervenitur ad terminum ?... Apoc.

An non cedo pusillanimitati, tædio, diffidentiæ?... Nonne animum in rebus arduis despondeo?...

Spem bonam, inquit Kempensis, *retinere debes quod ad palmam pervenies; sed securitatem capere non oportet, ne torpeas aut elatus fias...* Kemp. I, 25.

Concede mihi, Domine, gratiam Spiritus sancti ejusque fortitudinem, ut in bona via bonisque cœptis perseverem, atque ita victoriam et coronam merear obtinere.

De patientia.

Pr. 1. *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Luc. XXIV, 26.

Pr. 2. Ut patientiæ excellentiam intelligam, et per Christi passionem in pretiosa hac virtute perficiar.

I. Quare amanda patientiæ virtus. II. Quomodo acquirenda. III. Quomodo exercenda.

I P. PATIENTIÆ AMOR. — Amanda mihi, omnique modo sectanda patientia, 1° quia virtus prorsus necessaria... *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem...* Hebr. 10.

Necessaria quoque, ut Christi patientis simus digni discipuli... et ministri... *Exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus...* II Cor. 6.

Necessaria ut charitatem servemus... *Charitas enim patiens est, omnia suffert, omnia sustinet...* Et merito Kempensis ait : *Oportet amantem omnia dura et amara* 1 Cor. 13. Kemp. III, 5.

propter dilectum libenter amplecti... quia sine dolore non vivitur in amore...

Necessaria ad faciendum fructum in agro Domini : viri
Luc. 8. enim apostolici ii sunt *qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et* tum in se tum in aliis *fructum afferunt in patientia...*

2° Nonne amare debeo patientiam quam Christus Dominus tantopere amavit ?... Nonne aperiens Ecclesiæ Cor suum, crucem in eo plantatam ostendit ?...

3° Nonne patientia me conformem reddit Christo et omnibus Sanctis ?... Nonne animam a maculis purificat...
Kemp. I, 24. virtutibus exornat... meritis divitem facit ?... *Melius est modo purgare peccata, quam in futuro purganda reservare...*

4° Nonne patientia potentem facit opere, sermone et
Prov. 16. exemplo ?... *Melior est patiens viro forti...*

O Domine Jesu, video patientiam esse thesaurum, eamque ex animo concupisco... tu, Domine, per crucem tuam, per patientiam Matris tuæ dolorosæ, redde me patientiæ tuæ participem...

II P. ACQUISITIO. — Ut in patientia proficiamus, præ oculis habere oportet exemplum Christi Domini, ejus sanctissimam passionem... labores... injurias, ingratitudinem, gravamina quælibet ex parte hominum... — Item, exempla
Jacob. 5. Apostolorum et Sanctorum omnium... *Omnes sancti quanta passi sunt !... Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini...*

Præ oculis habenda præmia, fructus qui jam in hac vita
II Cor. 4. homini patienti obveniunt. *Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in*
Kemp. II, 12, It. III, 25. *nobis...* Et pulcherrime liber Imitationis dicit : *In cruce salus, in cruce vita... in cruce gaudium spiritus, in cruce perfectio sanctitatis... Pax tua erit in multa patientia...*

Haurienda patientia ex ejus fontibus, id est, ex vulneribus Domini, et sanctissimo Corde ejus : nimirum ea frequenter contemplando, et per eadem gratiam patientiæ
Isaï. 12. petendo... *Passio Christi conforta me...Hauriam igitur aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

III P. PRAXIS. — Patientia mea esse debet vera et chris-

tiana non ethnica. Vera patientiæ virtus ea est, quæ non tantum tolerat, sed quæ bene tolerat adversa... Patientia ethnica, quæ hac voce depingitur : *Durum : sed levius fit patientia quidquid corrigere est nefas...* Horat. Mala tolerat quatenus necessaria, ex amore proprio, ne per reluctantiam pejora fiant... Patientia autem christiana adversa patitur etiam spontanee, intuitu Christi, et ex quocumque motivo fidei, spei et charitatis...ad satisfaciendum pro peccatis, ad merendum, ad imitandum Christum aut ex amore ejus...

Enitendum ad perfectionem patientiæ, quæ varios habet gradus. Nam pati quis potest dumtaxat absque iracundia et murmuratione tantum... vel cum plena resignatione in voluntate Dei, non aliud volens quam quod vult Deus, quamvis naturæ ingratum... vel demum cum gaudio et gratiarum actione... Ad quem ex his gradibus ego jam perveni ?...

Patiendum est humiliter et dicendum : Peccator sum : longe pejora his ego merui...

Patiendum una cum Christo Domino : *Christo confixus sum cruci...* Galat. 2.

Exercenda est patientia in sufferendis defectibus aliorum... in quotidianis molestiis et incommodis... in ægritudine et infirmitatibus... in confessionali...aliisque ministeriis...

O Domine Jesu, pro me crucifixe, exemplar et dator patientiæ, da mihi, quæso, tecum crucis viam inire, crucem generose portare et nunquam animum despondere... Tu quoque, Beatissima Virgo, quæ patientiæ Filii tui fuisti tam large particeps, impetra mihi eodem sensu repleri, eadem cogitatione armari...

De Mansuetudine.

Pr. 1. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Matth. xi, 29.

Pr. 2. Ut magis magisque amem mansuetudinem Christi, hujusque virtutis spiritu replear.

I. Mansuetudinis amor. II. Ejusdem fontes. III. Ejusdem praxis.

I P. AMOR MANSUETUDINIS. — Amabilissima virtus mansuetudinis vere virtus Cordis Jesu vocari potest, quippe qui se *mitem corde* discipulis exhibet... Nonne igitur et mihi prædilecta virtus erit?...

Nonne Jesu indoles mitissima?... Quapropter *agnus* potius quam *leo* voluit passim appellari... *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum...*

Isaï. 53.

Nonne voluit discipulos suos, præsertim apostolos ac sacerdotes, esse agnis et ovibus similes?... *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos... sicut oves in medio luporum...* Quicumque ergo homo apostolicus mansuetudinem agni non habet, an vere Christi legatus est? Nonne potius luporum indolem sequitur?...

Luc. 10. Matth. 10.

Mansuetudinis amator Deus, mansuetis favores suos largitur. *Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas...*

Psalm. 24.

Nonne mansuetudo virtus pretiosissima?... *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram...* Potientur scilicet imperio cordium. Hominem enim mitem omnes amant, ejusque voluntati facile cedunt... Non resistunt *Agno dominatori terræ...* Facile vincit obstacula, difficultates solvit; et sicut *nihil est arduum humilibus, ita nihil asperum mitibus...* Facile passiones sedat: *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem...*

Matth. 5. Isai. 16. S. Leo. serm. 5. de Epiph. Prov. 15.

Nonne mansuetudo sacerdoti, præsertim animarum pastori, prorsus est necessaria? *Servum Dei oportet mansuetum esse ad omnes...* Nonne, ut effatum habet, melle capiuntur muscæ, strepitu fugantur aviculæ?... Quare discipulis iracundia motis dixit Jesus: *Nescitis cujus spiritus estis...*

II Tim. 2. Luc. 9.

O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus! Da mihi, mitissime Jesu, aliquid de mansuetudine Cordis tui...

Sap. 12.

II P. MANSUETUDINIS FONTES. — Cœlestem hanc mansuetudinem haurire debemus e Corde mitissimo Salvatoris. Nonne vult ut ab ipso eam discamus ac recepiamus?... *Discite*, inquit, *a me quia mitis sum corde...* Discemus

scilicet omnem asperitatem et iram deponere, suavitatemque Domini imitari, intuendo exempla ejus, a melliflua infantia usque ad amarissimam passionem, tam suaviter toleratam... *Qui cum malediceretur non maledicebat ; cum pateretur non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste...* I Pet. 2.

Intuenda præsertim dulcissima ejus nobiscum in Eucharistia præsentia... Hic enim *fons* omnis dulcedinis, *patens domui David et habitantibus Jerusalem...* Zachar. 13.

Quam suavia illa verba e Corde ejus manantia : *Misereor super turbam : quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent ; et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt...* Marc. 8.

Proderit quoque intueri exempla Sanctorum : ut Moysis, *qui*, Spiritu sancto testante, *erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra...* et S. Francisci Salesii, qui per vim mansuetudinis suæ, innumeras animas Deo lucratus est... — O mansuetissime Francisce, fac me tuum exemplum imitari.

III P. PRAXIS. — Practice, ad corroborandum mansuetudinis spiritum, cum oratione et recursu ad Cor Jesu conjungendum est exercitium : reprimenda omnis iracundia... impatientia... asperitas in conversatione cum proximo... S. Franciscus Salesius fatebatur, si quid mansuetudinis haberet, illud se exercitationi debere, et ope examinis particularis ac generosa sui victoria comparasse...

Sectanda humilitas, quæ non tantum soror est mansuetudinis, sed mater... *Quia mitis sum,* inquit, *et humilis corde...*

Exercenda mansuetudo verbis... ac modo agendi... imo affectibus cordis... faciendo ut omnia in me sint suavitati Jesu conformia.

Exercenda in omni occurrente molestia, importunitate... ut non vincat nos impatientia...

Exercenda ita, ut non separetur a debita fortitudine : fortiter et suaviter...

Exercenda tum in docendis pueris... tum præsertim in confessionali erga miseros peccatores, suavitate semper fortitudinem temperando...

Fiat demum oratio ad mitissimum Cor Jesu, ad suavissimum ac tenerrimum Cor Mariæ, ut postuletur mansuetudinis augmentum...

De reverentia.

P. 1. *Serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia.* Hebr. XII, 28.

Pr. 2. Ut intelligam quid sit et quam necessaria virtus reverentia, eamque semper rite custodiam ipse, et fidelibus commendem.

I. Quid sit et quam necessaria reverentiæ virtus; II. quomodo reverentia a me exercenda.

I P. NOTIO AC NECESSITAS. — Reverentia virtus est, qua Deo et eorum quæ ad Deum quomodocumque pertinent, excellentiam agnoscimus cum aliquo timore. Sic, Dei majestatem, potentiam, sanctitatem qui considerat... vel Sanctos ejus... vel quæ cultui ejus consecrata sunt... vel opera ejus, homines præsertim ad imaginem ejus creatos, Christi sanguine redemptos... vel mandata ejus et hominum jura, quæ vetat violari... hæc, inquam, qui considerat, naturaliter reverentiæ sensu movetur...

Timor, qui reverentiæ inest, procedit ex superioritate in re quam revereor apprehensa. Deum scilicet sine aliquo timore intueri non possum, quia tremendæ est majes-
Psalm.110. tatis, si quo peccato offendatur... *Sanctum et terribile nomen ejus...*

Hinc etiam erga reges et principes, erga superiores quoslibet, ut sacra auctoritate investitos, imo erga personas mihi inferiores, timorem reverentialem sentio propter Deum, saltem confuse apprehensum...

Non minus necessaria censenda hæc reverentia quam timor Dei, cujus reverentia velut custos est... nec minus quam religio, cujus pars ; aut quam oratio, cujus est conditio requisita... Nonne summam videmus Christi orantis reverentiam in horto Olivarum, propter quam, ut Apos-

tolus scribit, exaudiri meruit : *Qui preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia...* Hebr. 5.

Nonne sacerdoti imprimis reverentia necessaria est, qui in rebus sacris, in sacrificiis, sacramentis et orationibus perpetuo versari debet?... *Constituitur in iis quæ sunt ad Deum...* Hebr. 5.

Reverentiæ opponitur contemptus... et qui reverentia caret, facile offendet eum quem non reveretur... imo, absentia omnimoda reverentiæ fit impietas et extrema perversitas : *Impius, cum in profundum venerit* peccatorum, *contemnit...* Prov. 18.

Scriptura sacra hominem absque reverentia se exhibentem, derisorem appellat, eumque ut impium traducit : imo ut impium tam male dispositum, ut vix possibile sit eum ad meliorem frugem adducere... *Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium, sibi maculam generat...* Prov. 9.

Nonne Salvator in Evangelio hominem pessimum, quem *judicem iniquitatis* vocat, eum fuisse dicit, qui Deum non timeret nec hominem revereretur?... Luc. 18.

Reverentia porro interna est vel externa... prout in corde manet, vel externis actibus manifestatur...

Intelligo, Domine, reverentiam mihi esse prorsus necessariam : da mihi, quæso, gratiam Spiritus sancti tui, ut reverentiæ Cordis tui efficiar particeps.

II P. REVERENTIÆ EXERCITIUM. — Sacerdos imprimis reverentiam exhibere debet Deo, ejusque cultui : nimirum in Sacramento altaris... in sacrificio missæ... nec tantum internam, sed etiam externam illam quam Tridentina synodus *devotionis ac pietatis speciem...* appellat... Item in administratione sacramentorum... in omni oratione, et nominatim ubi orat in templo, ad exemplum populi... Sess. 22. in decr.

Reverentiam exhibere debet respectu superiorum... confratrum... fidelium omnium, etiam pauperum, peccatorum, puerorum...

Reverentiam servare debet erga se ipsum, ubi solus est... erga angelum custodem... erga Deum ubique præsentem...

Reverentiam spirare debent verba ejus, præsertim ubi de Deo loquitur aut de rebus sanctis.

Reverentiam alios doceat: pueros erga parentes... divites erga pauperes... unumquemque erga proximum... omnesque fideles erga Deum ac res divinas...

An ita ipsemet ego reverentiam servo?... eamque exemplo ac verbis fideles doceo ?...

O Domine Jesu, da mihi spiritum reverentiæ, ut sancte possim in domo tua conversari, sancteque sacerdotalia munia implere... nec unquam obliviscar, fideles mihi concreditos esse oves *tuas*, negotiaque incumbentia esse *tua*, adeoque sanctissime ac reverentissime tractanda.

De amando decore domus Dei.

Pr. 1. *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Psalm. 25.

Pr. 2. Ut in spiritu fidei clare videam sanctitatem domus Dei, et zelo replear decoris ejus procurandi.

I. Domus Dei quæ sit ; II. quare decor ejus cordi habendus ; III. quomodo procurandus.

I P. DOMUS DEI QUÆ ? — Non solum domus Dei cœlum est, ubi cum electis suis habitat sicut Pater cum filiis, eis thesauros gloriæ aperiens... *Pater noster, qui es in cœlis...*

1 Cor. 3. verum etiam anima christiana : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ?...* deinde Ecclesia, a Christo ædificata, quæ domus ejus mystica est :

Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis...* demum ædificium sacrum, manufactum, cultui publico destinatum, quæ est domus Dei corporea ubi Christus Dominus corporaliter residet in medio populi sui... An fide vivida hæc mysteria credo ?...

O quanta Dei bonitas erga filios hominum ?... Quanta

Deut. 4. christiani populi magnitudo et felicitas ! Vere *non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris...*

Quam jucundum portare Deum in tabernaculo cordis

mei ! *Non timebo mala*, Domine, *quoniam tu mecum es*... Quanta consolatio possidere Christum Dominum nobiscum habitantem ! *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini*... Quam bonum sacerdoti in templo ipsummet habitare, sicut fidelem famulum in domo Domini sui ! *Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*... Psalm. 22. Psalm. 83. Psalm. 26.

Nonne hæc terrestris domus Dei est porta cœli ? *Vere Dominus est in loco isto... non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli*... Utique porta et quasi atrium cœlestis Jerusalem ; adeo ut sacerdos, qui digne in hoc templo gratiæ versatur, inde ingressurus sit in templum gloriæ, et lætabundus cantare possit cum propheta : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*... Quanta gratia, Domine, mihi indigno famulo tuo concessa ! Quid retribuam ?... Gen. 29. Psalm. 121

II. P. DECOR TEMPLI AMANDUS. — Si tanta Dei misericordia ut nobiscum habitare dignetur, nonne ex parte nostra requiritur ut dignum ei habitaculum paremus ?... An in corde meo imprimis dignum ei præparo hospitium... mundum... illuminatum... virtutibus ornatum ?...

Deinde, an decorem domus Dei procuro in animabus fidelium ? Non sine causa quotidie in altari dico : *Domine, dilexi decorem domus tuæ*... præpositus scilicet domui Dei, ut omni modo ejusdem curam habeam, et in cordibus fidelium dignum Deo habitaculum parem...

An sollicite curo ut templum publicum, ubi Filius Dei cum sua humanitate habitat, quantum fieri potest, tantæ majestatis dignum appareat ?... Quid, si majorem curam habeam domus meæ quam domus Domini ac Dei mei ?... Nonne Christus Dominus voluit a discipulis suis parari *cœnaculum grande stratum*, ubi tanquam in prima ecclesia sacra mysteria celebraret ?...

O Domine Jesu, adauge mihi fidem, adauge zelum, ut in veritate dicam quotidie : *Domine, dilexi decorem domus tuæ*...

III P. PRAXIS. — Procurandus est decor domus Dei secundum illud : *Domum tuam decet sanctitudo,* Psalm. 92.

Domine, in longitudinem dierum... Scilicet, si agatur de templo spirituali animæ, decor ejus in eo consistit ut sit *sancta* et munda ab idolis et sordibus et tenebris... atque insuper ornata...

Si sermo de corporali loco divini cultus, *sanctitudo*, id est ornatus sanctus requiritur, ad quem tria concurrunt : imprimis mundities et nitor in omnibus, præsertim in vasis ac linteis altaris...

Accedit splendor cultus et officiorum, quo et majestas rerum divinarum commendatur, et mentes fidelium ad earum intelligentiam elevantur.

Demum requiritur pietas sacerdotis, ministri Domini. Ornatus enim templi et officiorum pompa ad laudem Dei et verum decorem domus ejus parum valerent, nisi in his omnibus adesset sacerdos Domini pietate conspicuus... Nonne sacerdotis pietas publici cultus velut anima est et præcipuum templi ornamentum ?... Ipse lampas est sanctuarii ; imo, ut Scriptura loquitur, *quasi sol refulgens, sic ille in templo Dei...* An talis ego sum ?... Eccli. 50.

O Domine, quam multa hic in servo tuo desiderantur ! Da mihi, quæso, ita in domo tua conversari, tamque studiose templi ornatum procurare, ut in veritate dicere possim quotidie : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ.*

De recreatione sanctificanda.

Pr. 1. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* I Cor. x, 31.

Pr. 2. Ut intelligam quanti momenti sit recreationem sanctificare, discamque nihil in hac parte admittere quod inordinatum sit.

I. Quare recreatio sanctificanda ? II. Quomodo ? III. Quinam hic defectus vitandi ?

I P. QUARE ? — Curandum mihi est ut recreationis exercitium sanctificem, quia, ut Apostolus monet, omnia opera nostra sanctificanda sunt... illa etiam quæ ad corporis cu-

ram pertinent, et minus digna quæ Deo offerantur videri possint : *Omnia*, inquit, *in gloriam Dei facite*... Porro inter opera hujusmodi, suum locum occupat illa corporis mentisque instauratio, quam recreationem vocamus... et quæ, si sancte ut sacerdotem decet adhibeatur, multum juvat ; sin vero minus recte usurpetur, incommoda multa et pericula inducere solet...

Recreatio res est non tantum in se honesta ; sed, si recte instituatur, virtutis rationem habet, quæ, ut S. Thomas docet, ad temperantiam et modestiam pertinet...

Nonne ipse divinus Pastor fatigatus consedit ad fontem Sichar, quiete et colloquio sancto vires reficiens?... Nonne apostolis suis, post labores exantlatos, quietem et refocillationem indulsit, dicens : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum?*... Invitat eos ad quiescendum *paulisper*, et quidem *cum Domino suo*... Marc. 6.

Si sancte instituatur recreatio, plurimum juvat in Domino. Non solum enim corporis mentisque reficit vires ; sed confert insuper ad unionem fraternam, et ad illud gaudium sanctum, quod tantopere Dei servis commendat Apostolus, scribens : *Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete*... Imo confert ad profectum in spiritu, secundum illud : « Juvat non parum ad profectum spiritua- « lem devota spiritualium rerum collatio : maxime ubi « pares animo et spiritu in Deo sibi sociantur. » Phil. 4. Kemp. I, 10.

Concede mihi, Domine, semper exercitium istud sancte instituere, ut ejus fructus percipiam, nec detrimenta patiar quæ recreationis abusu oriuntur...

II P. QUOMODO. — Ad sanctam et vere sacerdotalem recreationem requiruntur tria : ut pia sit, jucunda et ordinata.

Pia erit, si fiat intentione pura et recta, non ad solam voluptatem... ad reficiendas conservandasque vires pro Dei obsequio et salute animarum...

Erit jucunda, si fraterno gaudio nos tradamus in spiritu charitatis : modo colloquentes, modo cuipiam ludo vacantes... Quod si solus habitet sacerdos, recreationem quoque invenire poterit, in curandis horti sui arboribus, in colendis flosculis, in alendis aviculis, vel in exercitio musico, aut re simili...

Tullius, de offic. l. 1. Ordinata erit et moderata recreatio, si suo tempore fiat et suo tempore finiatur... Ludo et joco uti licet, aiebat philosophus antiquus, sed tum, quum gravibus seriisque rebus satisfecerimus...

Da mihi, Domine, has fideliter conditiones servare, ut recreatio mea exercitium vere sanctum ac sacerdotale evadat, et a defectibus immunis, qui ecclesiastico spiritui tam funesti esse solent...

III P. DEFECTUS. — Vitandi sunt in recreationis usu tres defectus præcipui : inhonestas, offensio et excessus...

Cavendum ne quæratur recreatio in rebus sacerdotali gravitati ac dignitati minus congruentibus, aut divina vel ecclesiastica lege prohibitis : quales essent strepitosæ venationes, compotationes, pravæ lectiones...

Caveatur offensio Dei vel proximi : absint joci mordaces, verba contumeliosa, detrectatoria... absint risus dissoluti et quidquid modestiæ adversatur... absint scurrilitates triviales : *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*... absint ineptæ facetiæ, ore sacerdotali indignæ, et labiis quotidie verba consecrationis proferentibus...

Coloss. 4.

Ne jocis immisceantur res sacræ, vel sententiæ ac textus divinæ Scripturæ, quam Tridentinum vocat irreverentiam et contemptum, imo violationem verbi Dei...

Caveatur excessus : ne frequentiores sint recreationes, ne diutius protrahantur, ne plus æquo clamosæ sint et effusæ... Hinc enim sequitur spiritus dissipatio, temporis perditio, scandalum populi... Dicunt facile homines : en quomodo tempus consumant nostri sacerdotes, dum nos in sudore vultus laboramus...

Da mihi, Domine, hujusmodi defectus quam diligentissime vitare, statuendo mihi justam in hac materia regulam... et recreationis exercitium semper sanctificare, nunquam obliviscendo divinæ tuæ præsentiæ, secundum illud Spiritus sancti verbum : *Exultent justi in conspectu Dei*...

Psalm. 67.

De pace servanda.

Pr. 1. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat ego do vobis.* Joan. XIV, 27.

Pr. 2. Ut pacem Domini toto corde quæram, et constanter studeam conservare.

I. Pax Domini quænam et qualis sit. II. Cur sectanda. III. Quomodo conservanda.

I P. PAX DOMINI. — Plurimum interest rite intelligere quæ et qualis sit vera pax a Domino nobis data. Scilicet hæc animæ pax, donum Spiritus sancti, serenitas quædam est cordis tranquilli, in Deo quiescentis...

Hæc autem pax sancta in quo sita est aut fundatur ? Non in externis gaudiis, quæ mentem obstupefaciunt, nequaquam vere tranquillant... *Non quomodo mundus dat...* Proinde, neque in bonis quibusvis terrenis : *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis !* multoque minus, si bona hæc fuerint peccaminosa : *Non est pax impiis...* Eccli. 41. Isaï. 48.

Neque sita est vera pax in fausto nostrorum operum successu... neque in favore hominum : qui sane favor *quantum fieri potest* conservandus est : *Si fieri potest*, inquit Apostolus, *cum omnibus hominibus pacem habentes...* At ubi vitia corripienda, ubi propter Dei causam agendum vel loquendum, nequaquam tacere licet ratione pacis, quæ pax falsa foret...

Neque pax Christi Domini sita in absentia crucis, vexationis atque commotionis, etiam internæ... Quod patet ex eo, quod neque in horto Olivarum, neque in angustiis crucis suæ Christus suam pacem amiserit...

Sita est autem et fundatur in unione voluntatis nostræ cum voluntate divina... sicut pax Christi, pax animæ ejus, firmabatur in voluntate Patris : *Non mea voluntas, sed tua fiat...* — Quæ unio cum divina voluntate quanto intimior, tanto pax perfectior... At in parte animæ superiore residet, ut sol in firmamento, ubi serenus manet dum infe- Luc. 22

riores mundi regiones obnubilantur... Quare dictum : *Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Conformitas hæc pacifica cum voluntate Dei includit, ut patet, et conscientiam puram... et mortificationem passionum, ut obediant rationi juxta divinam voluntatem imperanti...

O Domine, da mihi pretiosam hanc quam mundus dare non potest pacem...

II P. CUR PAX QUÆRENDA ? — Nonne maxime nobis a
Psalm. 33. Domino commendatur ?... *Inquire pacem et persequere eam*... Nonne incessanter eam postulat Ecclesia et apprecatur fidelibus ? *Pax Domini sit semper vobiscum.*

Dein pretiosa est pax atque animæ maxime proficua.
Psalm. 75. Deum enim attrahit in sanctuarium cordis : *Factus est in*
III Reg. 19. *pace locus ejus*... E contra, *non in commotione Dominus*... — Anima in pace composita facile orabit... et mox
Matth. 5. florebit omnigenis virtutibus... ac beata erit : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Demum pax animæ prodest successui operum exteriorum : juvat enim ad prudenter agendum... neminem offendit sed potius hominum corda lucratur, passiones sedat,
Kemp. II, 3. discordias componit... « Tene te primo in pace, inquit « liber Imitationis, et tunc poteris alios pacificare. Homo « pacificus magis prodest quam bene doctus... Bonus paci- « ficus homo omnia ad bonum convertit. »

O Domine, da mihi tuam pacem...

III P. QUOMODO ? — Ut pace Domini fruamur, necesse imprimis ut a peccato mortali liberi, in statu gratiæ viva-
Isaï. 48. mus et conscientiam habeamus tranquillam : quia *non est pax impiis, dicit Dominus.*

Deinde intuitus fidei in divina voluntate defigendus, et dicendum in omnibus : *Non mea voluntas, Domine, sed tua fiat !...*

Matth. 11. Alii fontes pacis sunt, humilitas : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*... obedientia, præsertim confessario... fidu-
Hebr. 6. cia in Deo, quæ est *anchora animæ tuta ac firma*... demum patientia. Recte namque Kempensis sic Christum
Kemp. III, 25. inducit loquentem : *Pax mea cum humilibus et mansuetis corde : pax tua erit in multa patientia...*

Et alibi : *Fili, nunc docebo te viam pacis et veræ libertatis :* Ibid. 23.

Stude alterius potius facere voluntatem quam tuam.

Elige semper minus quam plus habere.

Quære semper inferiorem locum et omnibus subesse.

Opta semper et ora, ut voluntas Dei integre in te fiat.

Quod si interdum turbatus fueris quacumque de causa, vade, humilia te ex animo coram Domino, et pacem recuperabis.

O Domine Jesu, qui dixisti discipulis tuis : *Pacem meam do vobis*, da servo tuo illam quam mundus dare non potest pacem : ut cor meum mandatis tuis sit deditum, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

De tristitia.

Pr. 1. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. v, 5.

Pr. 2. Ut intelligam quæ sit tristitia sancta et quænam prava ; utque discam hanc rejicere semper et fovere illam.

I. Quæ tristitia sancta et quomodo amanda ? II. Quæ tristitia prava et quomodo fugienda ?

I P. TRISTITIA SANCTA. — Dari sanctam tristitiam, salutarem luctum, significat Dominus dicens : *Beati qui lugent...* et ostendit nobis in horto Olivarum, ubi summam tristitiam sentire voluit : *Tristis est anima mea usque ad mortem...* Matth. 26.

Tristitia autem sancta et secundum Deum, oritur ex causa sancta... et pro objecto habet vera mala, quæ ipse Christus Dominus deflevit... cujusmodi sunt peccata... propria cujusque et aliena... scandala et animarum perditio... propria infirmitas, exiguus in virtute progressus, et corruptio naturæ, quam luget Apostolus, scribens : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus ?...* — Deinde sancti luctus principium est desiderium cœlestis patriæ : *Heu* Rom. 7.

Psalm. 119. *mihi ! quia incolatus meus prolongatus est*... compassio cum Christo Domino, pro nobis tam dire cruciato in vita sua mortali... tamque amare afflicto in vita eucharistica...

Tristitia sancta non est morosa, sed mixta suavitate, et, ut Cassianus ait, *quodammodo læta*... animum non dejicit, sed excitat ad Dei obsequium... nec minuit charitatem erga proximum, sed ad omnem virtutem movet... nec faciem obnubilat... quia anima tristis ob peccata, gaudet semper in divina misericordia...

Kemp. I, 21. Vix differt hæc tristitia Domini a spiritu compunctionis, de quo Kempensis ait : *Compunctio multa bona aperit... Da te ad cordis compunctionem, et invenies devotionem*..

Domine Jesu, per tuas lacrymas, per tuam in horto Olivarum sanctam tristitiam, da mihi tristitiam Cordis tui... Beatissima Virgo, Mater, fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam...

II P. TRISTITIA PRAVA. — Prorsus diversa est tristitia prava seu mundana, quæ procedens ex causa nequaquam sancta... pro objecto habet mala, quæ oculis Dei mala non sunt, imo potius Dei dona, etsi amara aut medicinalia, dicenda forent... Hujusmodi sunt adversa fortuna et paupertas... detrimentum quodlibet in rebus temporalibus... morbi ac dolores corporis... mors amicorum... injuriæ ac molestiæ illatæ... opus infauste succedens... monitum, reprehensio, vel mandatum superioris minus gratum... et quidquid demum grave, injucundum et genio ac naturali voluntati contrarium occurrit...

Communissima mundanæ tristitiæ causa est amor proprius, quomodocumque læsus... vel affectus ad personam quampiam, obstaculo prohibitus... Huic tristitiæ remedium est abnegatio evangelica...

Eccli. 3. Fons magnus tristitiæ est negligentia et tepor in divino obsequio : *Cor nequam gravabitur in doloribus*... Remedium est fervor, qui gaudium parit...

Eccli. 30. Effectus ac damna tristitiæ sunt funestissima, nec immerito Spiritus sanctus dicit : *Tristitiam longe repelle a te : multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in*

II Cor. 7. *ea*... Et S. Paulus : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur*...

Nonne tristitia tua fastidium affert rerum spiritualium, orationis, meditationis ?... Nonne amaritudinem erga proximos, suspiciones, impatientiam ingerit, et quidem sine ulla rationabili causa ?... Nonne diabolo viam sternit, favetque insidianti ?... *Facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ*... Nonne diabolum adjuvat ut facile animam in dejectionem, desperationem, aut in prava oblectamenta impellat ?... Nonne demum ad infirmitatem ac mortem, non solum animæ sed et corporis deducit?... *A tristitia festinat mors.* Psalm.103. Eccli. 38.

Remedia, præter ea, quæ jam superius indicata, duo sunt magna et certissima : humilitas et oratio...

Humilitas est regio pacis, quietis et gaudii... *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Matth. 11.

Juvat oratio : nam si colloquium cum hominibus solatium animabus mœstis afferre solet, quanto magis colloquium cum Deo ?... *Tristatur aliquis vestrum ? Oret*... Jacob. 5.

Quandoque tristitia ex naturali melancholia oritur : tunc partim arte medica, partim patientia et labore assiduo potest leniri...

Aliquando quasi sine causa mœstitia exoritur : tunc magnanimitate, patientia et sui victoria superanda est...

Domine Jesu, da mihi tecum sancte tristari... omnique mundana tristitia remota, quascumque temporales ærumnas sine mœrore, imo cum gaudio sustinere.

De gaudio. Gaudium duplex.

Pr. 1. Spectare Dominum in ultima cœna, discipulis dicentem : *Ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* Joan. xv, 11.

Pr. Petere gratiam ac fructum hac meditatione intentum : ut nempe intelligam quodnam sit gaudium Domini, eoque semper cor meum animetur.

1. Gaudium pravum fugiendum. II. Gaudium sanctum conservandum.

I P. GAUDIUM PRAVUM. — Satis clare ostendit Dominus

Luc. 6. gaudia quædam esse prava et fugienda, ubi dicit : *Væ vobis qui ridetis nunc : quia lugebitis et flebitis...* Est autem istud gaudium hominum mundanorum, qui lætantur ob bona terrena, vana... periculosa... vel inhonesta.

Hujusmodi gaudia animam dissipant, ineptamque reddunt rebus divinis... inducunt tristitiam, amaritudinem ac tribulationes carnis multas... et innumera peccata... quæ demum consequuntur fletus æterni... Qui vult jocari cum diabolo, dicebat S. Petrus Chrysologus, non poterit gaudere cum Christo... et, Spiritu sancto testante, *extrema gaudii luctus occupat...*

Prov. 14.

Itaque christianus, præsertim vero sacerdos, *mundi gaudia hujus caduca respuat; luculenta prædia et oblectamenta terrena polluta sorde reputet, ut ovans cœlestia teneat* et gaudere possit in Domino : *Ego vero in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo...*

Habac. 3.

II P. GAUDIUM SANCTUM. — Est gaudium sanctum, quod et *gaudium in Spiritu sancto, gaudium in Domino* vocatur, eorum qui ob bona spiritualia lætatur... præsertim illa quæ in Domino Jesu possidemus.

Hoc porro gaudium, essentialiter spirituale, licet in sensus redundare possit, non semper sensibile est... semper tamen suave et delectabile. Datur enim intellectualis delectatio, qualem in contemplatione veri et boni experitur anima recta : ut si legat in historia vel audiat nuntiari eventus faustos, qui ad triumphum ordinis et justitiæ pertinent... O Spiritus sancte, da mihi per illustrationem sanctam tuam recta sapere et tua semper consolatione gaudere...

Gaudium quidem perfectum dumtaxat in patria datur cœlesti... at imperfectum jam prægustatur in præsenti exilio, de quo Christus Dominus : *Gaudium meum in vobis sit...*

Joan. 15.

Jam vero summopere nobis gaudium in divino servitio commendatur. Nam præter expressa Christi Domini verba, idem frequenter Spiritus sanctus tum per prophetas, tum per apostolos monet : *Servite*, inquit, *Domino in lætitia... — Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete...*

Psalm. 99. Philipp. 4.

Idem commendatur a Sanctis. Dicere solebat S. Franciscus, tristari quidem debere diabolum et pravos homines... oportere autem ut servi Dei gaudeant semper, cum rationes omnes lætandi habeant in Christo... tristandi vero nullam... — Et Salesius : Sanctus qui tristis est, mediocris est Sanctus...

Quænam motiva sunt Deo gaudenter serviendi ? Imprimis quia hoc necessarium est : nonne secus incidimus in tristitiam et in pericula omnia et damna tristitiæ ?...

Accedit voluntas Dei, qui non secus ac homines requirit, ut sibi a famulis libenti animo hilarique facie serviatur... *Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus...* II Cor. 9.

Obsequium lætum majorem præstat gloriam Deo, cum amorem denotet et voluntatem plura faciendi ; cumque gloriosum Deo sit famulos habere tam devotos... *Cum jejunas*, inquit Dominus, *unge caput tuum et faciem tuam lava...* Matth. 6.

Idem progressui favet in virtutibus : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum...* Psalm. 118.

Nonne præterea proximum ædificat et virtutem reddit amabilem ?... Nonne meritum auget, cum juvet ad melius operandum ?... *Delectatio perficit operationem, tristitia corrumpit.* Aristot.

Lætitia sancta effectus est et indicium inhabitantis Spiritus sancti in anima : *Fructus autem Spiritus est gaudium* Galat. 6.

Demum, nonne pignus est perseverantiæ ? Quemadmodum enim ille qui suspirando et valde gravatus onus portat, judicatur fore ut non longe progrediatur ; ita ille, qui erecto corpore hilarique vultu laborem sustinet, usque ad finem perseveraturus censetur.

Quam necessaria itaque quamque exoptabilis hæc lætitia sancta ! An ego semper hoc spiritu animatus Deo servio, tribulationes sustineo ?...

O Domine, redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me... Da mihi, o Jesu, gaudium Cordis tui, ut superabundem gaudio in ipsis tribulationibus meis...

De gaudio sancto. — Impedimenta, fontes.

—

Pr. 1. *Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete.* Phil. IV, 4.

Pr. 2. Ut bene cognoscam et removeam quæcumque sanctæ lætitiæ contraria sunt ; omnique tempore gaudere in Domino perseverem.

I. Gaudii sancti impedimenta. II Ejusdem fontes.

I P. IMPEDIMENTA.— Non pauca occurrunt quæ animam impediunt, quominus in Domino gaudeat semper : eaque vel ex nobis ipsis,vel ex rerum natura, vel ex parte diaboli proveniunt.

Sunt autem hæc peccata nostra, sive mortalia, sive venialia... Quæ quidem obstaculum afferunt gaudio sancto, sed tale, ut statim ac corde pœnitente ea detestamur, et ad divinam misericordiam confugimus, evanescat... *Asperges me hyssopo et mundabor ; lavabis me et super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam...*

Psalm. 50.

Deinde prava conscientia, dilatio conversionis... Nonne hinc nascuntur remorsus et timores ?...

Horror difficultatis, laboris ac certaminis in via Dei subeundi, oriens ex modica in divino auxilio fiducia...

Amor proprius, adhæsio et affectus ad terrenas res vel personas...

Scrupuli et anxietates animæ, procedentes ex conscientia perperam formata, et defectu obedientiæ erga confessarium...

Adversitates propriæ, et quidquid homini sive in suis naturalibus donis... sive in suo statu et officio... sive in sua familia aut in negotiis... injucundum occurrit... quo referuntur tentationes, ariditates ac desolationes internæ... — His addantur miseriæ aliorum,et quilibet eventus tristes hujus mundi... Quibus omnibus facile turbamur atque tristamur, nisi manum Domini videamus absconditam, omnia sapientissime ac benignissime disponentem, ad hominum, præcipue electorum, salutem, ad Ecclesiæ et Christi sui exaltationem et gloriam...Manus enim Dei *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia*

Sap. 8

suaviter... adeo ut *diligentibus eum omnia cooperentur in bonum*... Rom. 8.

Præterea cor constringit occulta quædam de bono aliorum successu, invidia, oriens ex defectu humilitatis et charitatis... — Demum ipsa indoles et corporis dispositio melancholica : cui indulgere non licet, sed patientia et hilaritas, quæ mortificationis est fructus, opponenda...

An omnia hæc obstacula generose vinco ?... Da mihi, Domine, virtute Spiritus sancti animo meo generose dominari, ut dilatato corde vias tuas decurrere possim...

II P. GAUDII FONTES. — Causæ seu fontes gaudii sunt conscientia bona, conformitas voluntatis cum voluntate divina, oratio et considerationes sanctæ.

Conscientia bona intelligitur illa, quæ pura est a culpis et pura a scrupulis... *Non est oblectamentum sicut cordis gaudium*... Et : *Secura mens quasi juge convivium*... Eccli. 30. Prov. 15.

Conformitas et unio cum divina voluntate principium quoddam stabilitatis est, quo fit ut gaudeamus in Domino semper... Voluntas enim nostra tunc semper rationabiliter contenta existit, cum consonat et consentit voluntati divinæ, in qua, utpote summe bona, rationabiliter et suaviter conquiescit... Da mihi, Domine, hanc perfectam cum tua sanctissima voluntate, omnibus in rebus conformitatem : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*...

Fons quoque gaudii est oratio atque omne commercium cum Deo. Quid enim suavius quam divino frui colloquio !... *Non habet amaritudinem conversatio illius ; sed lætitiam et gaudium*... Quam jucundum cum Christo Domino colloqui !... cum B. Virgine, aliisque Sanctis atque angelis sermocinari !... Quantum gaudium foret animæ cui Christus Dominus vel Beatissima Virgo visibiliter appareret et secum loqui concederet !... Jam vero, nonne eadem gratia nobis omnibus etsi sub velamine fidei, conceditur ?... Sap. 8.

Demum fontes gaudii sunt consideratio divini amoris erga nos... Dominus Jesus amat me, quamvis indignum... Beatissima Virgo amat me, ut tenerrima Mater !...—Item consideratio divinæ Providentiæ, omnisciæ, omnipotentis et benevolentissimæ... consideratio brevitatis tribulationum hujus vitæ... demum prospectus paradisi nobis parati :

Matth. 5. *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis...*

O Beatissima Virgo, quæ merito diceris causa nostræ lætitiæ, o vita, dulcedo ac spes nostra suavissima...dissipa, quæso, omnia nubila mundanæ tristitiæ, ut anima mea efficiatur gaudii particeps Cordis tui immaculati et Cordis amantissimi Filii tui...

De conformitate cum voluntate Dei. Motiva.

Pr. 1. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Joan. VI, 38.

P. 2. Ut intelligam quam necessarium mihi sit, quamque pretiosum, voluntatem meam divinæ voluntati perfecte conformare, utque id exemplo Christi efficere valeam.

I. Quam necessaria sit voluntatis nostræ cum divina conformitas ; II. quam excellens ; III. quam fructuosa.

I P. NECESSITAS. — Nonne justum est ac prorsus necessarium, ut in omnibus me voluntati Dei subjiciam ?... Deus enim supremus Dominus est qui, sicut omnia fecit, ita omnia gubernat... cujus caput cinctum diademate æterno, auctoritate scilicet summa et ineluctabili : *Quoniam omnia serviunt tibi, Deus... Quis resistet tibi ?...* Quare in omni eventu dicendum : *Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat...*

Psalm. 118 ; 75. Reg. 3.

Nonne Deus quoque Judex est, indeclinabilis, omnipotens, qui omnem rebellionem adversus justissimam suam voluntatem severe puniet ?... Ne ergo quispiam audeat huic resistere voluntati...

Nonne idem Pater est, optimus, sapientissimus, amantissimus ? Novit indigentias nostras... novit quæ sint proficua nobis, quæve nociva ; disponitque cuncta fortiter, suaviter et amanter nobis, qui sæpius quæ vere nobis prosint ignoramus et quæ nocent appetimus... Quare si filius

quilibet patris voluntati accommodare sese debet, quanto magis nos oportet talis Patris beneplacito assentiri ?...

Nonne hanc conformitatem docuit nos Christus Dominus exemplo suo, a nobis omnibus imitando ? *Descendi,* Joan. 6. inquit, *de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me...* et alibi : *Ego quæ placita sunt ei facio semper...* Nonne in horto Olivarum ostendit, in rebus maxime arduis, non aliud se velle quam Patrem ? *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix* Matth. 2. *iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu...* — Divinum Magistrum secuti sunt omnes Sancti. Beati Martyres Epictetes et Astion, a Diocletiano in tormentis positi, clamabant : *Christiani sumus. Domine Jesu, tua voluntas semper in nobis fiat! ..* Qui clamor sensum exprimit omnium Sanctorum... Sit etiam hæc eadem vox mea, Domine Jesu, in omni eventu, in omni re occurrente : *Fiat voluntas tua!...*

II P. EXCELLENTIA. — Quid melius, sapientius vel sanctius divina voluntate inveniri possit ? Divina enim voluntas maximam Dei gloriam continet, cum ad hanc necessario ac perfectissime tendat... et proinde quomodo sapientius aut melius nostra libertate uti possimus, quam liberam nostram voluntatem divinæ voluntati alligando ?... Nonne quoque gloriosissimum Deo est servos habere ita devotos, ut in omnibus, in vita ac morte voluntatem ejus æqualiter exsequantur ?...

Cum divina voluntate conformitas nonne est perfecta charitas ?... *Fideles in dilectione acquiescent illi...* — Sap. 3. Nonne est compendium vitæ ac sanctitatis Christi Domini ? *In capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, vo-* Hebr. 10. *luntatem tuam...*

Continet sacrificium Deo gratissimum, cordis ac voluntatis : *Præbe, fili, cor tuum mihi...* Merito dicebat Prov. 33. Magister Avila : *Si gratias Deo agimus in adversis, plus efficimus quam tribuendo mille laudes in prosperis...*

Fac Domine, ut semper ex animo dicam quod me postulare docuisti : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra...*

III P. FRUCTUS. — Pretiosissimi sunt sanctæ hujus confor-

mitatis fructus : et quidem imprimis pax et felicitas. Etenim veræ via pacis alia non est, quam in omnibus quærere et amare voluntatem Dei... nec alia perturbationis causa, nisi quod res contrarie nostræ voluntati eveniunt... Per conformitatem scilicet cum divina voluntate omnia secundum voluntatem nostram fluunt, omnia desideria nostra implentur... Hinc : *Pax hominibus bonæ voluntatis*... — Non quod homo divinam voluntatem sequens, cruces et amaritudinem non sentiat ; sed hæc in inferiori animæ parte manent, velut in atrio, dum intus, in animæ sanctuario ac penetrali, pax imperturbabilis resideat...

Luc. 2.

Si crux tibi ferenda, inquit S. Franciscus Salesius, verte voluntatem tuam secundum voluntatem Dei, et crux evanescet... Si res ingrata, horrida occurrit, intuere eam in lumine voluntatis divinæ, et jucunda apparebit...

Insuper, eadem hæc sancta conformitas velut mater est omnium virtutum : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*... Voluntas enim Dei sanctificatio nostra est.

Præterea summam hominis perfectionem continet. Nonne Dei voluntas perfectissima est, omnisque perfectionis ac sanctitatis norma? Sequitur enim intellectum divinum quæ ipsa Veritas est et Sapientia... Quapropter voluntas Dei cum sit omnis bonæ voluntatis regula, eo voluntas humana erit perfectior quo divinæ conformior... Quod si perfectio hominis quoque dicitur *sequi Deum*, Deoque similem fieri... aut talem existere qualem Deus vult, seu ut sit homo secundum cor Dei : facile patet, id fieri per conformitatem cum voluntate divinà...

Matth. 5.

O Domine, qui dixisti : *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est ;* da mihi perfectam cum tua voluntate conformitatem, qua vere perfectus evadam et

Act. 13.

vir secundum cor tuum qui faciat omnes voluntates tuas.

De conformitate cum divina voluntate. Notio, praxis.

Pr. 1. *In capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Hebr. x, 7. Psalm. 39.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo debeam voluntatem meam divinæ conformare, utque huic exercitio me constanter impendam.

I. In quo conformitas cum divina voluntate consistat. II. Quomodo hanc virtutem debeam exercere.

I P. NOTIO. — Conformitas, consensus habitualis cum divina voluntate, virtus quædam fundamentalis esse intelligitur, et quasi compendium virtutum omnium, omnisque sanctitatis... Quid enim aliud vult Deus quam sanctitatem et sanctificationem nostram ?...

Quod si natura ejus inspiciatur, virtus est affinis charitati... hujus celsissimæ virtutis effectus est, imo cum ea quasi confunditur, secundum effatum : *Idem velle et idem nolle vera et firma amicitia est...*

Consistit autem in hoc, ut in omnibus rebus Dei voluntatem oculo fidei discernamus, eamque adoptemus, seu nostram faciamus... adeo ut hac velut formula enuntiari possit : *Velle quidquid Deus vult, et quomodo vult...*

Continet actum duplicem : unum intellectus, divinam voluntatem in re occurrente agnoscentis... alterum voluntatis, eamdem divinam voluntatem amplectentis ac suam facientis...

Supponit autem principium duplex, hanc nempe duplicem veritatem fidei : *Omnia per voluntatem Dei evenire, et Deum non velle nisi quod mihi bonum et optimum est.*

Quod dicitur omnia per Dei voluntatem evenire, intellige, vel absolute et efficaciter operantem, vel jubentem ac suadentem, vel saltem tolerantem... adeo ut eventus quilibet, *postquam impletus est,* tanquam divinæ voluntatis expressio sit spectandus, cui voluntatem nostram debeamus reddere conformem... — Quod si res *futura* spectetur, seu eventus nondum impletus, nihil timere debemus ; sed illud facere vel optare quod divinæ voluntati placuerit... interim circa rei exitum in eodem divino beneplacito conquiescentes.

Objectum hujus virtutis triplex distinguitur : nam divinæ obsequi voluntati debemus respectu peccati, respectu officii cujuslibet aut laboris obeundi, respectu tribulatio-

nis... nimirum, fugere quod Deus vetat, implere quod mandat, pati quod patiendum imponit...

Da mihi, Domine, in omnibus et sub omni rerum velamine, tuam sanctissimam intueri voluntatem, eique voluntatem atque operationem meam perfecte conformare.

II P. PRAXIS. — Ut acquiratur conformitas voluntatis cum voluntate Dei, imprimis enitendum est, ut spiritu fidei in omnibus videatur Deus ejusque sanctissima voluntas... ut sub omni velamine eventuum ac tribulationum, inspiciatur divinum beneplacitum... Ad hoc autem requiritur recollectio sancta...

Ne dicas : libens me voluntati divinæ subjicerem, si mala quæ patior a Deo mihi immissa cognoscerem ; sed vel a culpa mea, vel ab hominum malignitate mihi proveniunt... Esto, sit ita : at semper Deo permittente illa pateris, et consequenter tribulationem tuam volente...

Sancta illa conformitas exercenda in rebus minimis et quotidianis... in muneribus et laboribus... in donis ac talentis, quæcumque possidemus, et quamvis exigua, gratanter de manu Dei acceptandis... in doloribus et morbis... in tentationibus et ariditatibus... in persecutionibus ac vexationibus... in laborum successu... in ipsis rebus spiritualibus atque interiori progressu...

Exercenda gradatim, ita ut primum voluntas nostra divinæ voluntati vel invita et per vim subigatur... deinde ut obsequatur libens... demum ut uniatur perfecte Dei beneplacito, et, ut S. Franciscus Salesius dicit, in eo extinguatur...

De amore div. lib. 9.

Prosunt multum aspirationes et effata sancta, ut illud S. Ignatii : *Guberna me, Domine, sicut scis et vis : nam scio quod amator sis...* Et hoc Ven. Ludovici a Ponte : *Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me et circa omnia mea, sanctissima voluntas tua, in omnibus et per omnia, nunc et in æternum...*

Et illa sacræ Scripturæ : *Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat !... Domine, quid me vis facere ?... Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus... Fiat voluntas tua, Domine, sicut in cœlo et in terra.*

Da mihi, o bone Jesu, ut libenter omnia acceptem et per-

feram propter te, utque voluntas tua sanctissima semper ultimus terminus sit omnis voluntatis ac desiderii mei.

De præsentia Dei.

P. 1. *Ego Deus omnipotens : ambula coram me et esto perfectus.* Gen. XVII, 1.

Pr. 2. Ut memoriam divinæ præsentiæ magni faciam, et discam semper in Dei præsentia ambulare.

I. Quam pretiosa sit divinæ præsentiæ memoria. II. Quodnam hujus exercitii fundamentum. III. Quænam ejusdem praxis.

I P. PRETIUM AC FRUCTUS. — Virtus illa, multum in sacris Scripturis commendata, quæ in habituali memoria seu intuitu Dei præsentis consistit... procurat animæ felicitatem similem felicitati Mariæ et Joseph, præsentia Jesu fruentium in domo Nazareth atque in exilio Ægypti... Magnam scilicet dat pacem et spirituale gaudium... *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium...* Sap. 8.

Inducit puritatem conscientiæ... *Melius est mihi mori... quam peccare in conspectu Domini...* — *Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Dan. 13. Psalm. 118.

Inducit puritatem intentionis... Qui enim Deum præsentem videt, pro Deo laborabit ; et oculus intuens Deum, erit oculus simplex...

Præstat fiduciam... *Non timebo mala, quoniam tu mecum es...* Psalm. 22.

Confert ad animi recollectionem... ad orandi facilitatem, adeo ut præsentia Dei merito *clavis orationis* appelletur... propterea plurimum commendatur iis omnibus qui ad interiorem vitam aspirant...

E contra, divinæ præsentiæ oblivio nonne ut omnium malorum fons ab ipso Spiritu sancto indicatur? *Non est Deus*, inquit, *in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore...* Psalm. 10.

O Domine, aperi mihi oculos ut videam te præsentem ubique... ut ambulem cum Sanctis in conspectu tuo...

II. P. FUNDAMENTUM. — Divinæ præsentiæ recordatio assidua fundatur in vivida fide realis ac substantialis præsentiæ Dei...

Ex fide enim longe clarius quam lumine rationis novimus, Deum esse ubique immensitate substantialiter præ-
Jerem. 23. sentem... *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cœlum et terram ego impleo dicit Dominus?...*

Ergo non solum in cœlo, ubi gloriam suam manifestat electis... nec in templis, ubi peculiari modo habitat ad exaudiendas supplicantium preces, et ipse Christus in sua humanitate nobiscum permanet... sed ubique prorsus locorum, in orbe universo quem manu sua sustinet... Imo totus mundus, creatura universa in Deo existit ac mergitur,
Act. 17. veluti spongia in medio oceani... *Non est longe ab unoquoque nostrum : in ipso enim vivimus, et movemur et sumus...*

In omni loco, in universo mundo præsens est, non sicut sol per suos radios terram replet, dum substantia in firmamento permaneat... neque sicut rex præsens est imperio suo in omnibus provinciis... sed sicut rex in suo palatio, vel in suo throno... Divina enim substantia veluti sphæra quædam est infinita, cujus circumscriptio nullibi, centrum vero ubique invenitur...

Quod si oculis eum corporeis non percipio, nihilominus præsens existit... non secus ac anima invisibilis in corpore... Similiter quoque præsens mihi esse potest amicus in tenebris, vel quopiam velamine coopertus, licet eum oculis non videam...

Credo, Domine, credo, o Trinitas sanctissima, te hic et
Psalm. 138. ubique esse realiter præsentem... *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?...*

III P. PRAXIS. — Quomodo in Dei præsentia me tenebo? Fieri id debet simpliciter, absque violentia aut imaginationis labore, et fere sicut filius versatur in domo paterna, patre suo ex ea non absente...

Hic gradus distingui possunt : ut quis laboret in conspectu Dei, sicut filius sub oculis patris... ut quis assiduus ad pedes Dei, ut optimi patris, audiat vocem ejus... ut quis in Deo quiescat, sicut parvulus in ulnis matris suæ...

Ad videndum Deum præsentem confert munditia cordis : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt...* Matth. 5.

Prodest frequenter Dei præsentiam in mentem revocare ope alicujus aspirationis piæ seu orationis jaculatoriæ... in exercitio orationis, præcipue ubi inchoatur... in labore identidem... in tentatione per recursum ad Deum, atque in omni afflictione... in templo præcipue et coram sanctissimo Sacramento...

Ita paulatim sancta consuetudo acquiritur ambulandi in præsentia Dei...

O Domine Jesu, da mihi cordis puritatem ut Deum meum præsentem videam : da mihi semper in præsentia tua ambulare... O Beatissima Virgo, B. Joseph, orate pro me... Sancte angele custos, qui semper vides faciem Patris qui in cœlis est, ora pro me : admone me divinæ præsentiæ, et adjuva, ut possim constanter in hoc divino lumine ambulare.

De unione cum Deo.

Pr. 1. *Manete in me et ego in vobis.* Joan. xv, 4.

Pr. 2. Ut intelligam in quo consistat sancta cum Deo conjunctio, et discam in Deo manere juxta verbum Domini.

I. Quid sit unio cum Deo. II. Quam desiderabilis hæc unio. III. Quomodo consequenda.

I P. NOTIO. — Unio cum Deo dicitur status animæ, habitualiter commercium cum Deo habentis, ejusque sanctissimos influxus recipientis... Hujusmodi anima, ut Scriptura loquitur, in Deo manet et Deus in ea : *Manete in me,* dicit Dominus, *et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis...* Joan. 1

Anima cum Deo conjuncta, in eo manet sicut palmes in vite... sicut membrum in corpore... sicut crystallum in lumine solis quo inundatur...

Unio cum Deo in primo gradu, essentialis et necessaria ad salutem, consistit in gratia sanctificante, quæ conjungit animam cum Deo unione amicitiæ. Hac autem unione amicitiæ anima vivificatur supernaturali vita, sine qua mortua est, sicut corpus separatum ab anima et palmes abscissus : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet*... Ibid.

Altior gradus est unio fervoris, qua illi gaudent qui ferventer Deo serviunt, qui sæpe cum Christo uniuntur in sacra Communione, atque cum Deo agere per orationem et spiritualia exercitia consueverunt...

Summus gradus, seu unio intima, illorum est qui, a rebus terrenis prorsus segregati, assidue Deum præsentem intuentur, in oratione et sacra Communione plurimum cum Deo agunt, in omnibus Deum vident et amant...

O Domine Jesu, da mihi in sancta tua præsentia ambulare, et exemplo sanctorum, tuo commercio assidue frui...

Porro unione illa intima atque perfecta homo cum Deo et Christo conjungitur totus, cum omnibus facultatibus suis. Nimirum intellectus unitur Deo per fidem vividam, per memoriam Dei, per intuitum Dei ejusque voluntatis in rebus omnibus... *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo*... Joan. 4. Voluntas unitur Deo per charitatem et conformitatem cum voluntate divina : *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo*... Joan. 4. et 2. Externa operatio cum Deo unitur per observantiam mandatorum et præcipue per obedientiam perfectam : hac enim homo cum Deo conjungitur, sicut servus cum domino dirigente, instrumentum cum manu artificis...

Da mihi, Domine, da mihi ita tecum interne et externe conjungi, ut nunquam a te, qui mea vita es, separari possim...

II P. UNIO DESIDERABILIS. — Quam jucunda, quamque sancta unio et conversatio cum Jesu, qua in Nazarethana

domo fruebantur Maria et Joseph!... Quam bonus, quamque suavis convictus Apostolorum cum Christo!... Atqui hæc imaginem exhibent unionis animæ cum Deo, unionis felicissimæ et fructibus uberrimæ...

Hinc enim in animam permeat influxus divinus gratiæ, et spiritualis fecunditatis... sicut influit vitis in palmitem, corpus in membrum sibi vitaliter conjunctum...

Qui adhæret Domino unus spiritus est... Influit anima Christi in animam sibi unitam, suas ei communicans cogitationes, suosque affectus... 1 Cor. 6.

Nonne hoc principium efficaciæ et successus in ministerio sacro? Sacerdos qui cum Christo conjunctus est et in manu ejus sicut instrumentum, nonne magna operabitur?... *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum...* et secus nihil. Joan. 15.

Nonne hæc unio quoque felicissima et consolatoria?... Nonne anima in Deo suo invenit pacem, lumen, vires?... Nonne fruitur paradiso in terra?... Nonne Jesus suus est ei omnia in omnibus?...

O Domine, da mihi hanc optabilem unionem tecum... O Deus meus et omnia!... *Mihi adhærere Deo bonum est... Quid mihi est in cœlo, aut a te quid volui super terram, Deus cordis mei...* Ps. 72.

III P. PRAXIS. — Ut acquiratur sancta cum Deo unio, removenda imprimis obstacula: peccatum mortale... deinde etiam venialia... item affectus ad terrena, quibus velut vinculis anima impeditur... Item dissipatio... et superbia ac defectus simplicitatis... Parvulos dumtaxat amplectitur Dominus...

Media autem adhibenda: oratio assidua... communio frequens et devota... obedientia, qua sacerdos cum Christo, sicut servus cum suo domino dirigente conjungitur... amor Dei et proximi... patientia, intuitu Christi patientis, seu participatio crucis ejus: *Cum ipso sum in tribulatione...* Psalm. 90.

Concede mihi, Domine Jesu, ita tecum uniri, ut nunquam divellar a te...

De officiis status sacerdotalis propriis.

—

Pr. 1. *Pater, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Joan. XVII, 4.

Pr. 2. Ut intelligam quanti momenti sit officia status mei perfecte implere, utque iis perficiendis me constanter impendam.

I. Cur tantopere officia status cordi habenda. II. Quænam sint officia propria mei status. III. Quomodo ea sanctificare debeam.

I P. QUARE CORDI HABENDA. — Sicut officia quædam sunt omnibus fidelibus communia, tam sacerdotibus quam laicis, tam religiosis quam sæcularibus... ita dantur quædam variis statibus propria: videlicet parentibus, heris, famulis, magistratibus, sacerdotibus... Jam vero necessarium omnino est, et hoc frequenter docendum, ut unusquisque in adimplenda officia status sui quam diligentissime incumbat...

Hæc enim voluntas Dei est, ut quisque statum, in quo a Providentia positus, sanctificet... id est, sancte occupet, ejusdem omnes obligationes implendo...

Nemo sibi blandiendo existimet, sese, neglectis status sui officiis, recte posse vivere... Etiamsi multa opera bona faciat, si illa non fecerit quæ sibi status imponit, Deo placere non poterit...

Varios status divina Providentia in mundo disposuit, sicut varia membra in corpore; et si unusquisque suo munere rite fungatur, perfecta orietur in humana societate harmonia et felicitas. Hinc voluit eadem Providentia, ut quisque in adimplendo status officia perfectionem assequi contenderet...

Annon in statu suo sanctificando uniuscujusque perfectio sita?...

Nonne omnes Sancti, secundum statum suum viventes, omniaque ejusdem officia sancte implentes, sanctitatem sunt adepti?... Nonne S. Joseph, B. Virgo Maria, imo ipse Filius Dei nobis hujus rei exemplum præbent?... Postquam primum officia vitæ fabrilis, ac dein vitæ evangelicæ adamussim implevit, in fine, ad nostram instructionem dicere

voluit : *Pater, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam...* Joan. 17.

Et omnes Christi discipuli, ut eadem verba in extremis usurpare possint : *Opus consummavi...* nonne oportet ut similiter officia sui status secundum Patris voluntatem perficiant ?...

Ego sacerdos, nonne cupio et omnino volo ita vivere, ut in morte dicere possim : *Pater, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam ?...* Atqui ad hoc requiritur ut perfecte impleam munia quælibet status ac vocationis meæ propria...

O Domine Jesu, da mihi hoc vere cordi habere, ut, sicut tu, opus perficiam et consummem quod dedisti mihi ut faciam...

II P. OFFICIA SACERDOTIS PROPRIA. — Sicut sacerdotalis missio prorsus sancta est, ita sancta ejus munia atque officia... utpote eadem quæ Apostoli, imo quæ Filius Dei, sacerdos æternus ac summus animarum pastor, implevit...

Ex his autem sacris functionibus aliæ, quæ stricte *sacerdotales* sunt, directe Deum respiciunt : ut missæ sacrificium, recitatio divini officii, seu ministerium orationis... et celebratio cultus publici in templo... Quam sancta et excelsa hæc munia! quamque sancte impleri debent !... Propterea qui ad ea deputatur, sacramento Ordinis sanctificatus est Deoque consecratus, atque unctus oleo sancto *fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ejus, offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem...* Eccli. 45.

Aliæ functiones sunt *pastorales*, et pertinent ad populum Dei, ad sanctificandas animas... Hujusmodi sunt munus docendi, seu ministerium verbi... administratio sacramentorum... cura infirmorum, omniumque miserabilium personarum : quales sunt pauperes, orphani et viduæ, parvuli instruendi et ad primam communionem præparandi... peccatores, et quicumque secundum animam infirmi sunt et miserabiles...

Eo referuntur piæ sodalitates, et quævis instituta atque opera misericordiæ et zeli...

Quam sancta hæc et pretiosa munia !.. Quam chara Cordi Jesu !... Quam apta ad procurandam Deo gloriam, animabus salutem, et ipsi sacerdoti sanctificationem ac merita !...

Gratias tibi, Domine, quod ad opera tam eximia me vocare dignatus es... Da mihi totum me his impendere ac devovere, hunc unum cibum quærere ut, sicut tu, faciam voluntatem Patris et perficiam opus ejus...

III P. QUOMODO SANCTIFICANDA. — Ut sancte munia mea impleam, necesse est imprimis ea amare... amore præsertim appretiativo... tanquam opus Patris mei cœlestis, et tanquam officia, quæ ipse Christus Dominus mihi imponit et requirit a me...

Deinde necesse est serio velle : nempe firmo proposito statuere, hoc fore negotium unicum, præcipuum meæ
Luc. 2. vitæ : *Quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse...*

Necesse est ea bene cognoscere, et propterea considerare ac meditari coram Domino...

Necesse est laborare : nisi quis labori sit deditus, officia multa negliget : fidelis servus et prudens ille est qui vigilat, et, utique laborando, curat ut det omnibus cibum in tempore... servus autem piger, vocatur malus...

Matth. 25. Necesse est sequi ordinem vitæ... ut omnia suo tempore fiant...

An ego ita officia status mei æstimo, et ante omnia cordi habeo ?...

Fiat in fine oratio ad S. Franciscum Salesium, ad SS. Apostolos, ad Christum Dominum, et petatur gratia ita implendi ecclesiastica munia, ut in hora exitus mei dicere possim cum Jesu : *Opus consummavi...* et cum Paulo :
I Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi... in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

De sacrosancto sacrificio Missæ. Excellentia.

Pr. 1. Spectare Sacerdotem divinum in mensa cœnaculi, incruentum corporis et sanguinis sui sacrificium offerentem, et dicentem sacerdotibus Ecclesiæ suæ : *Hoc facite in meam commemorationem.* I Cor. XI, 24.

Pr. 2. Ut intime replear fide ac veneratione divini missæ sacrificii, quo devotius indies illud valeam celebrare.

1. Sacrificium novæ Legis spectatum in se; II. in Ecclesia; III. in sacerdote.

I P. MISSÆ SACRIFICIUM SPECTATUM IN SE. — Non sine maxima ratione S. Franciscus Salesius missæ sacrificium nuncupavit *exercitiorum spiritualium solem, centrum christianæ religionis, cor ipsius devotionis, pietatis animam, denique ineffabile mysterium, quod ipsammet divinæ charitatis abyssum continet...* Sive enim consideremus mirabilem hanc institutionem, omnium mirabilium Domini memoriam, sive infinitam principalis Offerentis dignitatem, sive hostiæ excellentiam, sive sacrificii valorem inæstimabilem, fructusque inexhaustos... omnia in illo mysterio inveniemus summa, divina, omnique cultu ac reverentia dignissima... In Philoth. p. 2. c. 14.

Nonne hæc divina actio ipsum est sacrificium Calvariæ renovatum?... incruente tamen ac sub velamine fidei... *In divino hoc sacrificio*, inquiunt Tridentini Patres, *quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit... Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa...* Sess. 22, cap. 2.

Idem ipsum Calvariæ sacrificium in altari eucharistico incruente renovatur... at magnifice, in conspectu Ecclesiæ terrestris et cœlestis, ipsa cœlesti curia invisibiliter assistente... *Locus altari vicinus*, inquit S. Chrysostomus, *plenus est angelorum choris, in honorem illius qui immolatur...* — *Quis enim fidelium dubitet*, ait S. Gregorius, *in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi...* De sacerd. l. 6. c. 4. Dialog. l. 4. c. 6.

O Domine Jesu, quis ego sum ut divina hæc mysteria tractem!... Da mihi, quæso, Cordis tui sacerdotalis sensibus animari...

II P. IN ECCLESIA. — Spectatum respectu Ecclesiæ,

missæ sacrificium summa est ac centrum totius cultus, totiusque fidei christianæ...

Nonne sacrificium missæ magnus est religionis actus, atque in cultu publico Ecclesiæ primarius, qui quidem peragitur a ministro publico, in medio populi... in templo ita ædificato, ut omnes ædificii partes ad altare seu mensam sacrificii convergant?...

Nonne ad idem sacrificium universa liturgia refertur?... Nonne in omnibus festis ac solemnitatibus, nec non in exequiis defunctorum, missa principem locum obtinet?...

Nonne omnia fidei mysteria in novæ legis sacrificio recoluntur et quasi sensibilia fiunt?... mysterium nempe SS. Trinitatis... Incarnationis... Redemptionis... hominis lapsus et erectionis ad gloriam...

Nonne divinum sacrificium Ecclesiæ suppeditat medium dignas Deo adorationes et gratiarum actiones offerendi?... Nonne simul Ecclesiæ fons est, tum auxilii omnigeni quo indesinenter indiget, tum remissionis ac veniæ pro vivis et pro defunctis?... Est enim sacrificium simul latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium...

Nonne idem in Ecclesia veluti focus est spiritualis vitæ... fidei, spei, charitatis?...

O Domine, quantum beneficium hoc sacrificio nobis conferre dignatus es! Quomodo dignus tibi gratias referemus?...

III P. IN SACERDOTE. — Sacrificium offerendum primaria est sacerdotis actio ac functio. *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis...* Hebr. 5.

Est velut centrum ejus vitæ, actio centralis, ad quam omnia reliqua convergere debent et referri... ut digne perficiatur; — et ex qua opera reliqua virtutem suam et efficaciam debent derivare...

Sacrosanctum missæ sacrificium dicitur merito sol sacerdotalis vitæ, eam illuminans, vivificans, exornans... instar solis corporei, qui similes effectus producit in mundo...

Porro sol hujusmodi spiritualis obnubilari potest... imo et extingui... an ab hujusmodi calamitate caveo?...

Potest autem etiam et debet pura semper luce splen-

dere, per constantem nempe ac immutabilem fervorem, in celebrandis sacris mysteriis afferendum...

O Domine Jesu, concede mihi exempla sanctorum sacerdotum imitari, ut S. Ignatii, S. Francisci Xaverii, S. Francisci Salesii... qui eadem semper devotione ac prima post Ordinationem vice, sacra mysteria celebrarunt... O Beata Virgo Maria, quæ sacrificio cruento adstitisti, impetra mihi hanc gratiam.

De sacrosancto Missæ sacrificio. Celebratio.

Pr. 1. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?* Psalm. 23.

Pr. 2. Ut incrementum accipiam devotionis ad celebranda divina mysteria.

Ut digne offeratur Missæ sacrificium requiritur I. tanti arcani debita intelligentia; II. in actione diligentia summa; III. fuga defectuum.

I P. INTELLIGENTIA. — Ut in celebrando altaris mysterio devotio semper ferveat, nec unquam, quod maxime nocivum, intepescat... essentialis ac prima conditio est, ut alte menti insideat hujus divinæ actionis sublimitas... Quapropter in sacra Ordinatione presbyteris dicit Ecclesia: *Agnoscite quod agitis... quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis omnibus procuretis...*

Expedit igitur meditari hæc Tridentini verba: « Quanta « cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ sacrificium « omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis « facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in « sacris Litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. « Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo san- « ctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam « hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa « hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per « sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, « omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut Sess. 22. in Decr.

« quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et « puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie « peragatur... »

Homil. 84. in Matth. *Quo igitur solari radio*, inquit S. Chrysostomus, *non puriorem ac splendidiorem esse oportet manum, carnem hanc dividentem? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?...*

Da mihi, Domine Jesu, hæc verba semper præ oculis habere, ut corde purissimo ac reverentia summa, quotidie ad Sancta sanctorum merear introire...

II P. DILIGENTIA. — Summa requiritur opera ac diligentia, sicut Tridentinum loquitur, in ipsa actione perficienda : quo referuntur tria, nimirum præparatio, celebratio et gratiarum actio...

Præparatio adhibenda est *remota*, in vita sancta consistens et conscientia pura, quæ examen conscientiæ quotidianum supponit et confessionem frequentem... nec non præparatio *proxima*. Ad hanc pertinet recitasse matutinum et laudes, et, si commode fieri potest, etiam primam horarum. Præmittenda semper meditatio consueta ; et, si non immediate subsequitur celebratio, brevis animi recollectio, qua recogites... quid sis a te ipso : scilicet, nihilum et peccator... quis esse debeas qua minister Christi et Ecclesiæ : nempe *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, ut Christus ipse... Hic autem actum contritionis elice; et mox, ablutis manibus, vestes sacras indue, orationes præscriptas interim devote recitando... Ad altare tandem accede sub auspiciis B. Virginis : *Per te accessum habeamus ad Filium, o Benedicta.*

In ipsa missa serventur adamussim cæremoniæ, verba pronuntientur distincte et devote... ideoque debitum tempus impendatur, nempe circiter semihoram...

Gratiarum actio accurate et ex corde, non perfunctorie et obiter facienda. Theologi benigniores requirunt ut gratiis agendis saltem horæ quadrans impendatur... S. Alphonsus autem enixe suadet, ut sacerdos divino suo Hospiti plus temporis tribuat...

Quomodo ego me in his omnibus habeo ?...

O Domine Jesu, da mihi spiritum fidei et fervoris, ut aliqualiter saltem, tuo amori erga me sacerdotem tuum respondeam...

III P. DEFECTUS. — Præcipui ac frequentiores defectus vitandi sunt sequentes : studium lucri... stipendii intuitus sit omnino secundarius... — præcipitantia, seu nimia celeritas, quæ reverentiæ sacris mysteriis debitæ contraria est et ædificationi assistentium... — oblivio decori ac gravitatis, nec non truncatio cæremoniarum, quo spectant sequentia : verba male pronuntiare, vel uti voce elatiori, clamosa, aut e contra nimis submissa; crucis signa perperam formare; capitis inclinationem, quæ modo levis, modo mediocris, modo profunda esse debet, non prout præscribitur facere ; genuflexiones non perficere usque ad terram ; aspicere ex altari populum ; non corpus tranquillum ac immotum tenere, sed variis motibus, qui levitatem sapiunt, agitare...

His addantur neglectus munditiei in vasis, in linteis... silentium in sacristia non servare, nec ab aliis servandum requirere... acolythos non rite docere, ut mundi sint et modesti, ut rite respondeant et populum ædificent... demum non ea qua par est pietate, tum præparationem tum gratiarum actionem perficere...

An ego ab hujusmodi defectibus satis caveo ?...

Fiat oratio finalis ad S. Franciscum Salesium, ad B. Virginem, ad divinum Pontificem Jesum, ut petatur gratia meditationi consentanea...

De sacris Missæ cæremoniis.

Pr. 1. *Sacerdotes ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi et custodiant cæremonias meas.* Ezech. XLIV, 16.

Pr. 2. Ut ritus ac cæremonias sacras magni faciam, easque semper cum reverentia summa studeam observare.

I. Quanti faciendæ sint sacræ cæremoniæ. II. Quænam in missa sint cæremoniæ respicientes Christum ; III. quænam respicientes sacerdotem ac populum.

I P. CÆREMONIARUM ÆSTIMATIO.—Solemni mandato præ-

cepit Dominus in antiqua lege cæremonias, quas ipsemet
Deut. 6. populo suo præscripserat... *Custodi Israël*, aiebat Moyses, *præcepta Domini Dei tui ac testimonia, et cæremonias quas præcepit tibi*... Imo, severe puniebat Deus eos qui cæremonias suas violarent... Jam vero, si tanta observantia requirebatur in figuris, quanta in veritate novæ legis?...

Nonne cæremoniæ ab Ecclesia, Spiritu sancto dirigente, sunt institutæ?... imo, ab apostolica traditione, et nonnullæ ab ipso Christo Domino originem habent?...

Nonne merito a sacris conciliis vocantur *imagines*
Camerac. 1565. *fidei... incitamenta pietatis... signacula religionis?...*

« Ritus et cæremonias, inquiunt Tridentini Patres, ex
Sess. 22. c. 5. « apostolica disciplina et traditione pia Mater Ecclesia in « missa adhibuit, quo et majestas tanti sacrificii commen- « daretur, et mentes fidelium, per hæc visibilia religionis « et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc « sacrificio latent, contemplationem excitarentur...

An omnes missæ cæremonias ego accurate didici?... an semel saltem in anno relego?... an religiose et adamussim observo?... et quantum ad me pertinet, servandas ab aliis curo?... An eorum sensum studeo intelligere?... an pronuntiationem, et quamcumque aliam exteriorem actionem ita moderari studeo, ut non minus aliorum ædificationi quam propriæ devotioni serviam?...

Da mihi, Domine Jesu, omnes Ecclesiæ tuæ cæremonias magni facere, ex corde revereri, omnique religione servare... quia nihil parvum est quod ad cultum divinæ tuæ majestatis pertineat...

II. P. CÆREMONIÆ SPECTANTES AD CHRISTUM. — Præter eas quæ sunt mera reverentiæ signa, dantur cæremoniæ quæ mysterium in missa latens revelant, mysterium scilicet Christi realiter in altari præsentis, sese immolantis, nobisque gratiam conciliantis.

Ad hoc ritus nonnulli conferunt generaliter dumtaxat, excitando fidem, fideique documenta nobis præ oculis ponendo : tales sunt recitatio Epistolæ, Evangelii et symboli...

Aliæ cæremoniæ in particulari demonstrant quomodo Christus de cœlo descendat in altare, nimirum his verbis : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem*,

descendit de cœlo : et incarnatus est... Hic autem in signum adorationis genu flectitur... — Item ubi dicitur : *Sursum corda !* sublatis simul manibus... — Demum quando cum angelis clamat Ecclesia : *Sanctus, sanctus, sanctus ! Dominus Deus sabaoth... Benedictus qui venit in nomine Domini...* quod canticum est ingressionis Domini in Jerusalem dominica Palmarum et præludium crucifixionis ejus...

Aliæ eo tendunt ut ostendant quomodo sese Christus pro nobis immolet... Huc spectant extensio manuum super oblata... elevatio Hostiæ velut in cruce... varia crucis signa... fractio sacræ Hostiæ... consecratio hostiæ et calicis seorsim, et quasi sanguinis Domini a corpore separatio...

Aliæ indicant quomodo divina victima nobis gratias conciliet, nempe remissionem peccatorum et auxilia bene vivendi... Hujusmodi sunt salutationes sanctæ : *Dominus vobiscum...* Oratio Dominica, qua Christus nobiscum et in nobis precatur... apprecatio pacis... finalis benedictio...

Da mihi, Dòmine, in spiritu fidei summæque devotionis ritus illos perficere, iisque juvari ad mysterium mortis tuæ quam sanctissime recolendum.

III P. CÆREMONIÆ PERTINENTES AD NOS. — Cæremoniæ quæ magis directe spectant ad sacerdotem cæterosque Christi fideles, aliæ juvant nos ad dolendum de peccatis : *Confiteor... Nobis quoque peccatoribus... Agnus Dei...* — aliæ docent nos Deum exorare per Christum, variis nimirum orationibus...

Aliæ ostendunt quomodo debeamus nosmetipsos cum divina victima Deo offerre. Etenim 1° altare est velut Calvariæ mons, ad quem cum Christo ascendimus... 2° Cruces in vestibus sacerdotis conspicuæ, ostendunt quomodo debeamus crucem Domini portare... 3° item, oblatio panis et vini, quomodo cor nostrum sit Deo offerendum... 4° Cerei accensi, quomodo debeat vita nostra consumi in laudem ac gloriam Dei...

An in spiritu fidei, confuse saltem, horum rituum significationem perspicio ?... An aliquando, juxta Ecclesiæ mentem, eam fidelibus explico ?...

Addatur oratio finalis consentanea.

De officio divino. Recitatio privata. Breviarium.

—

Pr. 1. *Benedicite Dominum, omnes servi Domini : qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Psalm. 133.

Pr. 2. Ut intelligam quid sit ministerium orationis in Ecclesia Dei, illudque semper impleam devotissime.

I. Quid sit ministerium orationis ac officium divinum. II. Quare officium divinum amandum.

I. P. MINISTERIUM ORATIONIS. — Non tantum ad Dei verbum prædicandum Ecclesia Dei constituta est; verum etiam ad digne Deum adorandum ac laudandum per orbem terrarum... *Venit hora, et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate...* Nonne præcepit Christus discipulis suis orare, et quidem semper ac sine intermissione orare?... Nonne hoc ab initio Apostoli proclamarunt? *Non est æquum*, aiebant, *nos ministrare mensis... nos orationi et ministerio verbi instantes erimus...* Ecclesia scilicet in terra facere debet quod angeli in cœlo ; imo cum angelis et archangelis ad laudem Dei celebrandam consociatur...

Joan. 4.

Act. 6.

Oratio hæc publica et universalis, nonne, quatenus adoratio, laus et gratiarum actio, Deo ab humano genere ac præcipue a cœtu fidelium debetur?... Nonne, quatenus supplex postulatio, propter peccata nostra, et ratione indigentiæ nostræ tam in temporalibus quam in spiritualibus, prorsus necessaria?...

Hæc autem oratio publica per sacerdotes principaliter est Deo persolvenda : ad hoc enim auctoritate Christi et Ecclesiæ deputantur, ut sint ministri cultus et orationis publicæ, secundum normam in sacra liturgia præscriptam... sive in choro et solemniter, sive privatim hoc divinum officium persolvatur... *Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent : Parce, Domine, parce populo tuo...*

Joel. 2.

An memor sum, ubi canonicas horas persolvo, vel quacumque ratione ministerio orationis publicæ perfungor,

me universalis Ecclesiæ nomine orare?... *Sacerdos pro universo terrarum orbe legatus apud Deum, et deprecator intercedit...* Chrysost. de sacerd. l. 6.

Orationis publicæ, totiusque laudationis divinæ ritus, quo Ecclesia utitur, vocatur *officium divinum*... scilicet *officium* per excellentiam ; et *divinum*, ratione objecti, quia directe ad Deum spectat...

Officium divinum strictiore sensu illas preces significat, quæ Horæ canonicæ dicuntur, a sacris canonibus præscriptæ, ut per partes, variis diei ac noctis horis recitentur... Liber autem sacer, horas canonicas continens, vocatur Breviarium : non tantum quia longioris officii est compendium, verum etiam quia summam exhibet scientiæ sanctorum...

An considero officium divinum ut officium mihi primarium, et ad gravissimas obligationes status mei pertinens ?... In Concilio Later. IV sub Innocentio III, districte et in virtute obedientiæ præcipitur, *ut divinum officium, nocturnum pariter et diurnum, studiose ac devote celebretur*... quo præcepto dumtaxat antiquissima consuetudo sancitur, quæ dudum vim legis habebat...

Da mihi, Domine, officium divinum magni facere, amare, atque ea pietate persolvere, qua tu ipse in terris laudes Deo persolvisti...

II P. AMOR. — Quot sacerdotes, aiebat pius quidam vir ecclesiasticus, nesciunt quem thesaurum in breviario possideant... Est enim liber ratione excellentiæ et ratione fructuum pretiosissimus...

Nonne Officium divinum ab Ecclesia fuit Spiritu sancto assistente adornatum?... Nonne miro ordine singulis fidei mysteriis atque anni temporibus accommodatum?... Nonne orationibus ac rebus contextum eximiis?... Quæ enim liturgico officio continentur, sunt ex una parte, documenta e Scriptura, Patribus et Sanctorum exemplis desumpta ; — ex altera, preces ac laudes Dei sanctissimæ, splendidissimæ, pleræque a Spiritu sancto pro Ecclesia inspiratæ... quandoquidem Psalmi Davidici, intuitu Spiritus sancti, minus Synagogæ veteri quam Ecclesiæ Christi fuerint destinati, in qua sola ad cultum Dei perfectum conferunt et in plenitudine sensus sui usurpantur... In Eccle-

sia profecto plenius verificantur psalmi et intelliguntur clarius; prout sat aperte significavit Dominus, dicens :
Luc. 24. *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.*

Fructus a sacerdote divinum officium pie recitante triplex colligitur : spiritus sacerdotalis sustentatio... laborum suorum levamen... scientiæ sacræ incrementum...

Nonne ergo tantus thesaurus amandus?... Da mihi, Domine, exemplo sanctorum sacerdotum, divinum Officium ut inæstimabile bonum magni facere, totoque cordis ac pietatis affectu amare.

De officio divino. Celebratio publica.

Pr. 1. *In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.* Psalm. 137.

Pr. 2. Ut magis magisque Dei laudibus delecter, easque semper ea qua par est dignitate ac devotione studeam celebrare.

I. Quare officiorum solemnia amanda? II. Quomodo ministerium cultus divini sancte adimplendum ?

I P. AMOR CULTUS SOLEMNIS. — Nonne officiorum solemnitas ad decorem pertinet domus Dei, qui sacerdoti tantopere cordi esse debet ?...

Nonne splendore cultus maxime manifestatur pulchritudo Ecclesiæ, quæ eodem refulget ut porta cœli et atrium
Psalm. 83. Paradisi ?... *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum !*

Nonne fides, pietas et amor Dei hymnis ac religiosa pompa maxime delectantur ?... Nonne omnis anima credens cum Ecclesia clamat : *Lauda, Sion, Salvatorem in hymnis et canticis... quia major omni laude...*

Nonne usus hymnorum cultusque solemnis antiquitate

est venerabilis ?... In antiqua lege cantores erant constituti ex ordine levitico, *et psaltæ quatuor millia, canentes Domino in organis quæ fecerat David ad canendum...* 1 Paral. 22.

Ab initio ad hymnos decantandos hortabatur fideles Apostolus, scribens : *Docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo...* Cui sacro exercitio fideles in ipsis persecutionibus vacare solitos fuisse, historia testatur... Coloss. 3.

Ritus sacrorum cantuum Deo gratissimus est in terra, sicut angelorum concentus in cœlo... Nonne factum est aliquando ut angeli sese Ecclesiæ choris adjungerent, et cum iis auditi sint psallere ?...

Quis demum ritus aptior, tum Dei laudibus celebrandis, tum devotioni fidelium excitandæ, si modo convenienter perficiatur ?... *Quantum flevi*, inquit S. Augustinus, *in hymnis et canticis tuis, suavesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus !... inde affectus pietatis : et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis...* Confess. l. 9, c. 6.

Da mihi, Domine, similiter laudibus tuis ac solemnitatibus verbisque Ecclesiæ tuæ delectari, ut ex animo dicere possim : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini...* Psalm. 83.

II P. PRAXIS. — Omne studium impendendum est, ut officium divinum, tam publice quam privatim perficiatur sanctissime... *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter...* Jerem. 48.

Ad recitationem horarum quod spectat, ut ea qua par est pietate... interna et externa... peragatur, fieri debet reverenter... integre... attente... devote... et propterea tempore congruo et in loco competenti...

Ad pietatem prævia requiritur præparatio, tum immediata, quæ brevi mentis recollectione perficitur... tum mediata, quæ in acquirenda intelligentia psalmorum præcipue consistit, aliarumque divini officii partium...Ad hanc intelligentiam lectio interpretum et sanctæ quoque meditationes adjuvare possunt...

Ad devotionem præterea confert peculiari reverentia eas

officii partes recitare, quæ ad Deum et Sanctos diriguntur quæque orationes ac laudes constituunt : quales sunt psalmi et hymni... Item attentius ac paulo lentius proferre primum psalmi versiculum, et doxologiam in fine...

An hæc pietatis adjumenta adhibeo ?...

Quod attinet ad officiorum celebrationem publicam, mature ac tempestive in templo adsit sacerdos, ut exemplum præbeat fidelibus,debitamque divino famulatui afferat alacritatem...

Sese recolligat per orationem prævíam ante tabernaculum, et inde mox cum silentio ad locum suum in choro se conferat...

Studeat pietati internæ, secludendo distractiones, et in spiritu ad pedes Domini se continendo cum angelis...

Servet pietatem externam, modestis oculis, immoto capite, totoque corporis habitu ad reverentiam composito...

Cantum perficiat alacriter et quam optime, verba omnia distincte pronuntiando, plena voce, totoque cordis affectu Dominum laudando, ad devotionem propriam et ad ædificationem spiritualem audientium...

An hæc observare studeo ?...

Concede mihi, Domine Jesu, illam in sacro orationis ministerio imitari pietatem, qua ipse tu, divinus Pontifex, in terris laudes Deo persolvisti, quaque angeli hymnos gloriæ tuæ concinunt in cœlis...

De sacramentis administrandis.

Pr. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* I Cor. IV, 1, 2.

Pr. 2. Ut magnitudinem hujus dispensationis intelligam, eamque exerceam fidelissime.

I. Quam magna sit res in Ecclesia sacramentorum administratio.
II. Quam religiose peragenda.

P. HUJUS MINISTERII ÆSTIMATIO. — Administratio

sacramentorum in Ecclesia Dei, ministerium quoddam est sanctissimum in se, summæque gravitatis respectu fidelium... Quid enim sacramenta sunt nisi instrumenta quædam divina...instrumenta nempe divinæ gratiæ efficacia?...

Quid sanctius hisce mysteriis a Christo relictum?... Nonne per sacramenta illud Ecclesia operari continuat quod Dominus operabatur in terris, et etiamnum ipsemet faceret si nobiscum visibilis remaneret : nimirum sanctificationem animarum ?...

Nonne opus Dei proprium largiri gratiam? Atqui illud opus divinum efficit homo, sacramentorum minister...

Sacramentorum administratione præcipue sumus, ut Apostolus loquitur, *ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei*...Utique ministri Christi, unigeniti Filii Dei, et quasi instrumenta viva Ejus, in sacramentis principaliter operantis. Etenim, nonne Christus est principalis sacramentorum minister, per sacerdotem suum, ministrum secundarium, agens ?... Nonne recte dicitur Christus in persona sacerdotis baptizare, absolvere, consecrare?... 1 Cor. 4.

De Christo loquens Joannes Baptista dicebat : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto ;* ex quibus verbis Augustinus rationem aperit cur baptismi effectus nequaquam a sanctitate ministri pendeat. Quicumque enim sit minister baptizans, *unum tamen*, inquit, *et par et æquale est quod accipit baptizatus, quia hic est qui baptizat de quo dictum : Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Petrus baptizat, hic est qui baptizat ; Paulus baptizat, hic est qui baptizat ; Judas baptizat, hic est qui baptizat*... Joan. 1. Tract. 6. in Joan.

Quod si Christus in suo ministro baptizat, nonne simili ratione reliqua conficit et administrat sacramenta ? Nonne pariter in ministro suo confirmat, absolvit, inungit, consecrat... Et quomodo verificarentur Consecrationis verba, si ea ore sacerdotis ipse Christus non proferret?... — Nonne igitur Christus sacerdote suo tanquam sua manu, tanquam suo ore utitur ad sacramenta administranda?...

Recte igitur in sacro tribunali dicunt pœnitentes : *Et tibi, Pater, qui Christi hic locum tenes*...

Quanta dignitas hominibus collata ! o Deus meus, quam sublime ministerium !... Et quomodo ego ad illud exercendum electus sum !... Confundar hic coram Deo, gratias

agam... et auxilium implorabo ut fideliter mysteria Domini tractare valeam et dispensare.

Nec minus salutaria sunt sacramenta fidelibus, quam in se sancta. Etenim, ut Tridentina Synodus dicit, per ea
Sess. 7. proœm. *omnis vera justitia vel incipit, vel amissa reparatur...* Nonne per sacramenta animæ salvantur et absque sacramentis pereunt?... Nonne quo melius iis mediis utuntur, eo magis virtute proficiunt?... Et si sacerdos est animarum piscator, annon sunt sacramenta retia ejus?... Per prædicationem animæ vocantur, per sacramenta capiuntur ad vitam...

O Domine, quantam tibi debemus gratitudinem pro thesauro sacramentorum, quem Ecclesiæ tuæ concredere dignatus es! Da mihi ea digne æstimare, revereri et religiosissime dispensare.

II P. SACRAMENTORUM DISPENSATIO. — Nonne quo major est sacramentorum dignitas, eorumque salubrior effectus, eo etiam majori religione tractanda, majori sollicitudine ac zelo fidelibus dispensanda sunt?... Imo, juxta mentem Christi et Ecclesiæ, requiritur ut administrentur sancte, fideliter et in spiritu zeli...

Administranda sunt *sancte*, id est, in statu gratiæ et
Tim. 3. cum conscientia pura: *Sic ministrent, nullum crimen habentes*... adeo ut qui indigne hæc sacra contrectaverit, sacrilegii reatum incurrat... Quia igitur sacerdos, quovis temporis momento ad sacramentum administrandum vocari potest, oportet eum ita pie, temperanter et caste vivere, ut semper operam suam petentibus digne præstare possit... An ita ego vivo?...

Sancte: id est, intentione pura. Nihil intendat nisi Deum et animas... ideoque sacramentum administraturus brevem mentis recollectionem et orationem præmittat...

Sancte, id est reverenter: præscriptos in Rituali ritus omnes accurate observet, qui, ut Tridentinum declarat, sine peccato a ministris omitti aut mutari non possunt... et
Sess. 7, c. 13. in servandis cæremoniis ita religiose se gerat, ut adstantes intelligant rem agi maxime sacram...

Sancte, id est cum fide et devotione. Si in suscipientibus fides et devotio requiruntur, nonne potiore jure in conferentibus inesse debent?...

Administranda sunt sacramenta fideliter : *Quæritur* enim *inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*... — Sacerdos itaque imprimis curet ut nihil desit ad sacramenti valorem : debitam adhibeat materiam... formæque verba perfecte et convenienti attentione pronuntiet... 1 Cor. 4.

Curet deinde ut digne et cum fructu a fidelibus recipiantur... An caveo ne ab indignis profanentur, aut a minus bene paratis recipiantur absque fructu ?... Ministro enim incumbit obligatio, ut de statu et dispositione suscipientium, quoad fieri potest, cognoscat ; omnemque diligentiam adhibeat, ut fideles ea qua par est reverentia et devotione ad sacramenta suscipienda quovis tempore se præparent...

Administranda sunt sacramenta in spiritu zeli. An hoc zelo animatus, nulli labori parco, semperque ad dispensanda dona salutis me paratum benigne exhibeo ?... An pro paupere non minus quam pro divite sollicitus, quacumque diei aut noctis hora vocatus fuerim, sine mora, non obstante incommoditate viarum, spreto etiam contrahendi contagii timore, ministerium meum præstare festino ?... *Vide ministerium tuum ut illud impleas*... Coloss. 4.

O Domine Jesu, qui sublimem hanc dispensationem mysteriorum tuorum mihi committere dignatus es : reple me, quæso, spiritu devotiônis ac zeli, ut sicut Apostoli tui, sancte et fideliter ministerium hoc valeam implere...

De Baptismo et Confirmatione.

Pr. 1. *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Matth. XXVIII, 19.

Pr. 2. Ut intelligam quanta mysteria mihi sint concredita, eaque fideliter dispensem.

I. De Baptismo. II. De Confirmatione.

I. P. BAPTISMUS. — Magnum hoc sacramentum, tum effectibus, tum necessitate... Nonne animam ab omni prorsus macula abluit, et peccato mortuum restituit vitæ ?... Nonne hominem, in Adamo lapsum ac degeneratum, in

Christo regenerat, facitque filium Dei, hæredem cœli ?...

Nonne hominem christianum facit... membrum Ecclesiæ, corporis Christi mystici... eumque fidelium cœtui consociat ?...

Magnum sane sacramentum, magna reverentia tractandum... diligenter fidelibus explicandum, ut sciant quantam pro accepta gratia baptismatis Deo gratitudinem debeant...

Necessarium quoque est ut bene sciant et intelligant, quasnam in sacro baptismate obligationes contraxerint, eas nempe quæ vota baptismalia vocari solent... quomodo renuntiaverint Satanæ, et omnibus operibus, et omnibus pompis ejus... quomodo nomen dederint Christo, et spoponderint servare mandata ejus, eique et Ecclesiæ ejus obedire ?... Hæc fideliter servando, non aliter, salvi erunt
Marc. 14. baptizati, secundum illud : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*... intelligit enim Dominus ut baptizatus sui baptismatis gratiam per vitam consentaneam conservet. — An curo ut hæc vota a fidelibus intelligantur et identidem renoventur ?...

Magnum quoque Baptismi sacramentum ratione necessi-
Joan. 3. tatis : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*... Quanta igitur cura est adhibenda, quot orationes fundendæ a parentibus, ut proles sua baptismi gratiam consequatur...Quanta quoque sollicitudo requiritur ex parte sacerdotis, ut parentes suas cognoscant obligationes... utque omnes passim fideles, præsertim obstetrices, medicique partus adjutores, noverint quomodo in casu necessitatis debeant baptizare...

An doctrinam de baptismo nitide suo tempore expono?... simulque parentes et patrinos moneo, quomodo baptizati juvandi sint, ut secundum baptismum educentur et vivant ?...

O Domine Jesu, gratias ago misericordiæ tuæ pro instituto lavacro baptismatis... pro beneficio hujus sacramenti, mihi meisque subditis præ tot aliis collato... et precor, ut nulla ex animabus mihi concreditis absque baptismate excedat e vita... sed omnes salutiferum hoc sacramentum recipiant ejusque fructum conservent.

II P. CONFIRMATIO. — Cum obligatio gravis sit ex præcepto divino, Confirmationis sacramentum recipiendi, saltem in decursu vitæ et data commoda occasione, curandum sacerdoti, ut neque adulti pro se, neque parentes pro pueris suis hanc obligationem negligant.

Suo tempore igitur doctrina sacramenti Confirmationis dilucide explicetur, ut fideles ejusdem præsertim effectum cognoscant, robur nimirum Spiritus sancti... homini christiano tam necessarium ad fidem suam, tum ore tum opere profitendam... absque respectu humano... absque timore ullo præter timorem Dei... — ad certandum viriliter adversus mundum, carnem, diabolum... et ad omnes animæ hostes vincendos...

Facile autem Confirmationis virtus palam fit symbolo sacri chrismatis, quod ex oleo et balsamo conficitur. Oleum enim quo ungebantur olim athletæ, fortitudinem indicat militum Christi... Oleum quoque lampadem alendo lucet : quo indicatur lumen fidei, vi sacramenti custodiendæ... Balsamum autem odoriferum fragantiam indicat virtutum, quæ ex fide vivida efflorescunt et Christi fragrantiam diffundunt : *Christi bonus odor sumus...* II Cor. 2.

Ubi Confirmationis administrandæ tempus appropinquat, peculiari cura illi qui confirmationem recipere debent, præparandi sunt, videlicet instructione debita, piaque susceptione sacramentorum pœnitentiæ et sacræ Communionis...

An quæcumque a me postulat sacramentum confirmationis diligenter adimpleo ?... An fideles quoque exhortor ut hujusce beneficii non immemores, nec post receptam hanc a Deo gratiam, ingratos se exhibeant ?...

O Domine Jesu, gratias tibi ago pro sacramento confirmationis Ecclesiæ tuæ concesso... pro eodem Spiritus sancti dono, quod mihi, animabusque mihi concreditis largiri dignatus es. Fac, quæso, ut neque ab ipsis neque a me negligatur quidquam quod ad hoc saluberrimum sacramentum pertineat.

De Extrema Unctione et Matrimonio.

—

Pr 1. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Jac. v. 14. — *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Ephes. v. 32.

Pr. 2. Ut intelligam quam salutaria sint sacramenta Extremæ Unctionis et Matrimonii, rite recepta, utque zelo prudenti eadem sancte suscipienda procurem.

I. De Extrema Unctione. — II. De Matrimonio.

I P. EXTREMA UNCTIO. — Quanta Dei bonitas!... quam suavis providentia Christi Domini, qui ad infirmorum levamen, et ad sanctificandum nostrum ex hac vita exitum, sacramentum Extremæ Unctionis instituit!...

Quam pretiosum illud sacramentum, quo mitigantur corporis dolores, imo sanitas restituitur si expediat... peccata delentur... animus in extremo luctamine roboratur!... Nonne summe desiderabiles hujusmodi effectus?... Quid enim melius homo christianus in infirmitate exoptare possit, quam sanitatem si hæc expediat?... vel si moriendum sit, ut sancte moriatur?... Atqui hæc optata per Extremam Unctionem consequitur...

Quoniam hæc Christi misericordissima voluntas est, ut fideles sui ex hoc mundi egrediantur ita purgati, ut absque purgatorio cœlum ingredi possint... ea auxilia et sacramenta paravit, quibus, si rite adhibeantur, fideles ab omni debito liberentur ante mortem, et sine mora in cœlestia tabernacula recipiantur...

At vero inimicus animarum nostrarum huic salutari fructui impedimenta suscitat... et ut Extrema Unctio vel omnino non, vel tarde ac male recipiatur, hominibus incutit vanum hujus sacramenti timorem, falso eis persuadendo illud esse mortis certæ præambulum... et causam periculosæ perturbationis infirmo...

Hæc itaque obstacula sacerdos pro viribus dissipet, effectus Extremæ Unctionis clare exponendo, eum nominatim qui sanationem respicit. Intelligant fideles, nullum dari remedium efficacius a gravi morbo reconvalescendi, quam ut mature extrema unctio recipiatur... Doceantur quoque et intelligant, ad fructus hujus sacramenti sentiendos necessarium esse, ut recipiatur tempestive, quam primum videlicet id gravitas morbi permittat, cum tunc infirmus optimas dispositiones afferre possit...

Vigilanter quoque sacerdos, ubi quem infirmari cognoverit, præsertim si fuerit impius, eum visitet, ad sacramenta recipienda inducat, et post receptionem visitare pergat, donec ad felicem exitum deduxerit...

Quod si ipsemet sacerdos in gravem morbum inciderit, prompta piaque sacramentorum receptione populum ædificet, et animæ suæ provideat...

Si confratrem graviter decumbentem invisat, eum ad similiter agendum cum charitate monere non dubitet...

An omnia hæc quæ ad fidelem extremæ unctionis dispensationem pertinent, servavi et implevi ?... Quod propositum faciendum ?...

Da mihi, Domine, novo fervore implere quæcumque respectu extremæ unctionis a me ministro tuo requiris...

II P. MATRIMONIUM. — Quanta iterum Domini sapientia in sacramento Matrimonii instituendo elucet ! Nonne funestissimus bonis moribus scopulus occurrit in matrimonio contrahendo ?... Nonne a matrimonio bene contracto pendet, non solum felicitas conjugum, sed educatio prolium, et humanæ societatis vera solidaque prosperitas ?... Oportuit igitur actum illum socialis ordinis fundamentalem per sacramentum sanctificari... — Gratias tibi ago, Domine Jesu, pro sacramento Matrimonii, insigni utique beneficio, Ecclesiæ tuæ concesso...

Utinam sacramento hoc magno juxta mentem divini Institutoris uterentur fideles ! Quam fortunati forent conjuges !... Quam felices familiæ !... Tunc enim, divina gratia roborati, in pace et unione sancta maritus et uxor viverent, onera sui status mutuosque defectus patienter ferrent, proles vigilanter et pie educarent... Hinc familia fieret vere christiana, beata, et imaginem referens para-

disi... ubi regnaret Deus pacis, ubi celebrarentur Dei laudes; ubi Deo obedirent parentes, velut Sancti, parentibus pueri, velut Angeli... Nonne tanti boni principium est sacramentum matrimonii sancte contractum ?...

E contra, familia mala, prorsus diversa, quæ imago et porta inferni... nonne e matrimonio male contracto originem ducit ?...

Quanta igitur cura agendum sacerdoti, ut matrimonii sacramentum recipiatur non tantum valide, sed pie ac fructuose ?... Frequenter ergo, tum parentibus, tum utriusque sexus juvenibus præ oculis ponat, hinc felicitatem familiæ bonæ, inde infortunium familiæ pravæ... Cujus differentiæ causa est matrimonium, bene vel male susceptum... Addat, boni matrimonii causam esse fugam peccati
Psalm.127. et timorem Domini: *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum...*

Neque omittat clare docere, in oppidis præsertim, matrimonium quod *civile* vocant, non esse nisi vanam formulam... et, si non accesserit sacramentum Ecclesiæ, non fundare nisi turpem concubinatum...

Si fieri possit, singulis mensibus, vel bimestribus exercitia quædam spiritualia tradantur, nupturientibus adaptata; ut ad sacramentum recipiendum digne præparentur...

An hactenus debitam curam adhibui, ut sacramentum matrimonii sancte et cum fructu recipiatur ?...

In fine, fiat oratio ad Jesum, ad B. Virginem, ad S. Joseph, tum pro nupturientibus fidelibus, tum pro ipso
Ephes. 5. sacerdote, ut *sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia* digne valeat dispensare.

De sacramento Pœnitentiæ. Zelus.

Pr. 1. *Libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.* II Cor. XII, 15.

Pr. 2. Ut intelligam quam efficax ad salvandas animas sit sacramentum Pœnitentiæ, illudque rite frequentandum summopere cordi habeam.

Ut zelus noster respectu sacramenti pœnitentiæ accendatur, considerandæ sunt I. hujusmodi zeli motiva, II. effectus.

I P. ZELI MOTIVA. — Magnum debet exercere zelum sacerdos ut sacramentum Pœnitentiæ rite adhibeatur, ejusque virtute sanctificentur fideles. Est enim præcipuum quoddam sanctificationis medium... adeo ut statui possit : *Qualis confessio, talis parochia...* id est, si quæritur qualis sit internus status ac spiritualis valor fidelium, ejus mensura atque indicium externum haberi potest rectus ac frequens usus sacramenti Pœnitentiæ... Ex quo enim mali, boni, ferventes christiani dignoscuntur ? Nonne ex confessionis usu ?...

Quicumque ergo sacerdos bonum animarum promovere cupit, sacramentum pœnitentiæ medium efficacissimum esse sciat...

Maxima autem parte bonus Confessionis usus pendet a confessario. *Dentur idonei confessarii*, aiebat S. Pius V, *et ecce omnium christianorum plena reformatio*... Nonne ab uno confessario sæpe totius parochiæ salus aut interitus pendet ?...

An confessionale itaque magni facio? An sanctum confessarii munus cordi habeo, amo, multumque ad id afficior in Domino ?... An potius velut molestum ac laboriosum perhorresco ? aut ex conscientia nimis anxia et meticulosa reformido ?...

Nec tantum respectu fidelium, sed respectu ipsius confessarii sacramentum pœnitentiæ utilissimum est ac pretiosum. Nam audire pœnitentes est actus charitatis, summopere placens Deo, quo immediate ipsi cooperamur ad salvandas animas Christi sanguine redemptas... actus misericordiæ spiritualis eximius, maximeque meritorius... actus quo exercentur aliæ virtutes plurimæ, ut mansuetudo, mortificatio, patientia... quandoque in gradu heroïco et sine periculo vanæ gloriæ... O quantum thesaurum sibi comparat coram Deo sanctus confessarius !...

Domine Jesu, gratias tibi ago pro instituto sacramento tam salutari... Da mihi, quæso, magnum zelum, ut fideles ad ejus frequentationem adducam, et ipsemet sanctæ ejusdem administrationi me impendam... Da mihi amare tribunal pœnitentiæ ; da mihi spiritum zeli et laboris ad ministerium istud necessarium.

II P. ZELI EFFECTUS. — Eo tendit zelus ut sacramentum pœnitentiæ uberrimos fructus suos fidelibus producat. Ad hoc autem requiruntur duo : recta frequentatio ex parte fidelium, et recta administratio ex parte sacerdotis.

Ut frequentent sacrum tribunal fideles, bene sunt instruendi... Cognoscant utilitatem, imo necessitatem, hujus medicinalis balnei... Cognoscant quæ præparatio requiratur...

Præterea accessus eis sit ad confessionale facilis... et a confessario nunquam aspere, sed benigne excipiantur ac paterna benignitate tractentur...

Quapropter confessarius confessionali assiduus sit oportet... et mansuetudini studeat...

An ego igitur, vocatus ad confessiones audiendas, statim cum animi alacritate eo me confero ?... et quo major confitentium multitudo futura est, eo magis tempestive ab aliis occupationibus me expedio ?... An caveo ne verbis aut signis locum dem suspicioni, quasi ægre munus meum obeam et gravate ?... cum potius facilem me semper exhibere debeam... An erga pauperes et eos qui rarius confitentur, præcipue obsequiosum me ostendo ?...

An diebus dominicis et festis, summo mane ad confessionale me confero, etiamsi nullus adsit pœnitens ?... An pridie festorum, mane et post meridiem me paratum exhibeo ?...

An vocatus ad juvandos eos qui morti vicini sunt, eos adeo sine mora, eaque in promptu habeo, quæ eo tempore in quo tanti est momenti, usui esse possint ?...

An peculiaris mihi cura de pueris ad rite confitendum instituendis ?... An statutis temporibus parvulos necdum communicantes ad confessionem voco ?... An instructione ad captum, eos præparo ? An dein, non velociter expedio... sed blande excipio, interrogo, adjuvo, tracto in maturitate judicii, eosque ubi fieri potest dispono, ut saltem sub conditione gratiam absolutionis recipere possint... discantque bene confiteri et confessionem amare ?...

Da mihi, Domine Jesu, zelum et charitatem Cordis tui, ut me impendam et superimpendar ipse pro animabus in sacro tribunali, et illic assiduitate et bonitate constanti clamem fidelibus, quasi in persona tua : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. 11.

De sacramento Pœnitentiæ. Præparatio.

Pr. 1. *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Luc. XXIV, 49.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo sacerdos ad ministerium Pœnitentiæ se præparare debeat, utque hanc præparationem studiose adhibeam.

I. Præparatio remota. II. Præparatio proxima.

I P. REMOTA. — Præparatio remota consistit in comparanda sibi *quanta potest maxima scientia et prudentia*, cum copia patientiæ et charitatis... ut rite obeat officium quadruplex : judicis, doctoris, medici ac patris... Rit. Rom. II Para.. 19.

Cum confessarius in sacro tribunali *non hominis exerceat judicium, sed Domini*, et plerumque id ex tempore debeat proferre, indiget ut patet competenti scientia et prudentia,ne *quodcumque* male *judicaverit in se redundet*...

Studium igitur theologiæ *moralis* et *asceticæ* nunquam relinquat... Vehementer enim errat qui putat, satis esse quod olim addiscendæ theologiæ operam dederit...

Constanti studio proficere conetur in scientiis, quæ *judici, doctori* ac *medico* animarum necessariæ sunt, neque unquam existimet se in illis satis perfectum esse...

Studeat in praxi tenere viam mediam illam tutam, quæ a probatis auctoribus docetur et a piis confessariis uniformiter servari solet... Ædificantur fideles,dum vident sacerdotes uniformis doctrinæ vinculo esse colligatos.

Ejusmodi sit confessarii scientia, ut non tantum licitum ab illicito, grave a levi discernat... sed etiam pœnitentes ad veram contritionem et ad pietatem movere noverit...

Sciat ex Rituali, absolvi non posse eos qui nulla dant signa doloris, qui odia deponere, aliena restituere, damna compensare, peccatum vel peccati occasionem proximam relinquere, scandalum tollere et, si publicum sit, publice reparare nolunt... item qui scitu necessaria de necessitate medii ignorant, quique societatibus occultis, vel pravis libris aut diariis renuntiare recusant...

Teneat quoque brevem convenientemque interrogandi

methodum... contra singulorum peccatorum species exempla et dicta Sanctorum, atque alia salutaria remedia comparare studeat...

Sciat non tantum quæ necessaria sunt ad peccatores a peccato retrahendos, sed ea etiam quæ conducunt ad promovendum in via virtutis ac perfectionis animas sanctiores... Quapropter eum versatum esse oportet in scientia ascetica, quæ et *scientia sanctorum* appellatur... quæque non tantum studio ac lectione auctorum, sed præcipue oratione, experientia propria, passionum mortificatione, et sancta vita acquiritur.

Scio, Domine, quoniam ars artium est regimen animarum... ministerium Pœnitentiæ postulare a me ut nunquam sacra studia relinquam... at tu, quæso, conatibus meis fave tuo lumine, sine quo nihil humana studia prodesse possunt.

Præter scientiam, sanctimonia vitæ confessario necessaria est. Requiritur in eo conscientia inculpata vitæque innocentia, quantum humana fragilitas id patitur... et insuper spiritus orationis, quo indesinenter postulet cœlestem sapientiam, ut semper cum eo sit et cum eo laboret...

Ad officium implendum *patris*, sit patientia instructus et longanimatate... polleatque charitate et zelo, suavitate ac fortitudine, bonitate ac misericordia... sicut bonus samaritanus... sicut pater filii prodigi...

« Mementote, inquit S. Franciscus Salesius, vos a pœni-
« tentibus *Patrum* nomine compellari : quia reipsa ani-
« mum erga ipsos habere debetis vere paternum, reci-
« piendo ipsos summa cum charitate, sufferendo patienter
« eorum rusticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tardi-
« tatem, aliasque imperfectiones... Licet sordidus et fœti-
« dus redeat filius prodigus, benignus pater eum amplec-
« titur, amanter exosculatur, et super collum ejus ruens
« lacrymatur... eo quod sit ipsius pater, et cor paternum
« teneriori affectu erga filios soleat commoveri... »

Da mihi, Domine, ut paterno hoc affectu pœnitentes audiam, hac mansuetudine alloqui discam.

II P. PRÆPARATIO PROXIMA. — Hæc continetur puritate conscientiæ, quæ saltem peccato mortali sit immunis... dein pia precatione, qua Spiritus sancti lumen et immacu-

latæ Virginis protectio imploratur... demum intentione bona, qua, non personæ, sintne divites an pauperes, sed solæ animæ attenduntur Christi sanguine redemptæ... — Invocata gratia Dei, confessionale adeat confessarius cum fiducia, in spiritu fidei cogitans se illic non esse solum : *Ego mitto vos, ego vobiscum sum...*

O Domine, qui infirmitati meæ imponere voluisti onus angelicis humeris formidandum, adsis mihi, quæso, et supple insufficientiæ meæ : mitte sapientiam tuam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit et mecum laboret, meque juvet animas sanctificare tuo sanguine redemptas.

De sacramento Pœnitentiæ. Administratio.

Pr. 1. *Samaritanus videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.* Luc. x, 34.

Pr. 2. Ut sancto desiderio acquirere cupiam artem artium, regiminis animarum, in eaque semper proficere merear.

Ad fructuose confessiones excipiendas, requiritur ut, præter munus doctoris, sacerdos rite partes impleat, I. patris, II. medici, III. judicis.

I P. MUNUS PATRIS. — Ut sit vere pater, confessarius, benignitate plenus erga prodigos filios, misericordiæ viscera induat, discatque *condolere iis qui ignorant et* Hebr. *errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate...* Amanter igitur excipiat quoscumque peccatores, gravissimis criminibus oneratos, et libentissime eos adjuvet, ut conscientiam suam penitus excutiant...

Vultum præferat humilem et benignum, nec indiscrete faciem respiciat confitentis, maxime mulieris...

Caveat ne verbis vel suspiriis significet aliquid sibi in pœnitente displicere... Nec dicentem peccata interpellat, aut verbum minus gratum ei suggerat, quo cor ejus constringatur, ut reliqua dicere non audeat... E contra, affectuosis verbis ejus cor dilatet et confirmet. Sic, inquit

Regino, alloquere peccatorem : Frater, ne timeas tua peccata confiteri : nam et ego peccator sum, et fortassis pejora quam tu peccata commisi... — Videns eum verecundantem, blande confirma, dicens : Fortasse, carissime, non omnia tibi in memoriam veniunt, ego te interrogabo...

Caveat sacerdos, ne, cum pœnitens peccatum aliquod enorme dixit, statim eum increpet ; sed, prius auditis omnibus, magnitudo peccatorum est insinuanda...— Recensentes peccata sua patienter et attente audiat, et quamvis abominanda proferant, signum nullum admirationis vel horroris edat ; sed perinde ac si nihil audiret hujusmodi, ad finem usque confessionis dissimulet...

Si pœnitens imparatum ad absolutionem se exhibet, conetur confessarius, juxta regulam Leonis XII, studiose, mansuete et patienter cum ipso agendo, ex imparato facere paratum... — Quod si id consequi non valeat et hominem remittere cogatur, ita eum paternis monitis remedia indicando, ac blandis verbis dimittat, ut stato tempore velit redire ad patrem...

O Domine Jesu, Pater misericordiarum, da mihi benignitatem Cordis tui...

II P. MUNUS MEDICI. — Pius medicus nihil negligit ut pœnitens sanitati restituatur : ut nimirum nunc valido sacramento remissionem peccatorum accipiat, et in ea postmodum non relabatur... imo, ut ab omni infirmitate liberatus, spiritu revalescat et in bono proficiat...

An has partes impleo ? An quantum oportet inquiro in peccatorum speciem, numerum et circumstantias, explicatu necessarias ?... An simul abstineo ab omni interrogatione inutili vel curiosa, et in materia sexti interrogo admodum parce, caste et caute, præsertim adolescentes et mulieres ?...

An distinguo inter lepram et lepram, inter peccantes ex fragilitate, et peccantes ex malitia ?... inter mere recidivos et inveteratos consuetudinarios ?... ut correptiones et consolationes, remediaque efficacia attemperare possim pœnitentibus...

An peccandi occasiones ac radices prudenter et efficaciter removeo ?... An remedia practica trado superandi

tentationes, qualia sunt : fuga occasionum, frequentatio sacramentorum, lectio pia, occupatio ac labor, oratio et meditatio, invocatio frequens nominis Jesu et Mariæ...

An efficacibus verbis peccatores ad veram contritionem adducere conor, et ad vitam emendandam ?... An etiam animas bene dispositas in virtutem promovere studeo, adhortando eas ad omnia officia sui status sancte implenda ?... An semper verbulum adhortationis adjicio ? S. Franciscus Salesius solebat pauca sed maxime opportuna dicere...

Annon recuso confessioni etiam *generali* aures præbere, ubi tamen necessaria vel utilis, et non vere nociva judicetur ?... Quod si pœnitens scrupulis aut alio difficili morbo laborat, an æque patienter eum tracto ?... — An propter confitentium multitudinem, non citius festino quam expedit ?... An salutarem et convenientem adeoque etiam medicinalem satisfactionem impono, *habita ratione status, conditionis, sexus et ætatis, item dispositionis pœnitentium ?...* Rit. Rom.

O Domine, veniam peto de multis antehac defectibus commissis... da mihi melius in posterum medici munus et officia implere.

III P. MUNUS JUDICIS. — Sciens se non hominis exercere judicium, sed Dei, cum animi pace, mentis libertate et sine acceptione personarum minister Christi suum munus impleat. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis...* Eccli. 7.

An caveo tum a severitate nimia, tum a laxitate ?... An diligenter considero, quando conferenda vel differenda sit absolutio ?... Et ubi agitur de occasione proxima, an fortiter me gero in differenda absolutione, quousque pœnitens occasionem removeat, aut e proxima fecerit remotam, adhibendo media ?...

An attendo, ut qui semper eadem venialia peccata confitentur, saltem de uno veram contritionem habeant, aut ex præterita vita aliquid gravius, cujus eos vere pœniteat, repetant ?...

Domine, Deus misericordiæ, qui me miserrimum constituisti, *ut in directione cordis judicium judicem, da* Sap. .

mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret, quatenus fructum faciam in animabus, et fructus meus maneat.

De sacramento Pœnitentiæ. Regulæ speciales.

Pr. 1. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* I Cor. IX, 22.

Pr. 2. Ut crescam zelo respectu sacramenti Pœnitentiæ, nihilque negligam ut ejusdem fructus a fidelibus percipiantur.

Considerare juvabit coram Domino, puncta quædam peculiari attentione digna : I. quomodo sit agendum cum quibusdam pœnitentium classibus ; II. quomodo curandum ne sacramentum reddatur odiosum ; III. quomodo propriæ saluti confessarius prospicere debeat.

I P. PŒNITENTIUM CLASSES. — Quomodo agendum cum pueris? Omnem charitatem, inquit S. Alphonsus, et modos suaviores confessarius cum pueris adhibere debet... — Caveat eos perfunctorie tractare, sed blande interroget juvetque, ne peccata reticeant... Multoties prodest, etiamsi pueri negent se peccatum commisisse, nihilominus ac si fassi essent, interrogando pergere : Et nunc, dic mihi quoties hoc fecisti ? quinquies ? decies ?... Dein adjuvandi via interrogationis, an tristes sint quod Deum, tam bonum Patrem, offenderint? an ei promittant hæc et ista vitare ?... ut absolutionis beneficium saltem sub conditione accipere possint... — Attendendum ut injungatur pœnitentia levis et quantocius implenda, ne oblivioni detur...

Marc. 10. An non cursim et obiter, sed cum vero zelo pueros pertracto ? *Sinite parvulos venire ad me...* An etiam curo ut ad primam communionem accessuri præteritas confessiones repetant,cum non raro accidat ut invalidæ fuerint?...

Quomodo agendum cum juvenibus qui de ineundo vitæ statu deliberant ? In hujusmodi consilio dando cavendum

imprimis ab omni pravo affectu, ut unice Dei laus et bonum animæ respiciatur... Peculiari prudentia agendum ubi agitur de vocatione ecclesiastica vel religiosa... An signa vocationis bene cognosco, eaque utrum in pœnitente reperiantur examino?... An valde caute procedo, Deumque enixe oro ne quem a sancta vocatione avertam... aut, ne sacerdotem indignum in Ecclesiam intrudam neve, religiosum vel religiosam, absque vocatione in monasterium?...

In excipiendis sacerdotum confessionibus, inquit S. Alphonsus, confessarius reverenter se gerat, sed etiam fortiter in faciendis debitis correctionibus, et in deneganda absolutione, quoties oportet... An serio confratrem ab omni periculo retraho?... An principiis obsto?... An meditationem quotidianam, examen conscientiæ, aliaque media necessaria præscribo ut sacerdos in bono perseveret et proficiat?...

Concede mihi, Domine, zelum Cordis tui, simulque fortitudinem et prudentiam... ut animabus omnibus, pro varia cujusque necessitate prodesse possim.

II P. NE ODIOSUM SACRAMENTUM. — Maxima est habenda cura sigilli, nec quidquam agendum, ex quo rationabiliter pœnitens suspicari possit confessarium secreto sacramentali usum esse. An nunquam temere de confessione, de conscientiæ casibus, de loquendi pœnitentium modo, præsertim coram laïcis, quidpiam dico, ex quo tam facile scandalum et offensio oriuntur?... An caveo, ne in re tanti momenti sim laxæ conscientiæ?

An nunquam exquiro nomen complicis?... An mentis distractione causam non præbeo, ut pœnitens accusationem repetere debeat?...

Annon altiori voce vel increpantis tono loquor, cum periculo frangendi sigilli, et pœnitentes a sincera confessione deterrendi?...

An non inconsulto pœnitentem remitto ad suum consuetum confessarium, cum periculo ne peccata reticeat?...

An consulo omnimodæ libertati pœnitentium, neminem ad mihi semper confitendum induco... et si quis alium confessarium adire velit, id mihi gratum esse benigne ostendo?...

An extraordinarios confessarios populo interdum pro-

curo? Pro libertate conscientiæ, pro innumeris sæpe sacrilegiis vitandis, hanc rem momenti maximi duxerunt viri sanctissimi...

An ab excipienda domesticorum meorum confessione prudenter abstineo?...

Psalm. 140. *Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis*, ne unquam, nisi consilii petendi necessitate, de auditis confessionibus os aperiam.

III P. CONFESSARII TUTELA. — Curare debet sacerdos ut propriæ saluti prospiciat, dum se impendit alienæ... An ego ea humilitate, cordis compunctione et charitate confessiones excipio, ut aliena accusatio mihi prosit ad spiritualem profectum?...

An in audiendis confessionibus, feminarum præsertim, sollicite caveo ab omni familiaritate aut sensuali affectione?... An eo ipso quod eas audio in confessione, intelligo me ab earum conversatione peculiariter debere abstinere?... Sapientissima regula est ut in confessionibus audiendis, præsertim feminarum, severos se potius exhibeant sacerdotes quam familiares : in universum tamen paterna quædam et spiritualis gravitas in eis eluceat ; utque eos qui crebrius confitentur, maxime feminas, breviter expediant...

An accedens ad confessionale, vel in eo sedens, caute custodio oculos? An adversus tentationes me munio pia oratione et recordatione novissimorum?...

O Domine Jesu, per intercessionem immaculatæ Matris tuæ, da mihi ita prudenter animarum salutem in Pœnitentiæ sacramento procurare, ut nullum anima mea detrimentum patiatur.

De directione spirituali.

Pr. 1. Spectare Saulum a Christo prostratum in via Damasci, et dicentem : *Domine quid me vis facere?* Dominus autem mittit eum ad Ananiam, dicens : *Surgens, vade Damascum, et ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere.* Act. XXII, 10.

Pr. 2. Ut intelligam quid sit spiritualis directio quæ ad sacerdotale munus pertinet; utque, quantum possum, assequi contendam hanc artem artium, regimen animarum.

I. Quid est spiritualis directio et quæ sunt ejus partes ? II. Quomodo ars dirigendi acquiritur ? III. Quænam principia sequenda ?

I P. DIRECTIONIS NOTIO ET PARTES. — Directio spiritualis est prudens adjutorium, pœnitenti pio præstitum, ut in via virtutis ac perfectionis progrediatur. Partem constituit sacerdotalis officii : propterea enim a Domino positi sunt sacerdotes, ut animas non tantum a suis peccatis liberent, verum etiam dirigant in via virtutis et perfectionis.

Directionis veluti partes sunt : finis, via, viator, obstacula et media.

Finis directionis est animæ perfectio, quæ in exercitio charitatis consistit... Hæc autem perfectio intelligenda est sensu relativo, scilicet relate ad statum et conditionem personæ; cum unusquisque ad perfectionem sui status propriam vocetur. Perfectus autem erit, si officia status sui in spiritu divinæ charitatis adimpleat...

Via datur duplex a Christo proposita : una mandatorum... altera consiliorum, quæ ad religiosos spectat et aliquomodo etiam ad sacerdotes sæculares... Per alterutram ducendus est pœnitens, prout a Deo fuerit vocatus...

Viator est ipse pœnitens, quem director apprime cognoscere debet... Quapropter scire studeat utrum sit incipiens dumtaxat, an proficiens aut aliquatenus perfectus... utrum tepidus, pusillanimus, an generosus et fortis...

Obstacula occurrentia sunt passiones, vitia, consuetudines, inclinationes pravæ... tentationes, variæque occasiones peccati et scandala... — *Media* adhibenda ad extirpandos defectus, ad pravas inclinationes vincendas, ad progrediendum in omnes virtutes, sunt : oratio ac meditatio, pia lectio, examen conscientiæ tum generale tum particulare, sacramentorum frequens usus, mortificatio, jejunium, aliaque opera pœnitentiæ aut misericordiæ...

Concede mihi, Domine, hæc omnia practice cognoscere, ut prudenter in occurrentibus casibus applicare possim.

II P. ARTIS DIRECTORIÆ ACQUISITIO. — Ut ars directionis acquiratur, quatuor conferunt subsidia : oratio, propria experientia, lectio ac studium, experientia animarum sanctarum.

1° Oratio. Vir orationis esse debet director, ut accipiat desursum lumen... ut impetret suis clientibus gratiam... utque erga ipsos induat viscera misericordiæ et mansuetudinis Christi...

2° Experientia propria. Necesse est ut, quæ director alios docet, ipsemet sit expertus. Hanc autem experientiam non habebit, nisi strenue adversus peccata, passiones, pravasque cordis sui inclinationes pugnaverit... orationi vacaverit, variaque adhibuerit media proficiendi in virtutem, quæ clientibus proponere debet... Quapropter oportet ut director vir mortificationis sit, et ipsemet ad perfectionem tendat...

3° Lectio ac studium librorum, quos Ecclesiæ doctores, ac magistri spiritualis vitæ de christiana perfectione conscripserunt. Præcipui auctores hujusmodi sunt : S. Franciscus Salesius, S. Theresia, P. Jacobus, Alvarez de Paz, P. Seurin, P. Grou, P. Rodericius, P. Pinamonti, P. Scaramelli, Ludov. Granatensis, S. Alphonsus de Liguori, præsertim *Praxis confessarii*. Multum quoque prosunt Vitæ Sanctorum, inter quas eminent Vita S. Francisci Salesii auctore Hamont, Vita S. Theresiæ, et Vita servi Dei Balthasar Alvarez, scripta a P. Ludovico de Ponte S. J.

4° Demum accedit experientia, quam pius director acquirit ipso exercitio sui ministerii, quo non raro mirabiles divinæ gratiæ operationes in animabus detegens, quomodo eisdem Spiritus sancti operationibus obsecundandum sit practice docetur...

An hæc subsidia adhibui hactenus?... Quid in posterum?...

III P. PRINCIPIA. — Dantur demum principia quædam generalia, quæ Spiritualis director cognoscere et præ oculis habere debet. 1° Omnes pœnitentes tractandi sunt misericorditer et mansuete : imo ipsa fortitudine utendum suaviter. 2° Non omnes eadem via ducendi nec iisdem mediis juvandi. 3° Non nimis celeriter procedendum, sed gradatim et per partes. 4° Id quod perfectius non semper est melius. 5° Promoveatur anima de bono in

melius fortiter, at semper suaviter, nec quidquam ei supra vires imponatur...

O Domine Jesu, da mihi Spiritum sanctum tuum, Spiritum sapientiæ et intelligentiæ, Spiritum consilii et pietatis... ut ipsemet in via perfectionis ambulare et alios in eadem deducere valeam.

De sanctissimo Eucharistiæ sacramento.

Pr. 1. *Euntes invenerunt, sicut dixit illis, cœnaculum magnum, stratum, et ibi paraverunt pascha.* Luc. XXII, 13.

Pr. 2. Ut intelligam quid a me requirat sanctissimum altaris Sacramentum, et religiosissime curem quæcumque ad hoc mysterium pertinent.

I. Zelus respectu SS. Eucharistiæ. II. Ejusdem tractatio. III. Ejusdem cultus procurandus in populo.

I P. ZELUS. — « Omnibus quidem Ecclesiæ sacramentis, « inquit Rituale, religiose sancteque tractandis, magna ac « diligens cura adhibenda est; sed præcipue in adminis- « trando ac suscipiendo sanctissimæ Eucharistiæ sacra- « mento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius « habet Ecclesia Dei : cum in eo contineatur præcipuum « et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiæ et « sanctitatis fons auctorque Christus Dominus... »

Nonne primaria sacerdotis cura versari debet circa Mysterium illud, quod in Ecclesia Christi prorsus primarium est, ratione dignitatis... et ratione influxus in animas ?...

Ratione dignitatis nonne tractandum summa religione ?.. et ratione influxus salutaris, omni studio agendum ut sancte a populo recipiatur in sacra Communione, et pie colatur in adorationibus ?...

Nonne eo majorem zelum hoc Sacramentum requirit, quod est *mysterium fidei ;* et nisi externa pompa magnaque sacerdotis reverentia fidelium fides sustentetur, facile debilitabitur, et devotio intepescet...

Nonne a SS. Sacramenti cultu et frequentatione totius parochiæ velut spiritus pendet ? adeo ut dici possit, tum de parochia tum de unoquoque fidelium : qualis in eo devotio erga Sanctissimum, talis spiritus christianus...

Etenim si vigeat cultus Sanctissimi, frequentatio sacræ Communionis, vigebit omnis devotio et pietas... sin vero languerit, si Dominus in suo Sacramento negligatur, quid est quod sanum ac vivax in fidelibus manere possit ?...

Nonne quod cor in hominis corpore, id Sacramentum istud in Ecclesia... imo et in unaquaque parochia ? Merito igitur de hoc vitæ spiritualis principio dici potest quod monet Sapiens : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit...*

Prov. 4.

An hoc zelo erga SS. Eucharistiam animatus sum ?...

O Domine Jesu, qui me in ministrum altaris tui eligere dignatus es, da mihi fidem vividissimam, ut ineffabile altaris Sacramentum semper objectum sit zeli mei sacerdotalis primarium...

II P. TRACTATIO. — An summum studium in eo pono ut SS. Eucharistiæ sacramentum debito cultu pertractem... custodiam... administrem in templo... et deferam ad infirmos ?...

An diligentia summa curo, ut quæcumque ad illud Sacramentum pertinent, vasa, linteamina, tabernacula, ornamenta sacra, si fieri possit, magnifica sint... aut saltem omni tempore nitore splendescant ?... *Omnia ad Sacramenti cultum ordinata, integra mundaque sint et conserventur...*

Rituale.

An curo vasa sacra quotannis, minimum semel, intrinsecus et extrinsecus ita mundanda, ut suo splendori restituantur ?...

An tabernaculum diligenter ipsemet claudo, et clavem custodio ?...

An vigilo ut ante tabernaculum Eucharisticum lampas diu noctuque ardeat ?... tum in signum reverentiæ... tum ut demonstretur ardens charitas et assiduitas, qua Christus ibidem colendus est...

An sacras species singulis saltem quindenis renovo, novasque consecro quæ recenter confectæ sint...

An graviter, modeste ac devote sacram Communionem

distribuo ?... an porrigendo sacram hostiam, non præcipitanter, sed decentissime crucis signum facio super pyxidem ?... An summa diligentia caveo ne ulla sacra particula decidat aut perdatur ?...

Concede mihi, Domine Jesu, augmentum fidei, ut qua decet reverentia interna et externa tractem mysterium corporis tui... O Beatissima Virgo, impetra mihi reverentiam illam, qua tu idem corpus divinum pannis involvisti...

III P. CULTUS IN POPULO. — An omnem impendo zelum ut frequentetur, et quidem dignissime, sacra Communio?... An sat frequenter et hora populo commoda, eam distribuo ?... imo, an omni hora paratus sum, et volentibus communicare omnem facilitatem præbeo ?...

An, juxta præscriptum Ritualis, populum de ratione pie communicandi sæpius admoneo ?... et doceo sermone simplici ac practico, non tantum qui sint bonæ communionis fructus, sed etiam quomodo ad sancte communicandum præparatio et gratiarum actio sit facienda ?...

An vigilo ut fideles communionem paschalem non omittant ? ideoque in Quadragesima, populo denuntio constitutionem Innocentii III *Omnis utriusque sexus*... ut in Rituali præscribitur ?...

An hortor infirmos ut sacram communionem sumant, etiamsi graviter non ægrotent, et ad illam ministrandam me facilem exhibeo ?..

An omni pietate, tum adhortationibus, tum altaris ac officiorum splendore, allaboro ut frequentetur Missæ sacrificium, Benedictio atque adoratio Sanctissimi, et Oratio XL horarum ?... utque Processio sit dignissima...

O Domine Jesu, adauge mihi fidem erga realem tuam in Sacramento præsentiam... et accende cor meum igne amoris tui... ut et ego, pro meo munere, populi tui fidem augere possim, ejusque devotionem erga Sacramentum amoris tui inflammare.

De SS. Sacramento. Prima Communio.

Pr. 1. *Sinite parvulos venire ad me.* Marc. x, 14.

Pr. 2. Ut intelligam quanta pars ministerii mei sit

prima Communio, utque omnem curam huic operi impendam.

I. Zelus in opere primæ communionis excercendus. II. Praxis.

I P. ZELUS. — Quicumque sacerdos considerat quanti momenti sit prima communio, non potest non summo studio ac indefesso labore satagere, ut illam ministerii sui partem pleno cum fructu perficiat...

Sicut enim a christiana puerorum institutione ut plurimum pendet totius parochiæ incolumitas ; ita ad istam piam educationem efficacissime, imo essentialiter confert, si cum debita præparatione peracta fuerit prima communio...

Nonne tenetur sacerdos illud peculiari zelo curare, quod velut fundamentum pietatis est ac vitæ christianæ in parochia?...

An aliud ullum ministerium tam efficax ac fructuosum datur, quam solida puerorum ad primam communionem præparatio?... Nonne ea tunc sunt ætate pueri, qua capacitatem jam sufficientem et docilitatem adhuc magnam habent ut in christiana doctrina rite instruantur?... Nonne quoque tunc per tempus sat longum instructionem audiunt, ut gradatim ad rerum notitiam eamque stabilem deduci possint?...

Nonne optima hæc occasio tenellas mentes christiana
Coloss. 1. fide ac moribus ita imbuendi, ut postea *in fide fundati et stabiles et immobiles permaneant?*... Nonne hæc pro plerisque præcipua, ne dicam ultima erit christianæ vitæ institutio?...

Ad hæc motiva, quæ respiciunt fructum operis, accedit ejusdem operis excellentia coram Deo. Quid enim Deo gratius, quam opus illud spiritualis misericordiæ, exercitum erga parvulos quos cœlestis Pater tantopere diligit?... opus proinde magni meriti, eoque majoris, quod multas virtutes, ut patientiam et humilitatem, comites requirit...

Intelligo, Domine Jesu, quam pretiosa oculis tuis sit præparatio neo-communicantium : gratias ago tibi, quod illud ministerium mihi committere dignatus es. Fac, quæso, ut idem magno zelo et indefesso labore perficiam...

II P. PRAXIS. — Principium ex quo sequitur totius præ-

parationis effectus, summa existimatio est, quam de sua prima communione concipere debent pueri... An igitur totus in eo sum, ut a præparationis initio intelligant diem primæ communionis esse totius vitæ præclarissimum, et actum illum esse capitalem, ex quo, si bene fiat, totius vitæ felicitas soleat pendere et salus æterna?...

An fidem de præsentia reali bene inculco, et illud oraculum alte infigo puerorum animis : *Opus grande est : neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo?...* I Parai. 29.

An, ut facilior ac solidior evadat præparatio, satago ut a tenerrima ætate pueri christianæ doctrinæ elementa doceantur?... Sic enim fiet, ut convenienti ætate omnes passim inveniantur idonei ad sacra Mysteria participanda...

Intelligant pueri, ut primam Communionem bene faciant, duo requiri : doctrinam et pietatem... Ipse quoque sacerdos, præter instructionem, sedulo corrigendis eorum vitiis allaboret, eosque ad virtutum praxim, maxime obedientiæ, pietatis et diligentiæ informare nitatur... ideoque sat frequenter ad pœnitentiæ tribunal vocet... simulque perfecte doceat methodum bene confitendi, quam tota vita servare possint...

An sæpius etiam, maxime dum instat primæ communionis dies, parentes omnesque parochianos adhortor e suggestu, ut precibus, exemplis ac piis monitis, puerorum studium accendere non desinant... et ut ipsi parentes die communionis ad sacram Synaxin accedant?...

Magnopere juvat, ultimis ante communionem diebus, in quodam secessu, piis ad captum puerorum meditationibus, et communibus precibus eos occupatos tenere, ut quid acturi sint vehementius sentiant... Tunc necessitas inculcetur propositi vitæ christianæ constanter ducendæ...

Prima communio eo celebretur solemnitatis apparatu, ut tenellis animis maxima erga Mysterium fidei ingeratur reverentia, et jucundissima hujus diei memoria remaneat...

An curo quoque ut occasione primæ communionis, vota baptismalia cum rei cognitione renoventur?... ut B. Virgo in Matrem eligatur?... ut pueri nomen dent confraternitati Adorationis perpetuæ... Associationi pro extirpatione

blasphemiæ... ut præmuniantur contra societates secretas, contra lectiones pravas... ut piæ alicui sodalitati adscribantur?...

Da mihi, Domine Jesu, zelum Cordis tui, ut hos pueros tuos, et imprimis pauperiores, præcipua charitate diligam; et iis instituendis atque ad sacram mensam in amplexum tuum adducendis, me penitus devoveam....

De munere docendi. Prædicatio. Præparatio remota.

Pr. 1. *Euntes docete omnes gentes... Prædicate evangelium omni creaturæ.* Matth. XVIII, 19; Marc. XVI, 15.

Pr. 2. Ut munus docendi magni faciam, idque impleam cum zelo, juxta exemplum Domini.

I. Prædicationis æstimatio et amor. II. Præparatio remota.

II Tim. 4. I P. ÆSTIMATIO ET AMOR. — *Testificor*, inquit Apostolus, *coram Deo et Jesu Christo... prædica verbum,*
II Cor. 5. *insta opportune importune... — Pro Christo legatione*
Dan. 12. *fungimur, tanquam Deo exhortante per nos... — Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in*
I Cor. 9. *perpetuas æternitates... — Necessitas mihi incumbit : væ enim mihi est, si non evangelizavero...* An hæc et similia Scripturæ verba præ oculis habeo, atque hinc intelligo quam grave sit... quam sublime... quamque meritorium docendi munus mihi demandatum?...

II P. PRÆPARATIO REMOTA. — Quoniam tanti momenti, tantæque dignitatis est ministerium verbi, ea debet ad id munus adhiberi præparatio, qua digne et competenter annuntietur evangelium Dei... fructusque maximus producatur...

Generatim dici potest : qualis præparatio, talis concio, taleque lucrum spirituale...

An ego respectu præparationis, sive remotæ sive proximæ, mihi neutiquam desum?... et studiose facio

quidquid gravissimum prædicationis ministerium requirit?...

Præparatio remota est imprimis vitæ integritas ac sanctimonia. Caveam, *ne quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*... Caveam ne dici mihi possit : *Medice, cura te ipsum*... vel illud Pauli : *Qui alios doces, te ipsum non doces*... I Cor. 9. Luc. 4. Rom. 2.

An ita vivere studeo, ut quod doceo verbis, exemplis confirmem?...

Memor sit concionator vocatum se esse ad reducendas animas suo Creatori : quod cum sit opus omnium difficillimum, summo studio media illa adhibeat quæ instrumentum cum Deo conjungunt : cujusmodi sunt solidæ virtutes, ac præcipue charitas, pura intentio divini servitii, familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum ad gloriam divinæ majestatis...

Dicitur præcipue studendum charitati : quia, *si linguis hominum loquar et angelorum*, inquit Apostolus, *charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens*... Et S. Gregorius : *Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet*... Cum interrogaretur S. Dominicus, quo ex libro hausisset mirabiles quos pro concione faciebat sermones : *Ex libro*, inquit, *charitatis*... I Cor. 13. Homil. 17. in Evang.

Magis Deo quam proprio labori fidendum : quapropter Spiritus sancti gratia assidue invocanda... Minister verbi sit vir orationis... plenus fide vivida : *Credidi, propter quod locutus sum*...— plenus zelo gloriæ Dei et salutis animarum : *Ex abundantia cordis os loquitur*... et pectus est quod disertos facit... Psalm. 115. Matth. 12.

Præter vitæ sanctitatem requiritur scientia, labore acquirenda... An laborem ad ministerium verbi non omitto, eo prætextu quod aptitudine caream?... Omnis passim sacerdos, dummodo laboret, aptus est ad commune ministerium docendi cum fructu implendum. Paucos dat Dominus Ecclesiæ suæ Chrysostomos ; vult tamen ut omnes sacerdotes sui prædicent verbum : scilicet, *non in sublimitate sermonis*, sed in simplici *verbo veritatis*... Ut enim I Cor. 2.

Pontific. dicit Ecclesia in ordinatione presbyteri : *Sacerdotem oportet offerre et prædicare*, unum scilicet non minus quam alterum officium implere... — Mediocri talento maximus potest fructus produci, dummodo non desit cultura laboris, una cum virtute atque unctione Spiritus sancti...

Pius itaque ecclesiastes laborare debet ut accuratam possideat dogmatum fidei et moralis doctrinæ notitiam... quem in finem Catechismus concilii Tridentini optimo usui esse potest.

Deinde silvam illam rerum ac sententiarum oratori [1] necessariam a longe sibi comparet... Materiam dicendi e probatis theologis, SS. Patribus, et præcipue e sacra Scriptura petat... *Sapienter dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit*... Non tam arida ac jejuna esset multorum oratio, si concionatores illo divino succo alerentur...

S. Aug. de doctr. christ. l. 4.

Conferet multum peculiari studio vidisse Evangelia toto anno currentia, et in eis ea quæ usui esse possunt adnotasse ; itemque compendium fecisse explicationis rerum ad fidem et christianam vitam necessariarum ; atque in communes locos redegisse omnia, quæ ad virtutum commendationem et peccatorum detestationem pertinent...

In fine meditationis, formetur propositum practicum et petatur auxilium gratiæ Dei.

De prædicatione. Præparatio proxima.

Pr. 1. *Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Matth. XIII, 52.

Pr. 2. Ut intelligam qualem prædicatio verbi

[1] In gratiam sacerdotum, docendi muneri addictorum, adornata sunt opera sequentia : *Evangelia Dominicarum*, — *Evangelia de Communi*, — *Explanatio psalmorum de Communi*, — *Adjumenta oratoris sacri*, — *Instruction religieuse en exemples*, — *Elementa theologiæ dogmaticæ, divini verbi ministerio accommodata.*—Bruxelles, Albanel.

Dei præparationem requirat, eamque cum zelo adhibeam.

I. Præparatio immediata non omittenda. II. Argumentum eligendum. III. Argumenti pertractatio.

I P. PRÆPARATIONIS PROXIMÆ NECESSITAS. — Quoad possibile est, nunquam præparatio proxima omittatur, quæ in conscribenda concione consistit. Diligenti præmeditatione ac studio, quatenus per tempus licebit... quæ concionator dicturus est præparet, et prædicationis suæ fructum assiduis precibus Deo commendet...

An mihi pro regula est non habere ad populum sermonem nisi debite præparatum ?...

Scio, Domine, tuam hanc esse suavem providentiam ut creaturarum tuarum cooperationem in omnibus requiras, etiam ad fructum per prædicationem faciendum ; da mihi igitur summa diligentia laborare, ut evangelium tuum quam maximo fructu merear annuntiare.

II P. ARGUMENTUM. — An pro argumentis tractandis ea sumo quæ ad fidem, vitam christianam, veramque pietatem pertinent... quæque scire omnibus necessarium est ad salutem ?...

An a rebus mere politicis tractandis abstineo ?... item ab opinionibus singularibus et curiosis... nec non a quæstionibus mere philosophicis et speculativis ?... quibus e *conferentiis*, ut aiunt, auditores vacui abscedere solent, nihil salutare domum reportantes.

Pro locorum circumstantiis, nostro ævo fideles ita sunt in fide catholica instruendi, et in refutandis popularibus objectionibus exercendi, ut adversus grassantem impietatem et indifferentismum firmi consistant. At hujusmodi refutatio fieri debet solide, clare, atque ita ut piæ aures non offendantur. Si concionator in hac parte satis exercitatus non sit, præstat tacere quam imprudenter controversias in medium adducere. Apud imperitam autem multitudinem expedit generatim incredulorum argumenta non referre...

Ea populo prædicatores proponant, quæ ad captum et utilitatem auditorum erunt accommodata ; iisque insistant quæ ad christianam institutionem, atque ad extirpanda vitia, et virtutes inserendas valent...

Commendare debent Confessionis et Eucharistiæ frequentem usum, in bonis operibus profectum et perseverantiam, pœnitentiæ et misericordiæ opera, sanctarum precum et piarum devotionum exercitia, utilium librorum lectionem, et bonam filiorum educationem...

De gravitate peccatorum, utrum mortalia an venialia sint, non nisi cautissime pronuntient...

Concil. Mediol. Sæpe commemoranda hominis novissima : *Quam sæpissime*, inquit S. Carolus, *sermonibus vestris populo proponite locos perpetuæ christianæ meditationis, de morte, de judicio, de inferno, de gloria et præmio paradisi*... — Tempore præsertim quadragesimæ, prædicetur mysterium mysteriorum, passionis nempe et mortis Domini nostri Jesu Christi...

Sess. 5. III P. ARGUMENTI TRACTATIO. — Selecta materia pertractanda est, juxta mentem Concilii Tridentini, *cum brevitate et facilitate sermonis*... Brevitatem scilicet concilium commendat, ne longiore sermone fatigetur populus, et ab audiendo verbo Dei avertatur... Facilitatem sermonis commendat, ne, si fuerit politior et profundior, captum populi excedat... Sit sermo purus et simplex, ab omni trivialitate æque ac fuco alienus : ut rudiores omnes intelligant, neque doctiores fastidiant... — Attamen *melius*, inquit S. Augustinus, *reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi*...

in Psalm. 138.

Nonne hujusmodi nobilis simplicitatis exemplum dedit ipse Filius Dei ?... An ego e contra sectabor putide inanes eloquentiæ flosculos ?...

De doctr. christ. Præ oculis habenda S. Augustini regula : *Ut veritas pateat, ut veritas placeat, ut veritas moveat*... Oportet enim ut *non solum intelligenter, verum etiam libenter et obedienter audiatur*...

Ut clara sit et perspicua oratio, an evito dicere multa permixte et confuse... studeoque procedere methodice, apte dividendo, distinguendo et enumerando partes ?...

An non multa cursim attingo, nullibi instando ut rem inculcem, intellectum convincam et affectum permoveam ?...

An non hæreo in speculativa doctrina, quin descendam ad praxim ?... Semper fructus practicus *determinate* quis-

piam proponendus est : nunc ut rite audiatur missa, alias ut fiat bona præparatio ad sacramentum Pœnitentiæ, ut non omittantur sed devote fiant preces mane et vespere... preces ante et post prandium... et similia, quæ pro praxi retineant auditores...

Ut corda et fiduciam lucreris, ama multum auditores, eisque eo cum affectu loquere, ut verba tua non ab animo superbo vel indignanti, sed ex visceribus charitatis et pietatis paternæ procedere videantur...

Concede mihi, Domine Jesu, spiritum fidei vividissimæ, spiritum zeli et charitatis una cum spiritu laboris, ut sancte et cum fructu annuntiem Evangelium tuum, secundum normam prædicationis tuæ.

De prædicatione. Prædicandi actus.

Pr. 1. *Non enim nosmet ipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum.* II Cor. IV, 5.

Pr. 2. Ut intelligam qua modestia simul et sancta libertate verbum Dei annuntiandum sit, et prædicationis officium semper impleam ut dignus minister Christi.

I. Quænam sint in prædicatione servanda; II. quæ cavenda.

I P. QUÆ SERVANDA. — Intentio sit pura : nihil præter gloriam Dei et animarum salutem respiciat minister verbi... Deoque seminis jactandi fructum commendet, cujus est incrementum dare...

Magna loquatur libertate et fiducia, utpote sibi conscius auctoritatis suæ... *pro Christo legatione fungens*... verbum ejus proferens, *non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei*... II Cor. 5. I Thess. 1.

Attamen caveat arrogantiam et ostentationem in concione : humilitatemque, cui ex intimo cordis affectu studere debet, in omni actione præ se ferat... In gesticulando ne sit affectatus ; servet vero sacræ personæ quam gerit conveniens decorum... Si quis rumor obstrepescit concio-

nanti, patienter ferat, nec iram, nec turbationem manifestando...

In reprehendendis vitiis ita se gerat, ut omnes intelligant eum solo charitatis et pietatis studio ductum, non personas sed peccata impugnare... Hinc ne quemquam in particulari, etiam occulta allusione, designet, insectetur, vel insectari videatur...

Si minus dociles videantur homines, ne despondeat animum : sed expectet fiducialiter *tempora et momenta quæ posuit Pater in sua potestate...* pergatque *instare in omni patientia et doctrina...*

Act. 1.

II Tim. 4.

Studeat tum in verbis, tum in externa corporis compositione, eam servare gravitatem quæ verbi Dei prædicationem decet... vocemque accommodet ad res quas tractabit... Proinde eam, ubi non est opus, ne præter modum extollat aut deprimat...

Doce me, Domine Jesu, modestiam tuam divinam, humilitatem dignitatemque paternam in prædicando imitari, ut oculis fidelium vere minister Ejus appaream qui dixit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde...*

Matth. 11.

II P. CAVENDA. — Caveat imprimis concionator evangelicus, ne se ipsum prædicet, potius quam Jesum Christum...

Ne increpet peccatores amare et acerbe... Semper spirent in verbis ejus paterna charitas, commiseratio, misericordia Domini Jesu... qui *videns civitatem* Jerusalem, ingratam et in peccatis obduratam, *flevit super illam, dicens... Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi!... Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!...* Nonne eodem accentu clamat piissima mater Ecclesia : *Jerusalem, Jerusalem! convertere ad Dominum Deum tuum?...*

Luc. 19.

Matth. 23.

Cavendum ne in genere dumtaxat de virtute aut vitio disseras ; sed ita loquendum, ut qui reus est, sese quasi in speculo agnoscat... et simul, quid et quomodo debeat emendare bene intelligat...

Variarum personarum classes attingat... parentum sci-

licet et filiorum, — mariti et uxoris, — dominorum et servorum, — magistratus et privati hominis, — divitis et pauperis officia, frequenter, at prudenter et circumspecte demonstret...

Ne superbiat in successu... neque, si minor fructus, aut si pauci sint auditores, animum despondeat.

Finita concione, quicumque successus fuerit, se humiliet coram Deo, gratias agens et dicens : Tuum est, Domine, semini jactato incrementum dare... *nos vero servi inutiles sumus...* Luc. 17.

Da mihi, Domine, spiritum zeli, laboris et humilitatis : ut juxta exemplum Apostolorum, imo juxta exemplum tuum, o Verbum Patris, ministerium evangelicum impleam sancte et fructu quam uberrimo.

De catechismo et scholis.

Pr. 1. *Jesus... complexans parvulos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.* Marc. x, 16.

Pr. 2. Ut intelligam quid sit oculis Dei catechizare parvulos, et zelo tam excelsi ministerii accendar.

I. Quare magno zelo sunt catechisandi parvuli ? II. Quomodo cum fructu catechisandum ?

I P. ZELUS. — An catechesin maxime cordi habeo ? An persuasum mihi est, nullum animarum pastori gravius incumbere officium quam instructionem parvulorum ?... nec aliquid solidi me effecturum in parochia, nisi incipiam a parvulis ?... Quid enim juvet construere ædificium si fundamento careat ?...

Sicut messis pendet a semine, ita sanctificatio hominum a puerili institutione...

Caveat igitur animarum pastor, ne perfunctorie et quasi pro forma hoc munere fungatur...Precibus simul ac labore curandum, ut etiam coram pueris veritas pateat... veritas placeat... veritas moveat... nempe moveat ad peccati odium, ad virtutis ac pietatis amorem...

An præcipue studeo doctrinam reddere planam et jucundum ope exemplorum [1] ?...

An zelum Christi præ oculis habeo ?... Cogites, anima mea, qua charitate Salvator circuiret pagos et castella, ignarum ac rudem populum, nunc in littore nunc in montibus, nunc in locis campestribus erudiens... quomodo se ad auditorum captum demitteret, familiari loquendi modo utens, eadem sæpius repetens, similitudines vulgares adhibens... qua patientia, quo amore turbas comprimentes se sustineret... qua lenitate et mansuetudine hominum tarditatem et stupiditatem juvaret, duritiem et contumaciam ferret... omnibus omnia factus, ut omnes doceret et salvos faceret... An hæc Domini exempla meditor ?...

An diligenter, juxta ordinationem diœcesanam, catechismum tum in ecclesia tum in schola explano, nec unquam mea culpa omitto ?...

An auxilio aliarum quotquot possum personarum utor in opere catechismi ?...

Accende in me, Domine Jesu, Cordis tui amorem erga parvulos, tibi tam charos : ut me summo studio in eorum eruditionem impendam.

II P. PRAXIS. — An, ut fructuosa sit catechesis, imprimis solide et methodice procedo ?...

An curo ut omnes parvuli rite noscant preces... præcipua capita dogmatum, doctrinæ moralis, historiæque religionis... modum assistendi missæ sacrificio et confitendi peccata ?...

An inculco ante omnia, quæ scitu necessaria sunt, necessitate medii... et necessitate præcepti ?...

Methodus hæc aut similis adoptari potest. 1° Catechista signum crucis faciat, recitet preces, interroget de doctrinæ christianæ rudimentis. 2° Recitetur a pueris lectio assignata. 3° Tradat catechista ejusdem lectionis explicationem claram, simplicem, comparationibus et exemplis illustratam : procedendo per quæstiones, sibi ac dein pueris propositas, excitando æmulationem præmiolis...

[1] Inter alias exemplorum collectiones, multum juvabit locupletissimus thesaurus : *Instruction religieuse en exemples, suivant l'ordre des leçons du catéchisme.* Bruxelles, Albanel.

4° Concludatur catechesis brevi ac practica instructione morali, ex modo explicatis deducta, quæ ad pueros et ad adultos, si qui forte præsentes sint, æque dirigenda est. — Demum assignetur lectio pro catechesi sequenti.

An hujusmodi methodum sequor, quæ ad claritatem simul et ad jucunditatem faciat?... An familiares interrogationes adhibeo?... Experientia enim compertum est pueros longe magis proficere, si sæpe ac diversimode interrogentur, quam si continuato sermone edoceantur...

An parentes urgeo, ut liberos et cæteros quos in familia habent, ad instructionem mittant?... An ipsemet omnes allicio, tum benignitate ac suavitate, tum munusculis ac laudibus?...

An puerorum petulantia vel rusticitas ad iracundiam et convicia me non adducit, vel ad tædium et nauseam?... Hic vel maxime illud valet : *Ama, si vis amari...*

An omni sollicitudine curo, ut pueri bene præparentur ad *primam confessionem ?...* ne accedant absque sincero peccati dolore et emendandi proposito : cum prima confessio non raro norma sit subsequentium...

Et quoniam cum catechismo connectitur schola, an sedulam do operam ut omnes pueri scholam frequentent et discendo proficiant? An eos sæpius visito et examino, ut magistrorum et scholarium industriam stimulem? An studeo ludimagistros et ludimagistras mihi devincire, eosque ad christianam pietatem informare, ut eamdem pueris instillare queant?...

O Domine Jesu, qui insigni prædilectione amas parvulos, eosque singulariter Ecclesiæ tuæ zelo commendasti, da mihi gratiam Spiritus sancti, ut eos amanter et cum fructu erudire tibique devincire valeam.

De prædicatione boni exempli.

Pr. 1. *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* I Cor. IV, 16.

Pr. 2. Ut legem boni exempli semper præ oculis

habeam, et memetipsum constanter præbeam formam gregis, exemplum fidelium.

I. Quare exemplum dare debeo? II. Quomodo efficaciter et cum fructu exemplum fidelibus dabo?

I P. MOTIVA. — Bonum exemplum fidelibus dare sacerdos Domini teneor, quia hoc Spiritus sanctus monet ac præcipit ore Christi, ore Apostolorum, ore Ecclesiæ...

Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, inquit Christus suis præsertim sacerdotibus... *Non accendunt lucernam et ponunt eam sub modio... sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo*, in parochia, in communitate *sunt... Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est...*

Joan. 13. Imitari debet sacerdos divinum Magistrum, dicentem : *Exemplum dedi vobis...*

Joan. 10. Nonne exemplo prælucere debet sacerdos, si nomine boni pastoris vult esse dignus?... *Bonus pastor educit oves et ante eas vadit, et oves illum sequuntur*, in via

1 Joan. 2. scilicet virtutis christianæ, ut *sicut Christus ambulavit et ipsi ambulent* discipuli ejus.

1 Pet. 5. Nonne boni exempli legem omnibus promulgat presbyteris sanctus Petrus, scribens : *Seniores* (presbyteros) *qui in vobis sunt obsecro, consenior, et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator : pascite qui in vobis est gregem Dei... forma facti gregis ex animo...*

1 Cor. 4. et 11. Paulus autem ostendit quid sit formam esse gregis et exemplum fidelium, dum scribit non semel : *Imitatores mei estote sicut et ego Christi...* An idem ego dicere possum?...

1 Tim. 4. Præscribit autem boni exempli legem sacerdotibus omnibus in persona Timothei et Titi : *Exemplum esto fidelium... In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum...*

Tit. 2.

Si omnes fideles diffundere debent bonum Christi odorem, quanto magis sacerdos super caput et pedes Domini, id est, inter omnia Ecclesiæ membra spargere debet mys-

ticum alabastrum nardi pistici pretiosi, et implere totam domum odore unguenti ?... Joan. 12.

Dicit Ecclesia, in Concilio Tridentino loquens : *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim clerici in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur...* Sess. 22. Reform. c. 1.

Nonne omnium oculi in sacerdotem, sive pie, sive maligne aperti sunt... ejus personam, tanquam vivendi normam, imo tanquam religionem ipsam intuentes ?...

Nonne bonum exemplum dare debet ut fructum in animabus producat ?... et imitari divinum Magistrum suum *qui cœpit facere et docere...* ne applicetur illi istud : *Dicunt et non faciunt.* Act. 1. Matth. 23.

Nonne, si exemplum bonum non præbet, eo ipso malæ ædificationi locum dabit ?... imo facile causa scandali erit ?... Quo quid perniciosius, tum fidelibus, tum ordini sacerdotali, tum ipsi sacerdoti, qui destruit templum Dei, nedum ædificet ?... *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* I Cor. 3.

O Domine, ne permittas me unquam scandalizare unum de pusillis qui in te credunt...sed adjuva, omnes ut exemplo constanter ædificem.

II P. PRAXIS. — In quibus et quomodo exemplum dare me oportet ?... *Exemplum esto fidelium*, inquit Apostolus, *in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate...* I Tim. 4. Tit. 2.

Et ad Titum scribens : *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum,* in doctrina, *in integritate, in gravitate...*

Præceptum Apostoli formula practica proponi potest hujusmodi : Exemplum esto fidelium in templo, in domo, in parochia... Scilicet in templo, assiduitate, pietate : an semper primus adsum ad officia, ad auditionem verbi Dei ?... An aspicior, interdum saltem, recitans rosarium, obiens viam crucis ?...— In domo, an patiens sum et mansuetus cum domesticis ; comis et benignus in recipiendis parochianis, etiam pauperibus ?... — In parochia, an cha-

ritatem exhibeo omnibus, præcipue infirmis et egenis?...
Eccli. 31. An dispergo pauperibus, ut *eleemosynas meas enarret omnis Ecclesia sanctorum?*...

O Domine Jesu, accende animam meam igne Cordis tui divini, ut sim lucerna ardens et lucens, atque exemplo meo non minus quam doctrina animas lucrifaciam.

De ministerio pastorali.

Pr. 1. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joan. XXI, 15.

Pr. 2. Ut intelligam magnitudinem ministerii pastoralis, illud amem ex toto corde et eidem me penitus devoveam.

I. Objectum. II. Virtutes requisitæ. III. Praxis.

I P. OBJECTUM. — Sublime ac divinum prorsus est ministerium pastorale, utpote ministerium ipsius Christi, quod
Joan. 10. in terris implevit.... *Ego*, inquit, *sum pastor bonus*... imo ministerium, quod Ipse implere perrexisset, si visi-
Ibid. bilis mansisset nobiscum... *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere*...

Quoniam autem juxta consilia æterna, ascendere debuit in cœlum, pastores constituit sui vicarios, quibus per partes commisit pascendum gregem suum, in universo mundo dispersum... An credo vivida fide, mihi a Domino parochiam meam, tanquam particulam gregis sui commissam ?...

Joan. 21. Committens autem sacerdoti gregem, dicit : *Pasce agnos meos*... significans objectum operis esse ut pascat animas... ut eas custodiat et nutriat ad vitam æternam... Et quidem hæc summa est ministerii pastoralis, quæ vocatur *sanctificatio parochiæ*... prout indicat idem Dominus his
Joan. 10. verbis : *Ego sum pastor bonus : ego veni ut oves meæ vitam habeant et abundantius habeant*... scilicet æternam : vitam gratiæ in hoc sæculo et gloriæ in futuro...

Constitutus est Christi sacerdos *ut pascat*... ut ovibus

omnem curam et cibum spiritualem præbeat... *In pascuis uberrimis pascam eos. Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus. Quod perierat requiram, et quod abjectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam...* Ezech. 34.

An secundum Tridentini præceptum, imo juxta mandatum divinum, oves mihi commissas pasco docendo... sacramenta rite commendando et ministrando... exemplis prælucendo ?... Sess. 23. Reform. 1.

Da mihi, Domine Jesu, unum intendere et persequi, sanctificationem parochiæ meæ, in quo summa muneris mei continetur...

II P. VIRTUTES REQUISITÆ. — Imprimis requiritur in animarum pastore magna charitas, amor ardens Christi Domini et animarum ejus... *Simon Joannis*, inquit, *diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos...*

Amor autem quem requirit Dominus a pastore gregis sui, est charitas pastoralis... major charitate fraterna... major charitate paterna... et simillima charitati ipsius Christi, *qui animam suam posuit pro ovibus suis...* Joan. 10.

Requiritur præterea prudentia... fidelitas... Sit *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam...* Matth. 24.

Requiritur fortitudo, mansuetudine temperata... magnaque in Deo fiducia...

Requiritur vigilantia. *Janitori Dominus præcepit ut vigilet... — Attendite*, inquit Paulus, *vobis et universo gregi... quoniam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi... et ex vobis ipsis exsurgent... Propter quod vigilate...* Marc. 13.

Requiritur studium boni exempli dandi...*Pascite qui in vobis est gregem Dei : providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum ; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie ; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo...* I. Pet. 5.

Infunde, quæso, Domine, in cor meum gratiam sancti Spiritus, ut crescant in me et floreant omnes virtutes illæ, quarum germina in sacra ordinatione accepi.

Hebr. 13. III P. PRAXIS. — An jugiter præ oculis habeo gravitatem obligationis pastoralis, ut constanter *pervigilem quasi rationem pro animabus redditurus?...* Parum mihi prodesset vitæ integritas prorsus illibata, si pastor constitutus, quæ pastoris sunt negligerem...

Videam itaque utrum sim pastor bonus... non mercena-
Ezech. 3. rius... non fur et latro... non ad instar illorum *qui pascebant semetipsos, gregem autem non pascebant...*

Si vere, prout debeo, me impendo in ovium salutem et sanctificationem parochiæ, oportet ut omnia munia pastoralia diligenter impleam... Quo spectant sacramentorum administratio, — instructio concionatoria et catechetica, — cura miserabilium personarum, — cura templi ac cultus publici, — abusuum extirpatio, — studium alendæ pietatis per confraternitates, adorationes, mensem Marianum, missiones suo tempore dandas ; — opera charitatis et zeli, ut denarius S. Petri, denarius scholarum, propagatio fidei, societas S. Vincentii, et similia ; — procuratio piarum sodalitatum et cœnobiorum, pro circumstantiis...

O Domine Jesu, qui mihi oves tuas pascendas committere dignatus es, da mihi charitatem Cordis tui, sapientiam pastoralem ac zelum indefessum quo ita me huic muneri
1 Pet. 5. impendam, *ut cum apparueris, o Princeps pastorum, percipere merear immarcescibilem gloriæ coronam.*

De sanctificatione parochiæ.

Pr. 1. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Joan. XVII, 11.

Pr. 2. Ut unicum hoc objectum a Deo mihi præstitutum, præ oculis habeam et persequar, sanctificationem parochiæ.

1. Quid sanctificatio parochiæ ? II. Quare persequenda ? III. Quomodo perficienda ?

I P. QUID ? — Parochiæ nomine hic intelligimus animas omnes sacerdotis curæ commissas... sive parochiam stricto sensu, sive quamlibet aliam communitatem constituant...

Imo, parochia dici potest officium quodlibet sacerdoti concreditum, quatenus illud, indirecte saltem, ad animarum sanctificationem pertinet... quale est magisterium scholare...

Parochia complectitur animas omnes, pauperum æque ac divitum, puerorum et adultorum.... quæ sacerdoti absque personarum acceptione, utpote eodem divino sanguine redemptæ, charæ ac pretiosæ esse debent...

Parochia quidam spiritualis ager est, quem Dominus ministro suo tradidit excolendum... *Constitui te ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes* ignorantiam videlicet et peccata ; *et ædifices et plantes*... Jerem. 1.

Parochia familia quædam sancta est, quæ sacerdoti ut provisori ac patri a Domino est concredita... *quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore*... Matth. 24.

Porro, santificantur animæ, imprimis dum eis confertur gratia sanctificans, qua homo essentialiter justus et sanctus constituitur... Deinde, dum justi in christianis virtutibus promoventur, et quoad fieri potest, deducuntur ad perfectionem...

Quidquid igitur bonum animarum respicit, quidquid ad fidelium instructionem, conversionem, in gratia conservationem, in bonis operibus profectum pertinet, id omne pertinet quoque ad sanctificationem parochiæ...

Sanctificatio parochiæ summa est et finis totius officii pastoralis... Ad hoc mittitur sacerdos, non ad aliud... hoc si fecerit, in novissima hora poterit dicere Domino : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam*... Hæc est villicatio ipsi commissa, de qua rationem reddet : *Redde rationem villicationis tuæ*... Joan. 17. Luc.

O Domine, da mihi ita me in sanctificationem parochiæ meæ impendere, ut dicere possim aliquando : *Opus consummavi quod dedisti mihi.*

II P. QUARE? — Opus istud sanctificationis persequendum, quia hoc est sacerdoti *unum necessarium*... hæc magna obligatio ejus, quam suscipiendo pastorale munus contraxit.

Hæc obligatio gravissima, quam si neglexerit, etiamsi præclaris talentis fulgeat, nihil est, nihil facit oculis Dei...

I Cor. 9. Imo, nisi obligationi huic satisfecerit, peribit... *Væ enim mihi est si non evangelizavero*... Si incuria mea et socordia peccatores pereunt, *sanguinem eorum*, inquit Dominus, *de manu tua requiram*...

Ezech. 3.

Sanctificatio parochiæ est objectum missionis viri ecclesiastici : ad hoc missus in parochiam... non ut pecuniam colligat, sed ut lucretur animas...

Ex altera parte, nonne opus illud nobilissimum, cooperari Deo in salutem animarum ?... Nonne opus misericordiæ eximium, imo omnia misericordiæ opera complectens ?

Nonne opus necessarium, a quo salus animarum pendet ?... Quot animæ peribunt si non efficaciter instructione, adhortatione, exemplo et oratione juventur !... Necesse omnino est, ut sanctificationem parochiæ suæ sacerdos tanquam finem sibi præfixum habeat... Quod objectum si non intenderit, in negligentiam decidet, ejusque parochia mox similis erit agro viri pigri, de quo Sapiens : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat*... En peccata, en jacturam animarum, de quibus rationem reddet sacerdos qui, non serio intendens parochiæ sanctificationem, Deo repræsentabit ejus corruptionem...

Prov. 24.

Si autem ex animo sanctificandis animabus sese impenderit vir Dei, parochia erit gaudium et corona ejus, fietque quantum ex ipso, *sicut ager plenus cui benedixit Dominus*...

Gen. 27.

Da mihi, Domine, ut secundum exemplum tuum, pro discipulis meis *sanctificem me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate*.

Joan. 17.

III. P. QUOMODO ? — Ut parochiam suam sanctificet sacerdos, imprimis eam amet... tanquam de manu Dei acceptam... sicut agricola suum agrum... sicut pastor gregem... sicut pater amat familiam... Ita enim facilius ac melius laborabit... lucrabitur corda, id est amorem, æstimationem, fiduciam... quæ clavis est totius operis.

Parochiam amet, qualiscumque sit a Deo assignata, nec respiciat ad aliam...

Oret, et sciat nisi Dominus ædificaverit domum, frustra se laboraturum...

Oret, sitque unitus cum Deo suo... et sanctus, ut alios sanctificet... Quam potens opere et sermone ille de quo dicunt subditi : *Sacerdos noster sanctus est... homo Dei est!*... Sit autem ita sanctus, ut virtutem amabilem reddat..

Laboret... nam ex labore fructus... Laboret, ut vigeat instructio... pietas... et frequentatio sacramentorum...

Sit prudens... loquatur parce... scribat parcius et cautius... sed operetur abundantius...

Relationes filiales servet cum superioribus... fraternas cum cooperatoribus...paternas, amicas cum subditis omnibus : cum ludimagistris, cum magistratibus, cum magnatibus... cum fidelibus piis, quorum sapienter cooperatione utatur...

Da mihi, Domine, hoc opus tuum unice cordi habere... tecum perseveranter in hoc quasi sanctuario tecum manere et dicere : *Quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Luc. 2.

De cura infirmorum.

Pr. 1. *Infirmos curate.* Matth. x, 8.

Pr. 2. Ut intelligam quantam habere debeam sollicitudinem infirmorum, utque infirmis semper potiorem curam impendam.

I. Quare infirmi peculiariter curandi ; II. quomodo erga eos zelus exercendus sit.

1 P. CUR TANTA INFIRMORUM CURA ? — Inter miserabiles personas, peculiariter sacerdotis curæ commendatas, primo loco veniunt infirmi... non tantum quia corporaliter maxime miserabiles existunt : sed etiam quia secundum animam in extremo versantur discrimine salutis... Mors enim imminet, *momentum, a quo pendet æternitas*... Nonne hic præcipue contra adventum furis vigilandum ?...

Nonne Apostolos suos mittens Dominus, imprimis voluit curam gerere infirmorum : *Euntes*, inquit, *prædicate... infirmos curate.*

Nonne ipse Dominus infirmis misericordiam et amorem exhibuit insignem... hoc etiam charactere a prophetis signatus? *Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit...*

Matth. 8. Isaï. 53.

Nonne ipse tanquam sibi exhibitam accipit et remuneravit misericordiam præstitam infirmis?... *Infirmus fui et visitastis me...* Quemadmodum etiam infirmorum neglectum injuriam sibi illatam reputabit... Væ mihi! si aliquando audire debeam: *Discede a me, maledicte, in ignem æternum: quia infirmus eram et non visitasti me...*

Matth. 25.

Nonne appropinquante morte præcipue zelus exercendus, ut anima in statu gratiæ proficiscatur?... Tunc enim maxime negligentia fatalis esse potest... O! si per culpam meam una tantum anima in ultimo periculo gratia sanctificante privaretur... si per negligentiam meam absolutione, Viatico, extrema unctione carens, idcirco in peccatis coram Deo sisteretur et damnaretur... quale mihi crimen incumberet! qualis remorsus, qualis ultio sequeretur!... Nonne in sæcula sæculorum mihi malediceret perdita per me anima?...

Memoriale

Da mihi, Domine, diligentissimo zelo providere infirmis; et ne permittas ut vel una anima per meam negligentiam pereat...

II P. PRAXIS. — Fideles imprimis hortandi sunt ut sacerdotem admoneant, cum aliquem in parochia ægrotare contigerit, præcipue si morbus fuerit gravior...

Rituale.

Deinde curandum, ut extrema unctio non diutius differatur... sed adhibeatur cum adhuc integra mens et ratio viget...

An ægrotos, ultimis etiam sacramentis rite munitos, frequenter visito, ut eos contra insidias inimici roborem, in gratia Dei confirmem, in doloribus juvem, in anxietatibus pacificem, eosque etiam iteratis vicibus a peccatis absolvam?...

An vocatus ad infirmum non differo, non moras necto, non indulgeo somno?... An eo quod morbus primum videatur minus notabilis, ægrum non negligo? Nonnunquam scilicet inquirendum est utrum morbus ingravescat, periculum immineat: nam sæpe fit ut qui curam ægri gerunt,

credant se abunde fecisse, si *semel* pastorem monuerint...

An e parochia non discedo, dum infirmi fors opera mea indigent ?... An semper curo, ut periculo imminente, facile admoneri et adesse possim ?...

An omnem sollicitudinem impendo, ut confessio moribundi sit valida ?... An diligenter et caute interrogando inquiro, num peccatum aliquod, a multis jam annis forte celatum, animum angat et cruciet ? O quanta sæpe vulnera sic deteguntur !...

An paterna cura prospicio ut ægroti, etiam sacro Viatico jam muniti, in præsidium contra tentationes, iterum ac tertio S. Communione reficiantur, præsertim si ipsimet exposcunt,et morbus est diuturnior?...An infirmum adhortor, juxta regulam Ritualis, etiamsi graviter non ægrotet, ut S. Communionem sumat, maxime si festi alicujus celebritas id suadeat ?

An specialem curam gero de pueris morti proximis, cum malitia sæpe suppleat ætatem ?...

O Domine Jesu, concede mihi, quæso, charitatem tuam erga dilectos tuos infirmos, qua ita diligenter eos curem ac visitem, ut aliquando de ore tuo audire merear : *Veni, benedicte Patris mei, posside paratum tibi regnum : infirmus enim fui et visitasti me.* Matth. 25.

De cura infirmorum. Regulæ Ritualis.

Pr. 1. *Infirmos curate.* Matth. x, 8.

Pr. 2. Ut præcipuo zelo infirmos curem, eosque ad sancte moriendum adjuvem ac disponam.

I. Regulæ Ritualis respectu infirmorum. II. Ejusdem Ritualis regulæ respectu moribundorum.

I P. PRO INFIRMIS. — Has sancta Mater Ecclesia præscribit in Rituali respectu infirmorum regulas, omnibus sacerdotibus pie meditandas.

« Parochus, cum primum noverit quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non exspectabit ut ad eum

vocetur; sed *ultro* ad illum accedat, idque non semel tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit...

Ad hoc juvabit, præsertim in amplis parochiis, ægrotorum notam seu catalogum habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit...

Quod si parochus pluribus ægrotis sufficere non potest, eos visitandos curabit per alios sacerdotes, aut saltem per laicos homines pios et christiana charitate præditos...

Ægrotos visitans, ea qua sacerdotes Domini decet honestate et gravitate se habeat, ut non ægris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem...

Eorum vero præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi Pastoris charitatem et operam requirunt...

Accedat autem ad ægrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac præsertim Sanctorum exempla quæ plurimum valent, quibus eum in Domino consoletur, excitet ac recreet [1]...

Deinde qua par est *prudentia* et *charitate* hominem ad sacram confessionem inducat et confitentem audiat, etiamsi velit totius vitæ peccata confiteri...

Quod si æger aliquis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est; sed quamdiu ille vivit, repetendæ sunt frequentes, variæ et efficaces sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes; adhibendæ sunt etiam tum privatæ tum publicæ ad Deum preces ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis...

Proponet ægrotanti, prout ejus conditio fert, aliquas breves orationes, et pias mentis ad Deum exercitationes; opportune tamen et discrete, ne ægroto molestia sed levamen afferatur ... »

An sanctas hujusmodi regulas præ oculis habeo et pro circumstantiis servare contendo?

[1] Postquam morbum periculosum esse deprehenderit, inquit S. Alphonsus, in *Praxi confessarii*, sensim efficiat ut ægrotus suæ infirmitatis periculum agnoscat. Præsertim advertat, ne ille omnino fidem præbeat medicis et propinquis, qui forte morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum mœrore afficiant.

Da mihi, Domine, gratiam tuam, ut ductum sanctæ Matris Ecclesiæ in omnibus sequar, at præcipue in cura infirmorum.

II P. PRO MORIBUNDIS. — « Ingravescente morbo, inquit Rituale, parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem juvare non desinet, monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore præsto sit morienti...

Si ægrotus indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat, præsertim ut contrito corde sanctissimum nomen Jesu semel vel sæpius invocet...

Deinde hortetur infirmum et excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei et charitatis, aliarumque virtutum...» — Eum adjuvet,actusque virtutum theologicarum breviter suggerat... deinde subjungat, ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa, qualitercumque contra Dominum Deum et proximum commissa... ut condonet omnem injuriam parcatque inimicis ex animo... ut ab iis veniam petat quos aliquando offendit... ut omnes morbi dolores ac molestias propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret... ut si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis a peccatis cavere, et ejus mandata servare...

Hortetur præterea, ut eo modo quo potest, saltem ex corde, ita per intervalla precetur : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam... Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum... Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe...* aliaque suggerat quæ in Rituali habentur.

Demum, si fieri possit, moribundo in ultimo vitæ momento assistat, preces commendationis animæ devote recitet, moneatque circumstantes ut simul orent...

An salutares has præscriptiones observo ?... Quid emendandum in posterum ?...

Oratio finalis fiat ad petendam gratiam, ut pastorale munus respectu infirmorum perfecte obire possim.

De studio sacræ Scripturæ.

—

Pr. 1. *Tu ergo, fili mi, Timothee, permane in iis quæ didicisti... quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu.* II Tim. III, 15.

Pr. 2. Ut rite æstimem thesaurum Scripturarum, semperque sacras paginas pervolvere in deliciis habeam.

I. Cur sacræ Scripturæ studium cordi habendum? II. Quomodo illi studio cum fructu vacandum?

I P. MOTIVA. — Non sane immerito sacra Scriptura utriusque Testamenti *liber sacerdotis* primarius vocatur, quem maximi facere, totoque cordis affectu amare, et assiduo studio pertractare debet...

Nonne est liber in se omnium præstantissimus?... respectu sacerdotis vero bonorum omnium thesaurus?...

Isaï. 1. Quid dignius aut melius quam liber cujus Auctor est ipse Deus, cujus verba verissime sunt verba Dei?... *Audite cœli et auribus percipe terra : quoniam Dominus locutus est...* — Nonne de universa Scriptura dicendum, quod de Evangelicis paginis dicit Ecclesia in missa solemni : Tim. 3. *Hæc sunt verba sacra?...* Etenim *omnis scriptura divinitus* est *inspirata...*

Epist. 84. Nonne recte a S. Gregorio sacer Codex vocatur *epistola quædam omnipotentis Dei ad creaturam suam...* epis-
Aug. in Psalm. 90. tola missa, inquit S. Augustinus, *de illa civitate unde peregrinamur...*

An ita vivida fide Scripturæ verba intueor?..

Quid S. Scriptura profundius? cujus sententiæ tales utique sunt quales ab ipsa Sapientia loquente exspectari possunt : nempe abyssi veritatis ac luminis, quas intelligentia humana usque ad finem sæculorum altius semper atque altius perscrutari poterit, exhaurire nunquam...

Quid etiam mirabili hoc libro jucundius, non tantum ratione veritatis et unctionis... sed etiam ratione antiquitatis ac formæ litterariæ?... quo fit ut mentes, profanis

lectionibus non obtusæ, Scripturarum lectione mirifice delectentur...

Quid sacra Scriptura utilius, quæ tota ad hominis bonum et perfectionem pertinet, sive pro hac vita, sive pro vita futura ?...

Sacerdoti præcipuus thesaurus est, ex quo bona omnia sanctitatis et doctrinæ fidelibus dispensanda hauriat oportet, secundum illud : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera...* Matth. 13.

Nonne de hoc thesauro prompserunt SS. Patres omnes doctrinam illam et eloquentiam, quam miramur et mutuari satagimus ?... Nonne Apostoli et ipse Christus Dominus ex sacris scripturis docuerunt et prædicarunt ?... *Incipiens a Moyse interpretabatur illis in omnibus Scripturis... Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas...* Luc. 24.

Nonne Apostolus in persona Timothei sacerdotes omnes hortatur ad vacandum studio Scripturarum? *Omnis*, inquit, *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus...* II Tim. 3.

SS. Patres inde ab Apostolorum ævo, non exemplo tantum sed et verbis summopere Scripturarum studium, præcipue sacerdotibus commendant. *Scripturam sacram*, inquit S. Hieronymus, *diu noctuque sic mente revolvas, ut tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat...* Et alibi : *Divinas scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur...* Ad Eustoch. Ad Nepotian.

Concilium Trid. monet, cavendum esse, *ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat...* Sess. 5, Ref. 1.

Respectu sacri ministerii, notum est illud Augustini effatum : *Sapienter dicit homo tanto magis vel minus, quanto in scripturis sanctis magis minusve profecit...* De doctr. Christ.

Sancti Dominici, ordinis Prædicatorum, hoc erat axioma : *Sine sacra Scriptura perfectus prædicator esse non potest...*

O Domine, da mihi magis magisque sapere verbum tuum:
Psalm. 118. sint *dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!...*

II P. PRAXIS. — Quotidie per aliquod temporis spatium, saltem per quadrantem, legatur Scriptura sacra. *Quotidianam lectionem unius capitis*, aiunt Statuta Leodiensia,
Cap. 2. art. 2. *tum ex vetere, tum ex novo testamento, omnibus clericis, et iis maxime qui sacro ministerio funguntur, impensius commendamus...*

Peculiari studio, et quidem ope interpretum, perscrutandæ sunt certæ partes, ut Psalmi et Evangelia...

Ut autem lectio, meditatio et studium Scripturæ sacræ cum fructu fiat, quatuor præcipuæ animi dispositiones requiruntur : vivida fides... humilitas... pietas... et bona vita [1]...

Imit. I, 1. *Qui plene et sapide vult Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare...*

Et si quis propter Christum a vanis oblectamentis sequestrare se voluerit, Christus vicissim
Ibid. III, 51. *expandet coram eo prata scripturarum...*

O Domine Jesu, aperi mihi sensum ut intelligam Scripturas...

De vigilantia pastorali.

Pr. 1. *Quoniam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi... propter quod vigilate.* Act. xx, 31.

Pr. 2. Ut vigilantiæ pastoralis necessitatem intelligam, eamque prudenti zelo exerceam constanter.

I. Vigilandi necessitas. II. Incuriæ causa. III. Vigilantiæ praxis.

I. P. NECESSITAS. — Vigilantia pastoralis, diligens nempe sacerdotis studium cognoscendi personas curæ suæ concreditas, nec non quæcumque ad earum spirituale detrimentum vel bonum pertinent... imprimis est necessaria...

Nisi enim subditorum pericula, defectus, necessitates...

[1] Cf. *Cursus Scripturæ sacræ*, tom. I. Introd.

cognoscat Rector, quomodo eis providebit?... quomodo autem cognoscet nisi vigilantia utatur?...

Deinde præpositus custos est et speculator : *Speculatorem dedi te domui Israël*... Navarchus est, stellas considerare debet et cavere a scopulis... Pastor est, caveat oportet a lupis et venenatis pascuis... seminator est boni seminis, agrum custodire debet... eo magis quod diabolus non dormit, sed circuit quærens ubi jactet zizania, quem fidelium perdat ac devoret... Ezech. 3.

Obligationem vigilandi proclamat Dominus, dicens: *Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet*... Marc. 13.

Terribile judicium manet pastori qui, idolo similis, neque videt neque defendit gregem... *O pastor et idolum, derelinquens gregem : gladius* vindictæ *super brachium ejus et super oculum dextrum ejus*... Zachar. 11.

Vigilantia prævenit multa incommoda et a tristi necessitate liberat increpandi...

Incuriæ vero effectus maxime perniciosi pastori severe imputabuntur... Inde enim animarum et parochiæ totius ruina, sicut accidit domui quæ non sarta tecta custoditur... *In pigritiis humiliabitur contignatio*... Eccl. 10.

Da mihi, Domine Jesu, spiritum vigilantiæ, ut *quos dedisti mihi non perdam ex eis quemquam*... Joan. 18.

II P. SOCORDIÆ CAUSA. — Multiplex causa est vel prætextus quo sacerdos ad neglectum vigilantiæ deducitur. Imprimis, turpis segnities et pigritia, qua laborem fugit et quidquid tranquillitatem suam turbare potest...

An non hujusmodi malæ quieti indulgeo?...

An non de numero eorum sum qui nihil curant quia sibi fingunt omnia belle procedere?... *Leva oculos considerationis tuæ*, inquit S. Bernardus, *et vide regiones, si non sunt magis siccæ ad ignem quam albæ ad messem*... Consid. l. 2. c. 6.

Præter falsam hanc securitatem, invenitur quandoque, etsi rarius, excessus bonitatis, omnia excusantis... vel nimius amor solitudinis, quo fit ut quæ aguntur ignorentur...

Item noxium esse potest studium rerum quæ a ministerio sacro alienæ sunt, quo fit ut vigilantia negligatur...

Sunt qui naturali quadam timiditate abstinent a debita correctione... Nonne ego timore vexationum,calumniarum, aut alterius persecutionis, omitto mei officii partes ?... an non potius gloriæ mihi duco pati propter justitiam ?...

Multi suæ prætexunt ignaviæ causam tuendæ pacis et concordiæ... verum pax non est, si proditione ematur...

Concede mihi, Domine,spiritum sanctæ vigilantiæ,et fortitudinem boni pastoris, qui animam ponit pro ovibus suis.

III P. PRAXIS. — Vigilandum est non affectate et cum ostentatione... sed suaviter, prudenter ac moderate... *Multa nescias*, inquit S. Bernardus, *plurima dissimules, nonnulla obliviscaris*...

Per te ipsum indaga quæ committantur, nec simpliciter alienæ confide relationi...

Vigilandum etiam per alios : nempe personas discretas audiendo... Multa oportet audire, pauca credere, neminem inauditum condemnare...

Nec absis sine gravi causa, nec frequenter... Aliquoties, aut semel saltem singulis annis, oviculas tuas paterne visita...

Cura diligenter libros sive codices quos juxta Rituale conscribendos habes... Bonorum ecclesiæ tibi commissæ sedulam curam gere, nec minori studio procura quæ Dei, quam quæ tua sunt... Habesne *inventarium* supellectilis sacræ, in quo diligenter notas, quæ ad ecclesiæ ornamentum donantur vel coemuntur ?... An omnes codices,rationes et tabellæ sunt bene ordinatæ ?...

An vigilas peculiari cura circa lectiones quæ fiunt in familiis, tum librorum, tum præsertim ephemeridum ?...

O Domine Jesu, pastor bone, princeps et exemplar pastorum, qui in ipsa tua agonia visitabas et adhortabaris discipulos tuos, da mihi, quæso, hanc paternam familiæ tuæ quam commisisti mihi, sollicitudinem, ut mox cum veneris, invenias me vigilantem...

De ministerio pædagogico.

Pr. 1. *Et vos, patres, educate filios vestros in disciplina et correptione Domini.* Ephes. VI, 4.

Pr. 2. Ut rite intelligam quid sit in Ecclesia ministerium pædagogicum, illudque pro sua præstantia æstimem et amplectar.

I. Quid ministerium pædagogicum et quodnam ejus objectum ac finis ? II. Quare magni faciendum ? III Quare et quomodo amandum ?

I P. NOTIO. — Ministerium pædagogicum, quod et scholare dici possit, in educatione seu institutione juventutis consistens, ministerium vere sacrum est... nec minus sacrum quam parochiale... cum æque ac reliqua ministeria sit a Christo Domino Ecclesiæ demandatum... Continetur enim his verbis : *Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis...* Matth. 28.

Dicendo : *Docete omnes gentes* et homines, tunc sane præcipue voluit docendos, cum per ætatem teneriorem naturaliter et melius docibiles sunt...

Nonne quoque ministerium pædagogicum insinuavit Christus, dicens : *Sinite parvulos venire ad me ?...* Marc. 10.

Nonne ad ministerium pædagogicum pertinent hæc Apostoli : *Et vos, patres, educate filios vestros in disciplina et correptione Domini ?...* Eph. 6.

Nonne puerorum eruditionem Ecclesia ab initio diligentissima charitate complexa est ? Nonne omni modo, non tantum monuit parentes, sed adjuvit, scholas aperiendo, imo religiosos ordines in hunc præcipue finem constituendo ?...

Nec solum origine ministerium scholare sacrum est, verum etiam ratione objecti, quod plurimum ad salutem animarum pertinet...

Late autem extenditur ministerium illud, et complectitur scholas omnes, a gradu infimo usque ad summum... officiaque varia, non tantum magistri seu professoris, sed et provisoris seu œconomi, invigilatoris, directoris... Hæc enim omnia ad idem opus concurrunt...

Intuendus quoque finis ac scopus institutionis, christiano sensu intellectæ : videlicet adolescentium in homines perfectos efformatio. Porro perfectus evadit homo, quum per scientias et christianos mores rite formatur, sicut hominem christianum decet...

Domine Jesu, gratias tibi ago quod sic humanum genus docere dignatus sis, et in Ecclesia constitueris magisterium, cujus ipsemet princeps esse voluisti : *Unus est magister vester Christus...*

Matth. 23.

II P. ÆSTIMATIO. — Quidquid ad sacram pædagogiam spectat summi momenti habendum, quia ministerium istud quodammodo fundamentale est...Sicut enim primatus Petri fundamentum existit Ecclesiasticæ hierarchiæ, ita christiana juventutis educatio basis totius ecclesiastici ministerii...

Nonne Christus Dominus opus educationis tum exemplo tum verbis maxime commendavit ?... *Sinite parvulos venire ad me... Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit...*

Marc. 10. Matth. 18.

Nonne opus maxime proficuum pueris, qui ut cera mollis, facilius in imaginem Christi fingi possunt... et, ut arbusculæ flecti ad virtutem ?...

Nonne opus maxime proficuum Ecclesiæ, cui præparat generationem optimam, tum fidelium tum ministrorum?... proficuum et reipublicæ, cui format cives dignos et magistratus ?...

Nonne maxime proficuum opus ipsis magistris, in quo omnium virtutum, charitatis, patientiæ, prudentiæ... exercitium inveniunt... et, si clerici fuerint, aptissime ad artem artium, regimen animarum, instruuntur ?...

Nonne opus misericordiæ spiritualis eximium : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates...* Nonne quot erudis pueros, tot præparas diademati tuo lapides pretiosos ?...

Dan. 12.

Da mihi, Domine, ministerium educandi et erudiendi juventutem digne æstimare, tantique facere quanti oculis tuis valere Ecclesiæ tuæ significasti...

III P. AMOR. — Juxta Ecclesiæ spiritum debet sacerdos ministerium pædagogicum amare, eique cum affectu, quantum ex munere tenetur, sese impendere...

Amandum autem illud est amore appretiativo... non tam quia secundum hominem placet, quam ob rei præstantiam...

Amandum amore officii, quo nempe bene affecti esse debemus ad omnes officii nostri partes, ut eas melius impleamus...

Amandum amore fidei et obedientiæ, quo sacerdos Domini quamlibet suam missionem diligit tanquam de manu Christi acceptam...

Amandum denique amore non tam affectivo, qui tamen utilissimus est... quam efficaci et operativo, quo se magister officio pædagogico totis viribus impendit... quemadmodum fere amat agricola quem excolit agrum...

Concede mihi, Domine, spiritum charitatis tuæ, ut juventutem amem et parvulos amplectar, sicut tu, divine Magister, eos amasti et amplexus es... totoque animo eorum eruditioni ac santificationi me devoveam.

De ministerio pædagogico. Exercitium.

Pr. 1. *Unus est magister vester, Christus.* Matth. XXIII, 8.

Pr. 2. Ut Christi charitate animatus, secundum exemplum ejus, ministerium erudiendi juventutem sancte et fructuose impleam.

1. Quæ sint dotes boni magistri. II. Quænam in docendo principia et regulæ sequendæ. III. Qui defectus vitandi.

I P. DOTES REQUISITÆ.—Quicumque ad opus educationis in collegio vel schola qualibet deputantur, ut ibidem officium particulare exerceant, certis dotibus pollere, easque cum divina gratia acquirere vel perficere debent...

Etenim generatim necessaria est scientia : notitia nimirum eorum quæ docenda sunt, nitida, perfecta... conjuncta cum methodo lucida et facili eam discipulis tradendi...

Dein prudentia, scilicet directiva vel gubernativa, quæ

ars est gubernandi subditos apte, ut eis bonæ dotes intellectus et cordis efficaciter communicentur...

In particulari, juxta venerabilem Lasalle, duodecim enumerantur virtutes boni magistri, videlicet : gravitas... silentium... humilitas... prudentia... sapientia... patientia... modestia... mansuetudo... zelus... vigilantia... pietas... et generositas...

O Jesu, Magister divine, cujus nos omnes hypodidascali sumus... aperi, quæso, mihi Cor tuum, ut ex hoc fonte virtutes omnes hauriam quæ perfecto magistro inesse debent.

II P. PRINCIPIA ET REGULÆ.— In re pædagogica tenenda sunt principia quæ sequuntur :

Principium unionis triplicis : nempe unionis cum Deo... cum superioribus... cum collegis...

Principium laboris assidui, atque ex animo muneri suo impensi...

Principium fortitudinis et suavitatis, ut suavi firmitate ordo ac disciplina, quæ res fundamentalis est, custodiatur... et ad laboris studium pueri adigantur...

Regulæ servandæ sunt sequentes :

Ut sis bonus magister, esto bonus ac pius sacerdos... bonus ac fervens religiosus...

Cognosce bene discipulos, eos ama et reverere in Domino...

Prælectiones præpara diligenter, nec unquam præparationem immediatam omitte...

Esto firmus in tuendo ordine et in exigendo labore ; priusquam autem ad coactionem devenias, omnia tenta rationis et suasionis media...

Esto æquanimus, nec unquam iracundiæ influxui obedi...

Benignitatem exhibe, reverentiam, comitatem omnibus ; asperitatem aut familiaritatem nulli...

Multum pro discipulis ora, eosque bonæ vitæ exemplo ædifica...

Da mihi, Domine, salubres has regulas semper præ oculis habere et studiose servare.

III P. DEFECTUS VITANDI. — Defectus præcipui vel etiam pericula vitanda sunt sequentia :

Tædium sui muneris et aspiratio ad aliud...

Nimius labor... vel e contra, laboris neglectus, aut distractio ad studia aliena...

Spiritus independentiæ respectu superioris, sive præfecti studiorum... et respectu ordinis præscripti...

Nimia indulgentia ac debilitas... vel e contra nimius rigor, et promptus ad irascendum animus...

Familiaritas cum discipulis, a paterna bonitate quæ semper dignitatem habet, aliena...

Pusillanimitas, et defectus fiduciæ atque constantiæ, in difficultatibus quæ occurrunt...

Domine Jesu, juventutis amator, siquidem in nobili munere educandæ juventutis me cooperatorem assumere tecum dignatus es... da mihi Spiritus sancti gratiam, ut dotibus et virtutibus abundem quæ ad arduum illud æque ac præcellens ministerium requiruntur : quatenus illud sancte simul et fructuose valeam exercere.

De bono sacri ministerii successu.

Pr. 1. *Posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Joan. xv, 16.

Pr. 2. Ut cupiam in Domino successum bonum ministerii mei, conditionesque ex mea parte requisitas impleam constanter.

I. An propter successum in sacro ministerio laborandum ? II. In quo successus ille consistit ? III. Quænam sunt ad successum consequendum conditiones afferendæ ?

I P. INTENTIO SUCCESSUS. — Nullus sane sacerdos invenitur, qui successum in ministerio atque officio suo non cupiat obtinere quam optimum. Quod quidem desiderium prorsus laudabile et secundum Deum est, qui posuit nos ut laboremus in agro suo sancto, non meri exercitii causa... sed *ut fructum afferamus et fructus noster maneat*... Joan. 15.

Nonne ad verum zelum pertinet ut gloria Dei et animarum salus efficaciter quæratur ?... Nonne gaudet bonus Pastor, et cum ipso curia cœlestis ob fructum conversionis

animæ ?... Sanctum itaque est desiderium successus, quod utinam magis in corde meo Spiritus sanctus accendat !

At vero, an a nobis et non potius a Deo pendet successus ? Pendet quidem a Deo principaliter, sine quo nihil possumus facere ; sed ab homine pendet conditionaliter, sicut messis ab agricola... qui nisi conditiones ponat laboris et seminis, messem non obtinebit... Quo spectat illud : I Cor. 3. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit...*

Quapropter fructus communiter sequitur secundum mensuram laboris ; unde effatum : *Qualis labor, talis fructus,* salva scilicet causa externa, quæ fructum impediat...

Ut autem efficaciter secundum voluntatem Dei successum intendam, necesse est ut illum recto sensu intuear, simulque conditiones a me requisitas afferre studeam. Quod utrumque, precor, Domine, ut mihi concedere digneris.

II P. VERA NOTIO. — Verus sacri ministerii successus nihil aliud est quam sanctificatio parochiæ : id est, bonum animarum quibus prodesse unusquisque in suo munere debet... Non itaque favor popularis, cantandi, concionandi laus... quæ quidem bona sunt in se, verum successum non constituunt...

Atqui sanctificatio parochiæ tribus perficitur : doctrina, pietate et moribus christianis.

Doctrina christiana si vigeat, ut primarius fructus est habenda, radix fidei et omnis boni... Sit autem dogmatica et moralis, ut cognoscant mysteria et mandata... Vigebit autem si frequententur catecheses, conciones, scholæ, bonorum librorum lectiones...

Pietas florebit si frequententur officia, sacramenta, pia sodalitia...

Regnabit morum sanctitas si abfuerint præcipui abusus : blasphemiæ, profanatio Dominicæ diei, discordiæ, ebrietates, turpiloquia, lectiones pravæ... Et si opera misericordiæ florent...

Hæc utique, Domine, sanctificatio parochiæ meæ verus est et unus successus quem intendere debeo : hanc unam petii a tua misericordia, hanc requiram...

III. P. CONDITIONES. — Conditiones ex parte nostra, ut evangelicum semen a nobis seminandum fructu non careat, sed trigesimum, sexagesimum, imo centesimum referat... sunt tres : vita exemplaris, unio triplex, spiritus laboris et abnegationis...

Nonne vitam exemplarem requirit Dominus, cum dicit : *Vos estis sal terræ... vos estis lux mundi ?...* Matth. 5.

Unio requiritur cum Deo et Christo : *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum...* — unio cum superioribus et confratribus... — unio cum parochianis, ut omnium benevolentia et fiducia obtineatur... quæ res efficitur per humilitatem et charitatem... Joan. 15.

Spiritus laboris necessarius est : ut enim vigeat in populo doctrina, pietas et boni mores, laborandum est... Ut clare doceatur, ut officia bene celebrentur, ut abusus prudenter reprimantur... labore, studio, ordinatione, circumcursatione et multa abnegatione est opus... *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* II Tim. 2.

O Domine Jesu, qui exemplum mihi dedisti laboris, deditus laboribus a juventute tua ut perficeres opus Patris tui, da mihi eumdem laboris spiritum... ut nihil negligam quod ad successum operis tui facere possit... memor semper verbi tui : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari.* Joan. 9.

De successu sacri ministerii. Impedimenta.

Pr 1. *Seminastis multum et intulistis parum... Ponite corda vestra super vias vestras.* Agg. I, 6.

Pr. 2. Ut cognoscam quænam obstacula faustum sacri ministerii successum impediant, eaque generose removeam.

Successum sacri ministerii impedire solent, I. defectus pietatis, II. amor proprius, III. asperitas morum.

I P. DEFECTUS PIETATIS. — *Sicut palmes,* inquit Domi-

Joan. 15. nus, *non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*... Atqui in Christo manet sacerdos per pietatem et pietatis exercitia... nimirum, meditationem,examen conscientiæ, confessionem hebdomadariam, devotam missæ celebrationem, dignam horarum recitationem... Quæ si neglexerit, mox deficiet internus ille spiritus, sine quo vir apostolicus fit *æs*
I Cor. 13. Matth. 5. *sonans et cymbalum tinniens... sal infatuatum,quod ad nihilum valet ultra*...

Negliguntur aliquando excercitia illa pietatis sub prætextu zeli, ut plus temporis tribuatur sive scriptioni concionum, sive aliis studiis ad sacrum ministerium pertinentibus... At vero, si convenit hæc facere, oportet illa non omittere... illa enim interiora sunt, a quibus exteriora omnem efficaciam suam, non secus ac membra corporis ab anima, accipere debent...

Si desit pietas, deerit exemplum bonum... deerit ex parte populi illa reverentia atque fiducia, sine qua sacerdos fructum producere non potest...

Si desit pietas, deerit Dei benedictio, quæ debet semini incrementum dare...

Petrus, *per totam noctem laborans* sine Christo, *nihil cepit;* ubi autem Domino comitante ac dirigente piscatur, *conclusit piscium multitudinem copiosam*...

Da mihi, o Domine Jesu, constanter tecum in spiritu
Psalm. 126. pietatis unitum manere et laborare : quia *nisi tu ædificaveris domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*...

II P. AMOR PROPRIUS. — Ministerium sacrum est essentialiter opus charitatis, et quidem gratuitæ charitatis... quærentis unice ea quæ Christi sunt et animarum... cuique
Philipp. 2. opponitur amor proprius,*quærens quæ sua sunt,non quæ Jesu Christi*...

Ex amore proprio tanquam e vitiorum fonte profluunt pecuniæ cupiditas ac tenacitas, unde et nomen *tenacis* in populo... — item, pigritia, generans defectum laboris, ordinis, scientiæ, vigilantiæ...

Hinc etiam sensualitas illa, mortificationis atque crucis Domini nescia, qua sacerdos, cibo et potui, recreationibus, omnibusque carnis blandimentis indulgens, efficitur

animalis homo... et, ubi surgendum de nocte, vel surgendum e media mensa; ubi eundum primo mane in templum, perseverandum in confessionali, versandum cum pauperibus inter fœtorem... aliave incommoda toleranda... tardus est vel deficit...

Hinc demum nimia illa valetudinis sollicitudo... frigoris æstusque impatientia... qua fiet ut non sedeat exspectans homines in confessionali... nec promptus sit ad dandam sacram communionem importune petentibus...

O Domine Jesu, libera me, quæso, a peste amoris proprii... ut obliviscens quæ mea sunt, nihil velim, nihil quæram nisi te et bonum animarum...

III P. ASPERITAS MORUM. — Non raro talentum alioquin optimum inane facit defectus clericalis modestiæ et morum asperitas... qua oves a pastore velut deterrentur.

Eo referenda inurbanitas et oblivio ingenuæ comitatis... familiaritas indecora vel ruditas in verbis, in epistolis, in agendi ratione... durities erga inferiores, qui frigidius forte ab ancilla excipiuntur... animi mollitia, omnia in contumeliam accipientis... imprudentia sermonis, ex ipso sacro pulpito... imprudentia auditus, in præbendo aures omnibus linguis... præcipitantia et pertinacia in agendo absque consilio petito... — Nec raro irritum atque inutile reddit ministerium pastoris frivola ejus ancilla, non modesta, nec verbis nec agendi modo discreta... et oblocutiones provocans in parochia quæ in pastorem redundant... Quibus omnibus animi subditorum a sacerdote alienantur et fructus ministerii sacri perire solet.

Concede mihi, quæso, Domine, spiritum prudentiæ et discretionis... da mihi modestiam tuam ac mansuetudinem illam paternam, qua omnes ad te alliciebas sanctificandos : ut et ego tacitus tecum clamem : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. 11.

MEDITATIONES AD VIAM UNITIVAM PERTINENTES.

—

De via unitiva.

—

Pr. 1. *Æmulamini charismata meliora : et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* I Cor. XII, 31.

Pr. 2. Ut viæ unitivæ bona cognoscam, eorumque particeps esse merear.

I. Quænam dicitur via unitiva? II. Quinam sunt unitionis cum Deo effectus? III. Quænam ad eamdem exercitia juvant?

Ludov. De Ponte, *Dux spiritual.* I Cor. 6.

I P. NOTIO. — Via unitiva dicitur illa, cujus finis est unitio cum Deo : ducit enim ad illos actus cognitionis et amoris Dei, quibus homo, ut Apostolus ait, *unus spiritus cum Deo* efficitur...

Duplici ratione unitur sanctissima Trinitas cum justo : una habituali, altera actuali. Unitio habitualis est, qua Joan. 14. *mansionem apud justum facit*, producens in eo sanctificantem gratiam et charitatem cum donis connexis...

Unitio actualis est, cum Deus trinus in justo habitans, eum ad actus movet perfectæ Dei cognitionis et dilectionis... Hæc unitio præcipue fit tribus superioribus facultatibus, in quibus sanctissimæ Trinitatis imago elucet...

Voluntas scilicet unitur cum Deo per amorem... non concupiscentiæ seu spei... sed *amicitiæ*, quo diligitur amicus ob illud bonum quod in ipso amico est... Voluntas nempe exit a se ut uniatur Deo propter ipsum Deum, et propter infinitam bonitatem ac pulchritudinem, quam Deus in se ipso habet... et in hac unione amorosa requiescit voluntas et satiatur... socios suos, memoriam et intellectum post se trahens, ut occupentur in cogitatione et cognitione sui amati...

Hæc illa est excellentissima charitas, quam tantopere prædicant SS. Patres, virique spirituales qui eam experiuntur ; et cujus proprietates ac effectus æque sancti

sunt et mirabiles. Est enim insatiabilis sicut ignis... delectabilis, etsi dolorosa... et vulnere multiplici sauciata : cruciatur enim tanquam vulnere, desiderio vehementi magis amandi Deum, placendi Deo, glorificandi Deum, reparandi injurias illatas Deo, patiendi propter Deum, videndi Deum facie ad faciem in beata æternitate...

Actualis hæc unitio nequaquam continua est in hoc mundo, sed per intervalla conceditur, quando scilicet ipse Dominus dignatur suos *visitare*... Quas visitationes licet interdum quibusvis justis tribuat ; *in via* tamen *unitiva*, et in statu hujus unitionis, sunt soli perfecti : eo quod pervenerint ad convenientem dispositionem, quam ad illam Deus requirit... Porro dispositio hujusmodi est illa animæ tranquillitas, quæ ex mortificatione perfecta passionum et carnis subjectione consequitur...

Da mihi, Domine, ita me in sensuum ac pravorum affectuum mortificatione exercere, ut nullum impedimentum sanctis tuis visitationibus relinquam...

II P. UNITIONIS CUM DEO EFFECTUS. — Sancta illa et amorosa cum Deo unitio spiritualem quamdam efficit quietem, solitudinem, silentium, suspensionem sive elevationem super omnia creata... Quem felicem statum insinuat Jeremias, dicens : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se*... Felix quies, quæ spiritum impellit ut ascendat ad Deum !... felix solitudo, quæ sociam habet sanctissimam Trinitatem !... felix silentium, in quo loquitur Deus, homo vero tacet, vel non loquitur nisi cum solo Deo !... felix suspensio, quæ suspendit corporis opera ut solus spiritus operetur !... felix elevatio, in qua exit spiritus humanus a se, ut elevetur ad unitionem cum Spiritu divino !... Thren. 3.

O Trinitas sanctissima ! admitte me ad præclarissimam unitionem, qua tres meæ potentiæ sint unum tecum, sicut unum sunt tres personæ in tua deitate. O Fili Dei vivi, qui petiisti ut fideles tui *essent unum, sicut tu et Pater unum estis*, doce me ad hanc unitionem pervenire...

Ex hac beata unitione omnia profecto bona fluunt... Inter alia, unitio perfecta et concordia carnis cum spiritu... abdicatio rerum terrenarum, servato duntaxat *uno necessario* ad corporis sustentationem...unio voluntatis et judicii

cum Deo per obedientiam... unitas intentionis, in omnibus directæ ad gloriam Dei et salutem animarum... unio cum proximis, optando et procurando cum omnibus concordiam habere, ut omnes tum inter se ipsos, tum cum Deo suo concordes sint, et ita ad ultimam unitionem perveniant æternæ beatitudinis...

O Domine, fac ut tantis bonis dignus efficiar...

III P. EXERCITIA. — Quæ ad sanctam hanc unitionem juvant exercitia, ideoque ad *viam unitivam* pertinent, illa omnia sunt, quæ animam efficacius movent ad amorem Dei et desiderium beatæ æternitatis... Quales merito censentur meditationes seu contemplationes de resurrectione Domini, deque gaudiis quæ hanc resurrectionem etiam in hoc mundo consecuta sunt... de amore spirituali, deque Dei amabilitate variisque perfectionibus... de paradiso, ejusque gloriosis incolis, B. Virgine, Angelis et Sanctis...

O Spiritus sancte, diffunde lumen tuum in mente mea et charitatem in corde... ut oratione et contemplatione
Psalm. 83. spirituali tecum uniar, et *ascendam de virtute in virtutem, donec videam te, Deum deorum in* cœlesti *Sion.*

De resurrectione Domini.

Pr. 1. *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Joan. xx, 20.

Pr. 2. Ut considerando resurrectionem Domini et mysteria quæ in eadem continentur, gaudio sancto perfundar et exultem.

I. Quomodo Christus resurgat. II. Quomodo nos resurgere debeamus.

I P. RESURRECTIO CHRISTI. — Christus resurrexit a mortuis... 1° Mirabilis eventus, tamque certus, totque testimoniis evidens, ut nullum sit in tota historia factum, quod huic evidentiæ luce comparari possit... Voluit namque Deus, ut magnum illud ac fundamentale christianæ

veritatis argumentum prorsus indubium esset... *Si enim Christus non resurrexit, vana est fides nostra*... Sin vere resurrexit, vera est fides... et quidem ab omnibus servanda sub pœna damnationis æternæ... vera est fides, et certa illa, quam credentibus promittit, vita immortalis... *Nunc autem Christus surrexit a mortuis, primitiæ dormientium*... Quanta consolatio animæ credenti ! 1 Cor. 15. Ibid.

Surrexit Christus a morte, quam subiit in cruce... ut discamus, eos cum Christo resurrecturos ad æternam vitam, qui cum ipso in cruce mori non recusant...

Christus surrexit in vita nova, et quidem gloriosa... Anima videlicet Domini, e corpore crucifixo tanquam ex ergastulo egressa, statim beatissima evasit et gloriosissima. Ut erat naturaliter supra modum pulchra hæc Verbi incarnati anima, ornata insuper tot virtutum ac dolorum monilibus, et, quod majus est, splendore divinitatis... ad inferorum limbum descendit, ubi ab omnibus justis antiqui mundi exspectabatur... In medio illius populi, velut in curia parata sibi, apparuit regia Redemptoris anima... et Abrahæ aliisque servis suis, non tantum humanitatem sed etiam divinitatem suam manifestando ac visionem beatificam concedendo, locum suspiriorum mutavit in paradisum... *Hodie mecum eris in paradiso*... Bellarm. de septem verbis. Luc. 23.

Pie meditari juvabit, quomodo tunc exultaverint sancti, videntes diem Ejus... quomodo voluerint Regem suum comitari usque ad locum resurrectionis... ibique aspexerint corpus Christi inanime, victimam pro sua salute immolatam...

Tunc gloriosa Christi anima corpus suum reassumendo vivificat, et gloriosis proprietatibus exornat...

Resurgit Dominus... sua resurrectione mortem... et adversarios suos omnes *palam triumphans in semetipso*... dicensque universo mundo, non jam verbo, sed facto : *Ego sum resurrectio et vita*... Coloss. 2. Joan. 11.

2° Resurrectio Christi gaudium nostrum et spes nostra est : pignus et exemplar resurrectionis nostræ...

2° Resurrectio Christi triumphus est...triumphus mirabilis, singularis ac sine exemplo... repræsentans triumphum justitiæ de iniquitate, triumphus bonæ causæ de mundanæ malignitatis et diabolicæ nequitiæ coalitione...

Resurrectio Christi triumphus est, initium scilicet triumphi dolorosi, quem in Ecclesia sua, semper crucifixa et semper resurgente, continuabit per decursum sæculo-
Psalm. 169. rum... *Dominare in medio inimicorum tuorum...* — et imago triumphi gloriosi, quem referet in consummatione sæculi, quando *judicabit in nationibus, implebit ruinas, ponetque inimicos suos scabellum pedum suorum...*

Gaudeo, Domine Jesu, de gloria tua, qua exaltavit te Pater propter humiliationes crucis... gaudeo et de triumpho justitiæ, quem video per resurrectionem tuam inchoatum... Gaudeo quoque de futura resurrectione nostra, cujus in resurrectione tua nobis pignus dedisti...

II P. RESURRECTIO NOSTRA. — Duplici modo nos debemus resurgere : resurrectione gloriæ, in novissimo die ; et resurrectione gratiæ, in præsenti vita.

In resurrectione gloriosa *reformabit* Dominus Jesus
Philipp. 3. *corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ...* Omnes Christo similes erimus...

I Cor. 15. At differenti gradu : *Stella enim differt a stella in claritate : sic et resurrectio mortuorum...* Nam *sicut*
II Cor. 1. *socii passionum estis, sic eritis et consolationis...*

In præsenti vita resurgere debemus et novam assumere
Rom. 6. vitam : per Spiritus sancti gratiam *in novitate vitæ ambulantes...* animati nimirum spiritu Christi, hominis cœlestis, qui vivat et operetur in nobis : adeo ut cogitationes Christi fiant cogitationes nostræ... ut affectus, desideria, verba atque opera Christi, fiant nostra... totaque nostra operatio duntaxat quæ sursum sunt pro objecto habeat:
Coloss. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite...*

Quapropter necesse est deponere vitam veteris hominis, vitam peccati... dissipationis... quæque tota in rebus terrenis occupatur : *Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram...*

O Domine Jesu, resuscita, quæso, in me vitam hanc
Galat. 2. cœlestem, innova spiritum tuum in visceribus meis... *Veniant mihi miserationes tuæ et vivam... vivam autem non jam ego, vivat vero in me Christus.*

De resurrectione Domini. Resurrectionis socii.

Pr. 1. *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Matth. XXVII, 53.

Pr. 2. Ut gaudeam de gloria Christi resurgentis, et in spiritu amoris studeam cum ipso in novitate vitæ ambulare.

I. Resurrectio Christi. II. Resurrectio concomitans multorum sanctorum. III. Resurrectio spiritualis omnium nostrum.

I P. RESURRECTIO CHRISTI. — Postquam per quadraginta fere horas mansit in limbo Patrum, gloriosa Christi anima rediit ad sepulchrum ; et ingressa in corpus, illud transmutavit et multo excellentius transfiguravit quam in monte Thabor... Exuit enim illud ferali amictu quo erat involutum, abstulit omnes fœditates et maculas ejus... tribuitque illi in æternum quatuor gloriæ dotes : *claritatem, immortalitatem cum impossibilitate, agilitatem* et *subtilitatem*... quibus redivivus Dominus vere apparuit Rex gloriæ... speciosus forma præ filiis hominum... millies sole splendidior... Præcipue vero quinque majora vulnera radios emittebant stupendi fulgoris, qui pedes, manus et latus mirifice exornabant... Eodem vero momento, vi subtilitatis, egressus est e sepulchro clauso, penetrans grandem lapidem ostii, melius quam solaris radius transmeat cristallum...

O Rex gloriæ !... qui tanquam novus homo e sepulchro renasceris et venis in mundum, innovato habitu ad novam vitam, beatam ac gloriosam ducendam... nunc vere *videmus gloriam tuam, gloriam quasi unigeniti a Patre*... Joan. 1.
Venite angeli omnes, agnoscite et adorate regem vestrum, *quem* nova nativitate *introducens Pater in orbem terræ,* Hebr. 1.
dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei...

II P. RESURRECTIO CORPORALIS SANCTORUM. — Resurgens gloriose Dominus, voluit gloriam suam jam communicare cum aliis, qui simul cum ipso resurgerent, veluti

primitiæ resurrectionis universalis justorum... *Multa cor-*
Matth. 27. *pora sanctorum surrexerunt* et *apparuerunt multis*... Quam beati fuerint homines illi, tanto privilegio donati, videntes se in corporibus gloriosis et solis instar fulgentibus !... Accesserint procul dubio ad Christi corpus, incomparabiliter splendidius... et osculati fuerint pedes et manus, adorantes et laudantes Salvatorem, quod singulari favore sese faceret ipsius gloriæ participes...

Cur autem Dominus voluit habere resurrectionis socios ? Imprimis ut suam omnipotentiam, charitatem et liberalitatem ostenderet : non enim poterat ejus bonitas non communicare etiam aliis, bonum quo ipse gaudebat... Deinde illi testes esse debebant, tum resurrectionis Christi, tum nostræ futuræ : suo exemplo demonstrantes, nos omnes tempore statuto resurrecturos, gloriæ Domini participes... — Demum illa sanctorum resurrectione nobis tacite aperuit, voluntatis suæ esse, ut omnes nos discipuli ejus jam in spiritu resurgamus, novam inchoantes vitam, illi similem quam ipse habet glorificatam...

Da mihi, Domine Jesu, ita tecum in spiritu consurgere, ut cœlestis tuæ vitæ efficiar particeps...

Rom. 6. III P. RESURRECTIO SPIRITUALIS NOSTRA. — *Ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus*, Christum resurgentem spiritualiter imitari debemus...

Quapropter necesse est ut, abjecto fœdo amictu veteris Adami, pravis moribus contexto... vitam inchoemus gratia perfectam... quæ videlicet sit plena virtutibus... *immortalis*, seu immunis a morte peccati... *impassibilis*, id est, non jam indulgens passionibus quæ morbos ac mortem animæ generant... *splendens* quoque, ob lumen internæ cognitionis rerum cœlestium... *agilis* ad exequendum absque repugnantiam quidquid Deo placeat... *subtilis* vel spiritualis : ita scilicet omnibus terrenis rebus renuntians, ut nihil ex eis nisi quod ad sustentationem sit necessarium accipientes, conversationem nostram cum angelis in cœlo habere possimus...

O triumphator gloriosissime ! fac me tuæ passionis participem, ut etiam resurrectionis particeps fiam... Patiatur multum corpus meum ut anima mea immortalis et impas-

sibilis reddatur ; cooperiar exteriori ignominia, ut spiritus meus luce interiori resplendeat ; efficiar mundus corde, ut subtili oculo te in omnibus videam ; fiam agilis et promptus ad obediendum, ut post hanc vitam ad te quam celerrime perveniam. Amen.

De resurrectionis manifestatione. Apparitio Virgini Matri.

Pr. 1. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Psalm. 93.

Pr. 2. Ut cognoscam charitatem et dulcedinem Christi redivivi, præsertim sanctissimam suam matrem consolantis ; utque gaudiorum Beatæ Virginis particeps efficiar.

I. Quomodo Christus resurrectionem suam manifestare voluerit.
II. Quomodo apparuerit Matri suæ.

I P. RESURRECTIONIS MANIFESTATIO. — Voluit Christus Dominus gloriosam suam resurrectionem mundo manifestare, et quidem multis atque evidentibus argumentis, ut ejusdem fructibus omnes gauderemus...

Facta est autem hæc manifestatio triplici modo. Primo quidem per sanctos illos homines, quasi resurrectionis Christi socios, qui *exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis*... ideo sane, ut his viventibus fratribus significarent, Jesum, qui fuerat crucifixus, verum esse mundi Salvatorem, eumque jam a mortuis resurrexisse... — Credere fas est sanctos illos redivivos, inter alios apparuisse Josepho ab Arimathæa et Nicodemo, propter pietatem defuncto Domino exhibitam, ut consolarentur eos et confirmarent in fide sui Magistri... Matth. 27.

Resurrectio Domini manifestata est secundo per angelos, eam annuntiantes piis mulieribus, quæ honoris causa veniebant ad sepulchrum...

Tertio manifestavit resurrectionem suam Dominus per se ipsum. Voluit namque semetipsum amicis suis videndum præbere, ut suæ charitatis magnitudinem demonstraret. Etsi statim post resurrectionem debuisset ad empyreum cœlum ascendere, tanquam ad locum glorificatis corporibus destinatum... voluit tamen aliquamdiu in terra manere, boni pastoris instar dispersum gregem colligere,
Act. 1. discipulos consolari, *apparens eis et loquens de regno Dei, præbens se ipsum vivum* et glorificatum *in multis argumentis*... ut tanquam oculati testes possent ejus resurrectionem promulgare.

Ita Christus Dominus triplicem habet viam sua nobis mysteria patefaciendi, nosque consolandi et instruendi : 1° per sanctos viros, qui rerum divinarum experientiam habentes, aliis manifestant quod ipsi didicerunt : ut ita Deus agnoscatur et glorificetur... 2° Per sanctos angelos, qui secretis illustrationibus docent nos, consolantur et adjuvant, ut Christo glorificato fruamur... 3° Per se ipsum, cum ad cor nostrum loquitur, interna nobis suæ præsentiæ præbens testimonia... Quo modo utitur erga magis dilectos
Joan. 14. discipulos... *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum*...

O Dilecte mi Jesu ! diligam te ego toto corde, ut vicissim merear a te diligi, ac visitari... atque ita magis tui amore inflammari !

II P. APPARITIO CHRISTI SANCTISSIMÆ SUÆ MATRI. — Primam visitationem et apparitionem, quod tacente Evangelio facile intelligimus, voluit Christus Dominus concedere sanctissimæ Matri suæ... Quæ doloris gladio confixa propter Filii passionem... quamvis firmissime crederet ac speraret eum resurrecturum, cum jam tertium diem ab ejus morte inchoari animadverteret, in altissima contemplatione posita, immensis suspiriis felix resurrectionis momentum appellabat.... Eia ! sanctissima Mater, adesse festinat consolatio...

Hæc sane suspiria audiens Jesus, omni celeritate, ubi primum tertiæ diei illuxit aurora, ad dolorosam Matrem volans ingressus est, seseque illi cum omni gloria et claritate sua præbuit videndum... confortans mortalem ejus aspectum ut contemplari eum posset eoque frui... O quanto

tunc gaudio perfusa mœstissima Mater!... experiri jam incipiens quod dixit propheta : *Satiabor cum apparuerit gloria tua...* O quam dulcibus amplexibus se mutuo constrinxerunt Mater et Filius ! Quam jucunda miscuerunt colloquia ! Quanto cum amore splendidissima Filii vulnera osculata est Maria!... hauriens ex illis fontibus torrentes consolationis, sicut antea hauserat desolationis... *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam...* Psalm. 16. Psalm. 93.

Tunc revelans Matri suæ magna secreta cœlestia... ostendensque passionis ac resurrectionis fructum in cœlo et in terra, animas nempe sanctificatas et salvatas... et jam glorificata corpora sanctorum, qui cum ipso resurrexerunt... nova et inenarrabili lætitia eam inundatam reliquit...

Hanc illa visitationem Filii, sicut olim visitationem Gabrielis, silentio apud se retinuit... Nos autem eam intelligentes celebrare decet, gaudentes cum felicissima Matre et dicentes : *Regina cœli, lætare. Alleluia. Quia quem meruisti portare, Alleluia ; resurrexit, sicut dixit. Alleluia. Ora pro nobis Deum. Alleluia !*

De resurrectione manifestata per angelos.

Pr. 1. Voluit Christus Dominus primum per suos angelos manifestare resurrectionem suam iis mulieribus quæ secutæ eum fuerant, et quarum pietatem Evangelistæ descripserunt. Porro duæ distinctæ mulierum turmæ videntur ad sepulchrum Domini venisse : Magdalena, Maria Jacobi et Salome, ex una parte (Matth. XXVIII et Marc. XVI) ; Joanna cum aliis sociabus ex altera (Luc. XXIV) ; priores unum dumtaxat angelum viderunt, posteriores vero duos, a quibus Domini resurrectionem didicerunt, dicentibus : *Nolite timere vos : scio enim quod Jesum qui*

crucifixus est quæritis : non est hic, surrexit enim... Matth. XXVIII, 6.

Pr. 2. Petere gratiam discendi a sanctis mulieribus quomodo Jesum pie colere debeam, ut cœlestis consolationis verba merear audire.

I. Adventus mulierum cum Magdalena. II. Adventus mulierum cum Joanna.

I P. PRIMA MULIERUM TURMA. — In his mulieribus proponitur nobis devotio conjuncta cum virtutibus, qua sit nobis quærendus Christus... Apparet enim obedientia
Luc. 23. legi : *Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum...* Deinde, magna diligentia : primo mane, cum adhuc tenebræ essent, exire non timent, ut Magistro suo obsequium
Prov. 8. deferant... *Qui mane vigilant ad me, invenient me...* Ut colligatur *manna* cœlestium consolationum, necesse est
Sap. 16. *prævenire solem...* — Tertia mulierum virtus perseverantia fuit in bene cœptis, simul cum insigni fiducia in Deum. Quamvis enim non ignorarent sibi non suppetere vires ut ingentem lapidem removerent, prosecutæ sunt tamen iter suum, confidentes in Deo... Neque incassum : nam mox viderunt revolutum lapidem...

Præmium hujusmodi devotionis fuit cœlestis consolatio magna. Viderunt enim angelum illum, qui paulo ante descenderat de cœlo, potentia et majestate plenus : adeo ut adventu suo effecerit terræ motum vehementem... *Accedens*, autem absque labore magnum *revolvit lapidem, et sedebat super eum : erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix.* Terribilis impiis, terruit custodes, qui *facti sunt velut mortui...* blandus autem Dei famulis, dixit mulieribus : *Nolite timere vos :* gratum enim vobis affero nuntium de resurrectione ejus quem quæritis... quique alius non est quam *Jesus* pro vobis *crucifixus...*

O angele sanctissime, ora pro me, ut eodem fervore quæram Jesum, unice desiderans honorare et videre Jesum, qui fuit pro me crucifixus...

Perpendendum præterea, has mulieres non fuisse dignas jam videre ipsum Jesum redivivum... ob suam scilicet exiguam fidem : ideoque angelus, ut eas dignas illa visione

redderet, fidem earum excitavit dicens : *Non est hic : venite et videte locum ubi positus erat Dominus...*

O Domine mi Jesu, adauge mihi fidem... ut dulci tua præsentia frui possim !

II P. ALTERA MULIERUM TURMA. — Hæ mulieres, juxta S. Lucam, cum etiam venissent *diluculo ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata ; invenerunt lapidem revolutum a monumento. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, cum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Quum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus...* Luc. 24.

Hic apparet, quod perseverantia in devotione erga Christum digna sit consolationibus supernis. Mulieres videntes sepulchrum vacuum, non statim abierunt ; sed perseverantes in suo pio proposito, ibidem, etsi mente consternatæ ac dubiæ, perstiterunt, circumspicientes sane et quærentes quempiam, a quo ubi Jesus suus esset cognoscerent... Quapropter duos angelos videre meruerunt.

Hi autem confirmarunt eas in fide, cum quadam benevola reprehensione...

Deinde etiam perpendendum, quam sit angelis familiare revocare nobis in memoriam verba Christi Domini, quibus nos instruant et consolentur, confirment in fide, excitent spem, promoveant charitatem... ut sic dispositi, reddamur digni, qui glorificatum ipsum Christum videamus...

O angeli beati, quibus Deus animarum curam commisit, si videritis animam meam quærere viventem inter mortuos, Christum videlicet in mortuis rebus hujus mundi... corripite illam et instruite ac dirigite : ut sciat illum quærere ubi est, nimirum in terra viventium, ubi cum suis regnat in sæcula. Amen.

De apparitione Christi Mariæ Magdalenæ. Hortulanus.

—

Pr. 1. Maria Magdalena, postquam primo mane venisset cum aliis mulieribus ad sepulchrum Domini, et ubi sublatum lapidem vidit, relictis sociabus, abiisset ad Apostolos; reversa dein ad monumentum sola, omnium prima videre meruit Jesum redivivum: *Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.* Marc. XVI, 9. — Lacrymanti scilicet sese videndum præbuit, primo aliena specie occultatum, ac dein aperte et in specie propria. Joan. XX.

Pr. 2. Ut intelligam quantopere diligat Jesus diligentes se, atque in ejus cognitione et amore proficiam.

I. Magdalenæ singularis favor et fervor. II. Ejus lacrymæ. III. Visio Christi incogniti.

I P. FAVOR ET FERVOR. – Singulari privilegio in primum testem oculatum resurrectionis Domini electa est mulier olim peccatrix, quæ fuerat habitatio septem dæmoniorum... Ut intelligamus, nemini nocere multitudinem præteritorum criminum, si fervore præsenti compensantur...

Revera singularem exhibuit illa peccatrix pœnitentiæ et amoris fervorem, quæ lacrymis publice rigavit pedes Domini... dein a vitiis prorsus remota, audivit assidua verbum ejus... astitit juxta crucem morientis... venitque ungere corpus defuncti majore amore quam sociæ... ideoque ante eas Jesum meruit videre...

Amoris sui magnitudinem multis manifestat indiciis: 1° velut dux cæterarum mulierum venit ad sepulchrum sui Magistri, etsi eum mortuum existimat. 2° Lacrymatur amissum. 3° Hæret prope sepulchrum constanter, cæteris digressis. 4° Sollicite prospicit iterum, et quærit lacrymans. 5° Lacrymas nec splendens aspectus angelorum sistere po-

test, quia nullam in creaturis consolationem invenit, quæ totum suum desiderium in Jesu suo, summo bono ac Creatore videndo posuit...

Da mihi, Domine Jesu, in his omnibus fervorem et amorem famulæ tuæ Magdalenæ imitari.

II P. LACRYMÆ. — *Maria stabat ad monumentum plorans*, et interrogata causam aperit, dicens : *Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum*, adeoque omni meo bono privata sum... — Antea quoque sancte flevit, at ob sua peccata.

Hinc intelligo duas esse causas laudabiles lacrymandi : primam, ob amissam gratiam et amicitiam Dei per peccata; alteram, ob perditam internam consolationem, internum lumen, quo subtracto in tenebris relinquitur anima ac desolatione, velut sponsa a sponso separata... Tunc solatium ullum a creaturis quærere aut admittere caveat; potiusque per constantem in divino servitio fervorem, quærat dilectum suum donec inveniat...

Da mihi, Domine, constantem hunc in desolatione fervorem...

III P. APPARITIO. — Compatiens Dominus Magdalenæ lacrymis, voluit eam consolari ; gradatim tamen, ad majus ipsius bonum et nostram instructionem. Primum enim a tergo aliquem strepitum excitavit, ut illa se converteret : quæ *conversa retrorsum vidit Jesum stantem*... Ita solet Dominus per inspirationes gratiæ animam a se aversam excitare, ut se a rebus alienis ad Deum convertat...

Deinde aspicienti Magdalenæ sese dissimulato habitu ostendit, quasi hortulani : quia, ob fidei defectum circa resurrectionem, digna non erat videre Dominum aperte... Sic fideles multi, fide debiles, Deum ubique præsentem, et Christum cum sua humanitate in SS. Sacramento latentem non aspiciunt, neque ut realiter præsentem reverentur... ideoque apparet eis *ut hortulanus*... indicans hujusmodi animas culpis non carere, et sarritione indigere sicut hortos incultos... — Domine, adauge mihi fidem.

Postea Magdalenam conversam Dominus immutata voce interrogat *quid ploret? quem quæral?* quasi rem ignoraret... insinuans aliquid subesse quod non probet, nec sciat scientia approbationis... Olim, cum ploraret peccata sua,

nihil interrogavit, quia lacrymæ prorsus sanctæ; nunc vero, quoniam lacrymæ procedunt ex ignorantia ac defectu fidei, ploratque ut mortuum eum qui vivit, et quærit inter mortuos viventem, eam interrogat quasi diceret : *Scisne cur plores ?* Procul dubio id non bene nosti : secus enim non fleres me mortuum, nec quæreres quasi absentem, qui adsto coram te...

O anima mea, diligenter examina quare plores, quidve quæras... ne forte quæras aliquid præter Deum ejusque gloriam... ne tristeris ob temporale detrimentum potius quam ob peccata vel damnum spiritus...

O Deus animæ meæ, concede mihi ita ob peccata mea tuamque absentiam tristari... ita tuum beneplacitum ac gloriam quærere, ut lacrymas meas et studia semper possis approbare.

De apparitione Christi Magdalenæ. Agnitio Domini.

Pr. 1. *Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa dicit ei : Rabboni.* Joan. XX.

Pr. 2. Ut thesaurum ardentis charitatis plenius cognoscam et acquiram.

I. Quantus sit Magdalenæ amor erga Jesum. II. Quomodo eidem Jesus respondeat.

I P. FERVOR AMORIS. — *Magdalena existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam...* Hic ad vivum expressæ videntur proprietates inflammatæ charitatis, quæ appellatur *unitiva* et *violenta :* nimirum extasis, sui oblivio, potentia nova...

Extasis. Scilicet charitas cor et linguam amantis ita rapit extra se, ut semper cogitet, semperque loquatur de dilecto, existimetque se ab omnibus, etiam hominibus ignotis, intelligi. *Si tu abstulisti eum,* inquit Magdalena, putans hortulanum scire de quo ipsa loqueretur... — O Domine Jesu, qui dixisti : *Ubi est thesaurus tuus, ibi*

Matth. 6.

est et cor tuum : esto mihi thesaurus meus, et rape cor meum, ut unice de te cogitem et loquar...

Oblivio sui. Flagrans amore divino anima, sui, rerumque suarum oblita, subjicit se omni creaturæ, dicitque et agit ea quæ non amanti minus sana videantur... Quare hic : *Si tu*, inquit Magdalena, *sustulisti eum...* non attendens, nullam adesse rationem cur hortulanus defuncti corpus e sepulchro extraxisset, in quo Joseph ab Arimathæa, horti dominus, illud posuerat...

O Rex æterne, inebria me spirituali amoris tui vino : rape me extra me ipsum et transfer in te... atque ita humilia, ut stultus a mundo judicer, quo sim sapiens in oculis tuis...

Tertia charitatis ardentis proprietas est *potentia*, et quasi omnipotentia, oriens ex magna in Deo fiducia. Hinc illud : *Ego eum tollam...* Offert se Magdalena ad portandum Domini sui corpus, ubicumque sit, sine respectu ad insufficientiam virium suarum, sine timore ex parte Judæorum vel Pilati... O mulier, magna est fiducia tua, magnus animus, magna fortitudo, quia amor tuus magnus est...

O Deus æterne, amator infinite, inebria me dulcedine amoris tui, ut simul fortitudine tua repletus, curram nec unquam deficiam in obsequio tuo, et onus tuum sine gravamine portem...

II P. AGNITIO JESU. — Videns Dominus Magdalenæ fervorem, ei se tandem aperuit, proprio illam nomine compellans, et consueto vocis tono dicens : *Maria...* Quæ eodem momento ipsum agnoscens, respondit : *Rabboni !* Magister mi !...

En potentia suavissima gratiæ : unico verbo Magdalenam illuminat, lætificat, novoque ardore inflammat, ut jam agnoscat et tanquam Deum vivum diligat, quem modo tanquam hominem mortuum diligebat... O Domine Jesu, unico *tantum dic verbo et sanabitur anima mea.* Matth. 8.

Sic bonus Pastor novit et vocat oves suas nominatim... amantes præsertim et ferventes animas ita compellat... Da mihi, Domine, amorem tui, ut eodem favore dignus efficiar.

Magdalena autem respondit, dicens : *Magister mi*, quo nomine docilitatem simul et amorem manifestat... Talis sit,

o Jesu, amor meus erga te, ut ad verba tua servanda unice
Joan. 14. tendat, secundum regulam a te statutam : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit...*

Cum se prosterneret Magdalena, ut solita familiaritate pedes Magistri oscularetur, prohibuit eam Dominus, dicens: *Noli me tangere...* et quidem duplicem ita agere videtur ob causam : 1° ut ipsam doceat majorem sibi jam exhibere reverentiam : etsi enim, inquit, nondum ascendi ad Patrem mox tamen ad eum, ut verus Filius ejus, ascensurus sum.. 2° Quia ob imperfectam fidem, Magdalena nondum illo favore digna erat...

O supreme Magister, tribue mihi altissimam fidem, altissimamque de tua Majestate æstimationem : quo dignus efficiar te videre, teque intima charitate complecti.

De apparitione aliis mulieribus.

Pr. 1. Discedens Magdalena magno gaudio ex loco monumenti, alias mulieres, ut videtur, in itinere assecuta est, illisque quod sibi evenisset retulit. Quo audito omnes cupidine magna videndi Dominum sunt inflammatæ. Tunc benignissimus Jesus, videns sanctum earum desiderium, nec immemor fervoris quo venerant diluculo ad monumentum suum, obviam illis factus est, et salutans dixit : *Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus : Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam : ibi me videbunt.*

Pr. 2. Ut magno replear fervore et sanctis desideriis exardescam, atque ita favores Dei recipere merear.

I. Christus mulieribus apparet. II. A mulieribus adoratur. III. Eis mandatum tradit.

I P. APPARITIO. — Mulieribus Dominus ut pro labore ac vigiliis præmium reddat, apparere dignatur... Quamvis

interdum ferventes servos suos visitare differat, donec illi se visitationibus hujusmodi digniores reddant, et ad fructum ex iisdem percipiendum aptiores ; veniet tandem eosque remuneratione non frustrabit... *Si moram fecerit,* Habac. 2. *exspecta illum : quia veniens veniet...*

Quanto cum gaudio viderunt illæ Dominum suum !... et audierunt jucundam hanc vocem : *Avete...* Solo illo verbo, quasi diceret, *gaudete*, ingenti sunt lætitia et salute repletæ : quia efficax est verbum Christi, et quidquid significat operatur...

O Salvator mi, veni in animam meam et dic omnibus facultatibus ejus : *Avete...* tuo enim verbo eædem facultates benedictione replebuntur et gaudio illo, quod gloriosa tua resurrectione nobis comparasti.

II P. ADORATIO. — *Accedentes tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum.* Statim ac piæ mulieres Dominum suum viderunt, maxima qua potuerunt reverentia ad illum accesserunt adorantes eum... et facta ab ipso potestate, tenentes sacratissimos pedes ejus amantissime sunt osculatæ... O quanta jucunditate, et quanto spirituali fructu veneratæ sunt benedicta vulnera Domini !...

Felices sane has mulieres !... Sed si fides mihi vivida fuerit, nonne similis mihi gratia, imo major conceditur in sacra Communione ?...

III P. MANDATUM. — *Tunc ait illis Jesus : Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam : ibi me videbunt.* Idem dicit Dominus et confirmat quod angeli dixerunt : ut intelligamus, ipsum nobis loqui per ministros suos ac legitimos superiores, qui angeli ejus sunt...

Pro verbo isto angelorum : *Dicite discipulis ejus*, ipse ponit *fratribus meis*... et qui angelos non vocavit fratres, nos homines fratres suos vocare voluit... in signum tenerioris dilectionis...et ob consanguinitatem ac similitudinem assumptæ naturæ humanæ.

O Jesu amantissime, quam dulce est auribus meis hoc verbum, quod procedit ex ore tuo : *Dicite fratribus meis !...* Loquere illud, quæso, cordi meo, et fac me sentire spiritum quem hoc nomine mihi intendis communicare, ut assequar vitæ similitudinem, quam a tali fraternitate par est promanare...

Cur autem vult Dominus ut in Galilæam eant discipuli, ibi eum visuri ? Ideo sane, quod Jerusalem et Judæa ubi tunc erant, locus esset valde inquietus ac turbatus ; Galilæa autem regio a strepitu remota... Licet enim visitet obiter suos, etiam in tumultu mundi existentes ; placet tamen illi ut quietiorem locum quæramus, ubi diutius illum videre, et cum eo in oratione atque contemplatione conversari possimus...

Quod et *Galilææ* nomen, significans *transmigrationem*, innuit : nam qui videre Christum resuscitatum, eoque frui volunt, transmigrare debent a laxiori vita ad strictiorem, a torpore ad fervorem, a dissipatione ad recollectionem...

O Dulcissine Jesu, transfer me in hanc Galilæam adeo tibi gratam, ut dignus efficiar te videre, per contemplationem quidem in hac vita ; postea vero, ad alteram vitam translatus, facie ad faciem in æternum. Amen.

De apparitione sancto Petro.

Pr. 1. Audientes discipuli ex mulieribus quod Jesus viveret, *non crediderunt*, et habuerunt *sicut deliramentum verba ista.* Petrus autem et Joannes cucurrerunt ad monumentum, ingressique in illud, prior Petrus, dein Joannes, viderunt et crediderunt (Joan. xx). — Tunc secedens Petrus seorsum, *secum mirans quod factum fuerat*, Dominum sibi apparentem vidit, ut testati sunt dein reliqui discipuli, dicentes : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.* Luc. xxiv, 34.

Pr. 2. Ut intelligam documenta in hac Domini apparitione abscondita, simulque fervore et amore proficiam.

I. Discipulorum incredulitas. II. Petri et Joannis excursio. III. Petro concessa apparitio.

I P. INCREDULITAS. — Non facilis est actus fidei, ubi

credendum aliquid quod sensibus non percipitur, imo quod experientiæ hujus vitæ corporeæ videtur contrarium, qualis est resurrectio mortui... qualis et præsentia corporea Christi in Eucharistia... qualis et præsentia incorporea Dei ubique locorum... Verumtamen cum Deus loquitur atque rem certo testatur, summe irrationabile esse intelligitur ejus dicto non acquiescere, nec firmissime assentiri...

Sicut deliramentum habuerunt verba ista... Quam multi magnalia Dei, quæ pro nobis fecit... aut se facturum promittit, pro deliramento habent!... Mirabilia quidem illa sunt, stupenda et quasi fabulosa; nihilominus, ipso Deo revelante et operante, verissima... *Non doctas fabulas secuti* credimus... II Pet. 1.

Plerique discipuli, etsi Christus omnia prædixerat, tamen deliramentum putaverunt quod mortuus homo in cruce, exsanguis totus, ac pectore transverberatus, vivus resurrexisset : obliti non solum Domini prædictionis, sed resurrectionis etiam Lazari, ac tot miraculorum quæ viderant... Noxia hæc incredulitas quæ, ubi argumenta sufficientia dantur, veritatem admittere renuit...

Hinc discam, duo mihi extrema vitanda : alterum eorum qui levissime fidem adhibent quibusvis, prodigia aut visiones narrantibus... alterum eorum qui *duri sunt ac tardi corde ad credendum ;* quique omnia æstimant deliramenta... Luc. 24.

O supreme Magister, da mihi spiritum fidei vividissimæ, ut manifestæ revelationi tuæ, quæ mihi ab Ecclesia tua proponitur, intellectum meum prorsus captivando, toto corde adhæream...

II P. PETRI ET JOANNIS EXCURSIO. — Hi duo discipuli, etsi nondum plane credentes, non tamen sicut cæteri erant increduli ; et prudenter rem examinare voluerunt... in quo laudabiles...

His discipulis non apparent angeli: ideo sane quod hujusmodi apparitio opus non esset; siquidem ex relatione mulierum, et signis quæ deprehenderunt in linteaminibus ac sudario seposito, recordati verba divini Magistri, crediderunt eum vere resurrexisse... Uterque enim discipulus *vidit linteamina posita... vidit, et credidit.* Joan. 20.

Duo discipuli quoque indicant præcipuas virtutes quibus

Christus Dominus quærendus est, fidem nempe et charitatem... Fides patefacit veritates, et cum Petro prima ingreditur sepulchrum; hanc sequitur charitas cum Joanne, ejusque ingressu augetur fides, corroboratur veritatis cognitio et perficitur...

O amabilissime Jesu, clarifica fidem meam et inflamma charitatem, ut te perfecte quæram, et quocumque ingrediar ubi te possim invenire... etiam in sepulchrum...

III P. APPARITIO DOMINI PETRO. — Dignum se apparitione reddidit Petrus diligentia, qua se contulit ad sepulchrum... et illa privata consideratione ac meditatione
Luc. 24. eorum quæ viderat... *Secum mirans quod factum fuerat.*

Joanni, quamvis simul iverit ad sepulchrum, non apparuit Dominus : ut intelligamus Deum non raro peccatoribus perfecte conversis magis indulgere... Nec sine causa primus vir et prima mulier quibus referunt Evangelistæ Christum apparuisse, fuerunt prius peccatores... Hinc magnam habebo fiduciam et ego peccator... meque oratione et fervore vitæ ad recipienda pretiosissima Dei dona disponam.

Perpendendum deinde quanto pudore, quantis lacrymis se projecerit Petrus ad pedes Magistri, veniam petens de negatione sua... Quem procul dubio Christus Dominus consolatus, securum esse jussit, remissum quippe sibi esse peccatum... magnaque lætitia replevit...

O Jesu, quam magna est multitudo dulcedinis et misericordiæ tuæ erga omnes peccatores, qui ex toto corde peccata sua deflent !... Sine dubio recepisses et Judam, eique resuscitatus sicut Petro apparuisses, si pœnitentiam ille sicut Petrus egisset... Benedicta sit, Domine, misericordia tua ! per quam tibi supplico, ut beatifica tua apparitione in regno gloriæ tuæ me dignum efficias.

De discipulis euntibus in Emmaus. Comes incognitus.

—

Pr. 1. Cum duo ex discipulis abiissent in castellum Emmaus tristes, Dominus peregrina specie illis se comitem adjunxit, eosque de causa tristitiæ interrogavit. Luc. XXIV, 13.

Pr. 2. Ut documenta intelligam quibus abundat hæc apparitio, simulque fide crescam et amore divino.

I. Cur his discipulis Dominus appareat. II. Cur eum discipuli non agnoscant. III. Quomodo ei interroganti respondeant.

I P. APPARITIONIS CAUSÆ. — Discipuli isti abiisse videntur ex Jerusalem et e societate confratrum, timoris ac tristitiæ causa : ut a loco periculoso remotiores essent, et aliquod solatium quærerent in villa ista, ex qua alter eorum erat oriundus... ut intelligamus, humanum timorem ac tristitiam in causa esse, cur anima exeat e *Jerusalem*, quod interpretatur *visio pacis*... et e societate piorum, ut aliqua carnis jucunditas quærat inter cognatos et mundanos... Hujusmodi igitur timoris ac tristitiæ pravum consilium non sequar.

Cur autem Christus his discipulis apparere dignatur ? 1° Ex commiseratione, quia ut bonus Pastor errantes has oviculas reducere volebat... Benedictus sis, o Pastor suavissime ! Da mihi tuam charitatem imitari. — 2° Propter tribulationem et afflictionem discipulorum : nam, *cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione*... O si videres, anima mea, Eum qui tecum est in tribulationibus tuis, quamvis aliquo velamine absconditus, ipsas tribulationes felicissimas judicares... — 3° Quia discipuli de rebus piis colloquebantur : complacet enim sibi Christus talibus conservationibus interesse... Quantum autem spiritui prosunt de rebus sanctis, tantum nocent de rebus profanis et ineptis colloquia... ad quæ Christus Dominus nequaquam accedit... — Da mihi, Domine, per Spiritum sanctum ita cœlestibus cogitationibus repleri, ut de plenitudine cordis os meum sponte loquatur... Psalm. 90.

II P. OCULORUM IMPEDIMENTUM. — *Oculi eorum tenebantur :* quod scilicet Jesum non agnoscant, impedimentum est ex parte ipsorum. Visibilis est enim Dominus, sed eorum oculi impediuntur ne ipsum agnoscant : ob exiguam videlicet suam fidem, ex una parte... ob tristitiam atque dejectionem animi, ex altera... Dominum tamen vere præsentem sibi habent, licet non agnoscant...

O bone Jesu, ne permittas me ita fide et fiducia deficere, ut possidens te præsentem, consolatorem, non videam... Quam multi qui eumdem Jesum, Dominum suum, in divina Eucharistia præsentem habentes non vident!... Oculi scilicet eorum tenentur ne eum agnoscant...

III P. DOMINI INTERROGATIO. — *Qui sunt*, inquit, *hi sermones quos confertis ad invicem ?*...Quam suaviter inducit eos ad aperiendum vulnus infidelitatis !... Interrogando quod nequaquam ignorat, movet eos ad Dei magnalia loquendum, et suam ei miseriam manifestandam...

Magnificam proferunt de suo Magistro opinionem, qui *fuit*, inquiunt, *vir propheta... potens in opere... et sermone... coram Deo... et omni populo...* Magnifica quidem præconia : vocantes tamen Jesum virum prophetam, defectum fidei miseramque ignorantiam manifestant...

O Domine Jesu, plus quam propheta es, plus quam merus vir, tu Fili unigenite Patris... Vere potens opere et sermone, ostende, quæso, hanc tuam potentiam in me, ut et ego pro tenuitate virium mearum potens sim in opere et sermone, coram Deo et hominibus...talia faciens et loquens, quæ Deo placeant et proximos ad gloriam tuam ædificent.

Notandus autem ordo quatuor rerum quæ hic ponuntur : non enim ero potens in sermone, nisi fuero in opere...nec talis coram hominibus, nisi talis fuero apud Deum per orationem et fiduciam...

Nos autem sperabamus... En fidei defectum. *Sperabamus,* inquiunt, quasi dicerent : sed morte ejus superveniente hanc spem deposuimus...Quicumque fide ac fiducia non sunt bene firmati, cito propter aliquem eventum adversum deficiunt, eo quod Dei dispositiones et consilia non noverint : sic duo isti discipuli, non assequentes quod

mors Christi medium aptum esset ad redemptionem Israël quam sperabant, hanc spem amiserunt...

O Domine Jesu, adauge mihi fidem, adauge fiduciam.

De discipulis in Emmaus. Manifestatio.

Pr. 1. Spectare Dominum in castello Emmaus recumbentem cum discipulis, ubi *evanuit ex oculis eorum*. Luc. XXIV, 31.

Pr. 2. Ut documenta intelligam quæ nobis hic tradit Dominus, iisque crescam fide et amore divino.

I. Quomodo Dominus discipulos instruat. II. Quomodo eorum invitationi cedat. III. Quomodo eis sese manifestet.

I P. INSTRUCTIO.— *O stulti*,inquit,*et tardi corde ad credendum!*... Hæc specietenus aspera reprehensio, re ipsa amara non est; quia non ex indignatione procedit, sed ex commiseratione, et ex zelo vivificandi fidem illorum eosque ab ignorantia liberandi... Vocat *stultos*, id est ignorantes, quod qui toties illum de hoc mysterio loquentem audivissent, necdum illud intelligerent... *Tardos corde* appellat, quod cum sufficientia haberent ad resurrectionem ejus credendam indicia et motiva, adhuc tamen de ea dubitarent...

O supreme Magister, quanto potiore jure me posses reprehendere, ac dicere : O stulte et tarde corde ad credendum quod prophetæ et evangelistæ dixerunt !... Aufer a me, quæso, hanc stultitiam et duritatem cordis.

Nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? Hic significat, ignorantiam et cordis duritiem ex eo provenire,quod non satis huic veritati revelatæ attendissent... Aperi et tu, anima mea, oculos ut consideres, si Christo exemplari tuo, si Christo hæredi gloriæ Patris necesse fuit per passionem in eam intrare... an non multo magis necessarium mihi peccatori,ut aliqua patiar?...

Interpretabatur illis in omnibus Scripturis...aperiendo

simul illis internum animæ sensum, quo possent intelligere, et cor inflammando amore, tum veritatum, tum ipsius interpretis... O cœlestis Magister, aperi mihi, quæso, Scripturas sacras, ut mens mea veritate tua illustretur et voluntas inflammetur charitate. Loquere mihi, Domine, in hujus
Cantic. 2. vitæ via, ut *cor meum ardeat et anima mea liquefiat dulcedine vocis tuæ.*

II P. INVITATIO. — Appropinquantibus illis castello, *finxit se longius ire*, quamvis revera cum illis manere vellet. Cur?... Ut illis occasionem præberet ipsum invitandi et exercendi opus pium hospitalitatis, quo se dignos redderent ut ad eos Dominus intraret, seseque eis manifestaret...

O Dulcis Jesu, quantumvis dissimules, scimus omnino
Prov. 8. *delicias tuas esse cum filiis hominum*... da mihi quoque delicias meas semper invenire tecum.

Et coegerunt illum... Cedit Dominus, non meræ invitationi, sed coactioni discipulorum : qui vult a nobis *cogi*... et sibi orationibus, gemitibus, lacrymis, pœnitentiis et importuna instantia veluti vim inferri... Amat illud Jacob :
Gen. 32. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*... — Et revera ubi agitur de negotio tanto quantum est negotium salutis ac sanctificationis meæ, an mihi leviter, oscitanter ac
Matth. 11. tepide procedere fas est?... *Violenti rapiunt illud.*

Juvabit discipulorum expendere verba : *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit et inclinata est jam dies*, qua velut oratione jaculatoria, tempore paschali, Ecclesia utitur... O bone Jesu, mane mecum, quoniam in anima mea jam advesperascit lux fidei, splendor virtutis, fervor charitatis... te autem discedente convertar in noctem obscuram ac frigidam... Mane mecum, Domine, quia dies vitæ meæ jam inclinata est, et nunc magis mihi est necessaria præsentia tua, cum nox meæ mortis appropinquat...

III P. MANIFESTATIO. — *Et aperti sunt oculi eorum*... Cur voluit Dominus manifestare se discipulis dum recumberet cum eis ? 1° Ut ostenderet se magni facere hospitalitatem, simulque doceret opera misericordiæ, quibus Christo in persona proximi benefacimus, apte nos disponere ad magnos favores ab eo obtinendos... 2° Ut intelligamus, efficacius exemplo quam verbo Christum mani-

festari : nam qui sanctissimis verbis Dominum in itinere non agnoverunt, nunc modestia ac pietate qua pani benedicit, et charitate qua eumdem distribuit, illuminati agnoscunt... 3° Ut indicet efficacitatem SS. Eucharistiæ sacramenti, quod vel confecit tunc, vel saltem pane illo voluit repræsentari...

Da mihi, Domine, tria illa : nempe opera misericordiæ, bonum exemplum et frequentem SS. Eucharistiæ perceptionem... sancte exercere, ut merear illuminari ad te cognoscendum, tibique sicut par est serviendum.

Evanuit ex oculis eorum... desiit ab eis videri, non tamen eis manere præsens... ut bene intelligam, nihilominus Dominum nobis esse præsentem quamvis corporeis oculis spectari non possit...

Non diutius Jesus remanet cum illis, sed statim evanescit relinquens eos gaudio et charitate plenos : ut sciamus Dei visitationes et consolationes in hac mortali vita non esse prolixas ; sed obiter interdum dari ut charitate erga proximos vehementius accendamur... Nam duo discipuli, prius tristes et tardi, magno jam gaudio magnaque promptitudine, ad fratres resurrectionem nuntiaturi revertuntur.

O Domine Jesu, muta similiter visitatione tua tarditatem animæ meæ, ut *corde dilatato viam mandatorum tuorum curram*, donec perveniam ad te videndum in sede et throno tuæ gloriæ per totam æternitatem. Amen. Psalm. 118.

De apparitione in cœnaculo, absente Thoma. Domini verba.

Pr. 1. *Cum sero esset die illo*, discipulis congregatis in cœnaculo, stetit Jesus in medio eorum, dicens : *Pax vobis.* Illis autem conterritis et existimantibus se spiritum videre, ostendit et palpandam dedit carnem suam ; ac deinde, cum manducasset coram eis *partem piscis assi et favum mellis*, reliquias eis distribuit. *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Joan. XX et Luc. XXIV.

Pr. 2. Ut vivida fide apprehendam resurrectionem Domini, et gaudii discipulorum particeps efficiar.

I. Quomodo appareat Christus in cœnaculo. II. Quomodo discipulos alloquatur.

I P. APPARITIO DOMINI. — *Cum sero esset...* Cur Christus Dominus hanc apostolorum suorum visitationem distulit usque ad vesperam? Primo, quia eorum aliqui, cum tardiores essent ad credendum, sensim erant disponendi, quo utilior eis apparitio foret... Secundo, ut aliorum qui, jam credentes, eum videre cupiebant, desiderium magis acueret... patientiam probaret... atque ita quoque perfectius disponeret...

Da mihi, Domine, fidem vividam... da mihi quoque patienter visitationem tuam exspectare, nec dubitare quin mihi tempore maxime opportuno affuturus sis, secundum
Habac. 2. illud : *Si moram fecerit exspecta illum : quia veniens veniet et non tardabit.*

Cum fores essent clausæ... Cur voluit januis clausis ad discipulos intrare?... 1° Ut nobis ostenderet corpus suum esse vere glorificatum et dote subtilitatis pollere... 2° Ut significaret, se tanquam Dominum posse animam ingredi, visitare, sanctificare, quin obstaculum ullum ejus efficaci voluntati resistere valeat... 3° Ut insinuaret, gratum sibi esse quod servi sui portas suorum sensuum claudant... O Rex gloriæ! tua est anima mea : da mihi eam ita claudere et custodire, ut nihil ingrediatur quod oculis tuis
Matth. 18. displiceat... Veni Jesu, visita, inhabita domum tuam...

Stetit in medio... ut intelligam, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine ejus, ibi ipsum esse in medio eorum...* ut magistrum... ut pastorem... ut gubernatorem... ac protectorem .. Quam miseri, qui ita congregantur ut in medio eorum sit diabolus !...

O anima mea, cura ut tres facultates tuæ, memoria, intellectus, voluntas, recolligantur in oratione : mox enim aderit Dominus, illas lumine suo, pace et charitate sanctificans...

II P. VERBA DOMINI. — *Dicit eis : Pax vobis. Ego sum, nolite timere...* Significat, se passione ac morte sua meruisse eis pacem, atque omne bonum, omne gaudium... quantumvis magna fuerint eorum peccata...

Ego sum, idem ille nempe qui antea vobiscum fui, vester Magister, Salvator vester ac Deus summumque bonum... etsi semper frater...—Suavissima discipulis Domini, omnibusque quærentibus eum vox illa: *Ego sum*... eadem vero persequentibus eum omnibusque peccatoribus, terribilis. In horto enim Olivarum, dicente Jesu : *Ego sum*, hostes ejus velut fulmine icti corruerunt in terram... Jam vero omnibus ac singulis inimicis suis dicet, in novissimo die : *Ego sum*... quem despexistis, cui esurienti non dedistis manducare... cui per Ecclesiam meam loquenti auscultari noluistis... *Ego sum, cui omne judicium dedit Pater*... Joan. 5. — Terribilis illa vox peccatoribus ; diligentibus autem Jesum et pro ipso patientibus, quam consolatoria!...

Nolite timere, neque a me... neque a Judæis aut gentilibus, neque a quibusvis inimicis : nam existente me in medio vestrum, ab omnibus his periculis tuti estis...

O Domine Jesu, veni ad animam meam et da mihi pacem tuam, quam mundus dare non potest... da mihi pacem cum Patre tuo et cum fratribus meis... pone pacem inter carnem et spiritum meum, faciendo ut caro spiritui perfecte obediat... da mihi pacem quæ oritur ex puritate conscientiæ, ex humilatate, ex obedientia... et ex fiducia in Deo... Da mihi intelligere verbum istud, quod mihi quoque locutus es, imo quod loqueris mihi indesinenter : *Ego sum*, *noli timere*...

De apparitione discipulis, absente Thoma. Domini actiones.

Pr. 1. Discipulis non credentibus Jesum vere et corporaliter adesse, certitudinem facit Dominus ostendendo sua vulnera, et coram ipsis manducando. Tunc illi, evidentia victi, gaudio replentur. Joan. xx, 20.

Pr. 2. Ut vivida fide apprehendam resurrectionem Domini, et gaudii discipulorum particeps efficiar.

I. Discipulorum incredulitas. II. Domini in eis convincendis bonitas. III. Videntium demum veritatem gaudium.

I P. INCREDULITAS. — Discipuli videntes subito adstantem Magistrum suum redivivum... benignissimam faciem ejus... audientes ejus vocem... quomodo affecti sunt?...

Plures eorum primum territi, existimant sibi spiritum apparere... At ille, ut eos de rei veritate et corporali sua præsentia certos faciat et convincat, summa benignitate non tantum spectabile exhibet corpus suum... et consueta voce eis loquitur... sed tangendam præbet et palpandam suam carnem, præcipue manus, pedes et latus, ubi foramina clavorum et lanceæ erant servata... *Quid,* inquit, *turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere...* — Gratias tibi ago, Magister supreme, ob ineffabilem bonitatem, qua discipulis tuis simulque nobis omnibus resurrectionis tuæ veritatem certam, indubiam atque evidentem reddere dignatus es... Adhuc, quæso, adauge fidem meam et omnium in te credentium.

Luc. 24.

II P. DOMINI BONITAS, MANDUCATIO. — Aliquibus autem nondum credentibus, ipsum esse eumdem qui fuisset crucifixus... dixit: *Habetis hic aliquid quod manducetur?...* Mira prorsus Domini bonitas! Quamvis irrationabilis sit et quasi stupida quorumdam diffidentia, novum signum realis suæ præsentiæ adjicit, familiariter petens aliquid ad comedendum: licet comedere a statu corporis glorificati valde sit alienum... Hinc exemplum accipiam me ipsum humiliandi ut proximo benefaciam; neque existimabo quidquam dignitati mei status repugnare quod sit in bonum proximorum...

At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis: non sine mysterio. Nam piscis assus figura est humanitatis Domini, quæ igne tribulationum fuit in cruce assata... favus autem mellis divinitatem ejus refert, quæ fons est omnis dulcedinis...

Utramque rem simul dedit nobis Dominus in sanctissimo Altaris sacramento... Pro tanto autem dono quid retribuam? Nonne vicissim ei offerre debeo mysticum quemdam

piscem assum et favum mellis ?... Piscis scilicet, ex mente Patrum etiam est homo christianus, in aqua baptismali natus, et mortificationem Christi in corpore suo circumferens... Mel vero quid aliud quam suavitas charitatis, ab omni amaritudine odii aut malevolentiæ aliena ?...

O Domine Jesu, vivifica me et nutri in aqua humilitatis, perque patientiam crucis tibi conformem efficias... reple animam meam dulcedine gratiæ et amoris tui, ut instar favi mellis gratus sim cibus palato tuo. Amen.

III P. DISCIPULORUM GAUDIUM. — *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Ubi rei evidentia victi, viderunt nec illusionem nec spiritum, sed vere suum Jesum adesse, cum carne et ossibus redivivum... *gavisi sunt*, inenarrabili sane gaudio, plurimas ob causas. 1° Eo quod dilectissimus sibi Magister, quem mortuum fleverant, redivivus esset et gloria plenus... 2° Quod ipsimet in Jesu redivivo omnia jam bona possiderent... Vident enim totius doctrinæ quam tradidit veritatem... vident bonorum quæ promisit mirabilem realitatem... vident vitam illam æternam quam annuntiavit, in ipsius persona præsentem, palpabilem... Agnoscunt divinitatem ejus ex gloria quæ in resurrectione resplendet, quæ scilicet vere est gloria *quasi Unigeniti a Patre*... Vident se, fratres ejus, fore tantæ gloriæ participes... Joan. 1.

Utique gaudium verum, et quasi novam vitam Christus redivivus discipulis tribuit, videntibus et tangentibus eum...

O si felici illi discipulorum societati licuisset mihi interesse, si videre pulchritudinem et elegantiam Jesu, dulcemque ejus vocem audire, pretiosissima vulnera tangere, benevolo aspectu et alloquio frui !... O dulcissime Jesu, en me, spiritu, in veneranda tua præsentia constituo, tuamque celsissimam Majestatam adoro... et intima reverentia osculaturus sanctissima vulnera tua accedo, certo confidens fore ut inde sanationem hauriam omnium vulnerum animæ meæ....

De apparitione discipulis, absente Thoma. Remissio peccatorum.

—

Pr. 1. *Dixit eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Joan. xx, 21.

Pr. 2. Ut intelligam sublimitatem missionis apostolicæ, eamque quam sanctissime implere contendam.

I. Quomodo Dominus apostolos mittat. II. Quomodo eis insufflando det Spiritum sanctum. III. Quomodo eis potestatem conferat remittendi peccata.

I P. MISSIO APOSTOLORUM. — Antequam apostolos suos mitteret Dominus, *dixit eis iterum : Pax vobis...* ut ita eos ad munus apostolicum perfecte disponeret. Ituri enim per mundum universum, ut cum hominibus omnigenis conversentur eosque convertant, nisi fuerint viri pacifici, id præstare non poterunt....

Sicut misit me Pater et ego mitto vos... id est, sicut misit me Pater in mundum ut homines viam veritatis et virtutis docerem ; ita ego vos mitto ut opus meum pergatis et promoveatis... Quanta hominibus apostolicis collata dignitas, quos Filius Dei legatos suos et successores in
II Cor. 5. munere conversionis mundi constituit !... *Pro Christo legatione fungimur...* Quantas debeo Deo gratias !... et quantum memetipsum debeo humiliare, meam indignitatem considerans !...

Vox illa *sicut*, etsi non æqualitatem, magnam certe similitudinem denotat, quasi Dominus diceret : Ego, qui Patri meo sum æqualis, mitto vos sicut ille me misit, idoneasque gratias vobis tribuo, ut munus quod ego præstiti et vos præstetis... — Sicut Pater me, quamvis amet, non ad honores misit et delicias, sed ad labores et adversa multa... ita et ego vos, quamvis mihi charissimos, mitto...

O Apostole et Pontifex supreme, Jesu, justum omnino est ut nos, quos in divini apostolatus tui partem assumere

dignaris, vestigia tua sequamur, laboresque et afflictiones tuas tecum sustineamus... atque ita fructum faciamus qui maneat... En me, Domine, paratum ad omnia : quocumque libuerit mitte me : te enim mittente me, nulla auxilia mihi poterunt deesse...

II P. INSUFFLATIO. — *Tunc insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum...* Non sine mysterio hic apostolis suis Dominus insufflavit. Significare scilicet voluit, Spiritum sanctum, quem illis dabat, a se procedere sicut halitum ab afflante. Itaque non solum dona sua, sed ipsum quoque Spiritum sanctum, Apostolis tradidit : nec solum illis, sed simul et nobis in eorum persona... Benedictus Filius Dei, qui tam liberaliter nobis donum largitur, quod æque pretiosum est ac ipse dator...

Afflando quoque significavit se, eumdem qui *inspiravit in faciem Adami spiraculum vitæ* naturalis, nunc inspirare Spiritum ac principium vitæ supernaturalis... et hunc Spiritum eosdem in anima effectus habere, quos alter ille habuit in corpore : animam nempe vivificare, eique pulchritudinem, vires, motusque communicare... Gen. 2.

O dulcis Jesu, inspira in animam meam hunc divinum afflatum, ut nova vita vivens, opera efficiam æternæ vitæ digna....

Leviore hoc flamine insuper pignus dabat illius spiritus vehementis, in die Pentecostes adventuri.Nam qui hoc die Spiritus sanctus datus est, ad unum effectum, remissionis scilicet peccatorum, est datus : qui autem in pentecoste dandus, alios multos effectus erat operaturus.

III P. REMISSIO PECCATORUM. — *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis...* His verbis dedit Christus apostolis suis potestatem remittendi peccata, quæ propria est Dei : nam ad eum solum spectat injuriam donare, cui injuria illata est... Quam neque angelis neque sacerdotibus antiquæ legis, neque ipsi Dei Genitrici potestatem concessit, hanc sacerdotibus novæ legis tribuit... et ita participes eos fecit infinitæ dignitatis Salvatoris !... O liberalissime Jesu, quid tibi pro adeo insigni beneficio reddemus ?... O mirabilis misericordia ! non angelos, sed homines peccatores ad remittenda peccata constituis, ut eo misericordius remittamus quo magis nostram ipsorum miseriam experimur...

Da mihi, Jesu, misericordiam illam Cordis tui, qua ipsemet in terris peccata remittebas...

Maxime autem hic divina liberalitas in eo cernitur, quod absque numero aut termino illa potestas concedatur. Etenim extenditur ad omnes peccatores... etiamsi fuerint sacerdotes... nemine prorsus excluso, quamdiu in hac vita degit... — Deinde, ad omne genus delictorum, adeoque etiam ad peccata in Spiritum sanctum, dummodo peccator pœnitere voluerit... Demum, ad quemlibet numerum, ad quamvis multitudinem peccatorum...

O amantissime et liberalissime Jesu ! Quis non obstupescat et extra se fiat, immensam tuam misericordiam considerans ?... Benedicta sit infinita tua charitas !... Te autem per hanc charitatem rogo, ut me et omnes peccatores ad fructum sacramenti pœnitentiæ quam plenissime percipiendum adjuvare digneris....

De apparitione discipulis præsente Thoma.

Pr. 1. Testantibus condiscipulis de resurrectione Domini, sanctus Thomas credere noluit obstinate. Postquam autem iterum apparens Dominus ei vulnera sua tangenda exhibuit, credens exclamavit : *Dominus meus et Deus meus !* At Dominus : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt.* Joan. xx, 24.

Pr. 2. Ut Thomæ exemplo docilior factus, credam fide illa perfecta, qua, Domino affirmante, beatus ero.

I. Thomæ incredulitas. II. Domini erga Thomam bonitas. III. Credentium felicitas.

I P. INCREDULITAS. — Plures Thomæ defectus notandi : 1° ejus discessio a contubernio suorum fratrum... quæ causa fuit cur visione tam salutari apparentis Christi fuerit privatus... Hinc discam fidelium congregationi assidue interesse, et a piorum consortio non discedere... — 2° In-

credulitas cum pertinacia judicii, qua credere noluit quod condiscipuli unanimiter tanquam oculati testes ipsi referebant, præferens superbe proprium judicium attestationi aliorum omnium... — 3° Præsumptio, qua Deo præscribere ausus est probationes sibi præstandas ut crederet... Nefas enim est media ordinaria rejicere et speciales a Deo requirere favores, Deo quasi statuere conditiones ad ei credendum ac serviendum... — 4° Pertinacia, qua per octo dies verbis omnibus confratrum, mulierum, imo forte ipsius B. Virginis restitit, in incredulitate perseverans... in qua et perdurasset irrevocabiliter, nisi mira benignitate ad eum Christus Dominus ipse venisset... — Nonne mihi ab hujusmodi vitiis cavendum?...

Hoc autem totum Deo permittente evenit, quo firmius evaderet ipsius Thomæ de resurrectione testimonium... utque intelligamus, quo homo etiam apostolicus possit devenire, si proprio sensui indulgeat... si Deus ab eo manum suam retrahat... Domine Deus, ne derelinquas me, et libera me a quatuor vitiis quibus Thomas tantopere periclitatus est.

II P. DOMINI BONITAS. — Benignissimus Dominus, vere Pastor bonus, oviculæ suæ perditæ prospexit. Postquam octo dies discipuli resipiscentiam exspectavit frustra, noluit diutius remedium differre ; et videns Thomam cum fratribus præsentem, venit, sicut prius fecerat, dicens : *Pax vobis*... quo melius eum ad credendum moveret...

O Pastor amantissime, quam mirabiliter amorem tuum manifestas !... ad reluctantem apostolum tuum non dedignatus ipse venire, et apprehendere manum ejus, quasi ad credendum et amandum eum cogere velles !...

Cum autem potuisset Jesus Thomæ apparere seorsim sicut Petro, venit coram aliis apostolis, ut intelligatur hanc gratiam concedi Thomæ quia est in consortio fratrum... utque illi qui fuerunt testes incredulitatis ejus, conversione ac fide ædificentur...

Quanta demum comitate ac benignitate Thomam alloquitur ! *Infer*, inquit, *digitum tuum huc et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum : et noli esse incredulus sed fidelis*... ut scilicet intelligat

Thomas, Dominum scire quæ ipse dixisset, suæque expostulationi indulgere... — O infinita sermonis Domini affabi-
Tit. 3. 2. litas ! Ubi est exprobratio amara ?... Vere *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei... Apparuit gratia Salvatoris nostri, erudiens nos*... Da mihi, o Jesu, docilem esse documentis tuis...

III P. CREDENTIUM FELICITAS. — *Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus et Deus meus*... credens nimirum et confitens, non tantum Dominum ac magistrum suum vere resurrexisse, sed eumdem esse Deum suum... — Quod Evangelium non dicit, fas est credere, sanctum Thomam reverentiæ causa a tactu vulnerum Domini abstinuisse et se ad pedes Christi projecisse : Christum tamen arripuisse manum ejus, ut primum Thomæ desiderium expleret, atque ita magnitudinem charitatis suæ magis patefaceret. Tactis vero ipsis vulneribus adeo est illustratus, ut maximo cordis affectu confessus sit Christum esse suum Dominum et suum Deum, distincte exprimendo ejus humanitatem et ejus divinitatem... ac tenerrimo amore eum vocando Dominum *meum* et Deum *meum*... Merito quidem, o Thoma, vocas eum Deum, *tuum*, ut qui te singulariter præ cæteris dilexerit, et propter te hic apparuerit...

O Jesu, et ego sicut Thomas te fateor esse Dominum et Deum meum, qui, quasi pro me solo passus esses, ita
Galat. 2. *dilexisti me et tradidisti temetipsum pro me*...

Licet confessionem Thomæ approbaret Dominus, non tamen eum laudavit, sed potius tacite reprehendit ob tarditatem fidei : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*... quasi diceret : ut crederes me esse tuum Deum et Dominum, opus tibi fuit me videre et palpare... Et addidit : *Beati qui non viderunt et crediderunt*, ad consolationem eorum fidelium quibus datum non fuit Dominum in carne sua videre... Beatiores quodammodo sumus discipulis Christi coætaneis : nam ex una parte, gaudemus bonis omnibus, quæ nobis sua morte comparavit... videmus impletas prophetias ejus circa Ecclesiam... et ex altera parte, fides nostra majus habet meritum...

Gratias tibi ago Salvator... et peto ut cœlesti tuo lumine oculos meos clarifices, ut fide vivificata et charitate

accensa te semper credam, et ita amem ut beatus sim tecum in regno cœlorum. Amen.

De vulneribus Domini in glorificato corpore conservatis.

Pr. 1. Spectare Christum redivivum, dicipulis ostendentem vulnera manuum, pedum ac lateris sui.

Pr. 2. Ut intelligam mysterium horum stigmatum, et ex iis documenta salutis hauriam et abundantiam gratiarum.

I. Stigmata Domini signa sunt resurrectionis et triumphi ejus; II. loquuntur æterno Patri et nobis; III. aperiunt nobis asyla et fontes; IV. confundent olim reprobos et lætificabunt electos.

I P. SIGNA RESURRECTIONIS ET TRIUMPHI SALVATORIS. — Ideo enim imprimis vulnera servare voluit Dominus, ut ea ostendens et tangenda præbens discipulis, efficacius resurrectionis veritatem demonstraret; idemque corpus esse glorificatum, quod affixum cruci fuerat... Quo eodem facto nos quoque indicat resurrecturos eisdem corporibus, quæ in vita hac gessimus mortali... *In carne mea videbo Deum meum... reposita est hæc spes mea in sinu meo...* Job. 19. Hanc quoque spem reponam ego in sinu meo; et si vulneribus vel morbis caro mea fuerit crucianda, laboribus conterenda, hac spe confirmatus libenter patiar...

Voluit etiam Salvator vulnerum foramina servare, ut signa gloriosa suæ passionis, quibus ostenderet quanti pretii sit et quantæ gloriæ oculis Dei, labores, dolores et ignominiam pati propter justitiam... Utinam, o Jesu, et ego *stigmata tua in corpore meo merear portare!...* Galat. 6.

II P. VULNERUM ELOQUENTIA. — Vulnera Domini perpetuo oculis æterni Patris loquuntur. Illa enim Christus, advocatus noster, Patri ostendens, ejus iram peccatis nostris inflammatam placare non desinit... O Pater æterne, placare nobis peccatoribus propter passionem et merita Filii... Respice quoque benedictas ipsius manus,

pedes ac latus, et per sancta illa vulnera concede, ut manus nostræ semper opera bona faciant... pedes nostri bonis gressibus incedant... latus nostrum atque cor sit amore tuo sancto repletum...

Præterea vulnera illa loquntur nobis, et dicunt indesinenter quanta Dominus pro nobis fuerit perpessus, quantumque nos dilexerit... velut interiora Cordis ejus nobis pandunt, atque ita nos ad fiduciam in Domino Jesu, ad ejus amorem atque obedientiam provocant... O Jesu amantissime ! si tu, ne obliviscaris mei velut *in manibus tuis descripsisti me ;* nonne æquum est te mihi semper esse præ oculis, teque poni a me *ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum*... quo scilicet omnia opera mea ac desideria obsignata sint sigillo infinitæ charitatis tuæ...

Isaï. 49.

Cant. 8.

III P. APERIUNT NOBIS ASYLA ET FONTES. — In omni periculo, in omni perturbatione aut procella... sicut *columba* volat *ad foramina petræ*, ita confugiat anima christiana ad vulnera Domini, mysticæ petræ foramina... ibi namque certam protectionem et quietem inveniet...

ant. 2.

Quæcumque vult anima sancte vivere, adeat vulnera Salvatoris, id est, assidue ea cogitet ac meditetur... Si vis, anima mea, Jesum cognoscere et ardenter amare, ingredere in vulnera ejus : ibique deprehendens quanti te fecerit quantumque dilexerit, mutuo amore eum diliges, cum ipso conjungeris et in ipso transformaberis... Aspice vulnera manuum, pedum et lateris : hinc hauries robur ad laborandum ad pugnandum, ad patiendum pro ipso et ad ambulandum perseveranter in viis ejus...

Da mihi, o Jesu, sancte tua vulnera intueri, ea adire, in iis habitare... ea contemplari in imagine crucifixi... at præcipue in ipso tuo corpore, realiter sub Sacramenti specibus latente...

IV P. FUTURA SUNT CONFUSIO REPROBIS, LÆTITIA ELECTIS. — In novissimo die confundet Dominus damnatos, ostendens eis vulnera quæ pro ipsis salvandis accepit... quæque ipsi per peccata sua inania reddiderunt... Stulti sane et ingrati homines, qui pro tanto dono tantoque amore injurias et peccata retribuerunt... omniaque salutis media contempserunt...

Contra vero eorumdem vulnerum aspectu mirifice gaudebunt electi, non solum in die judicii, sed per totam æternitatem : in eis cernentes causam salutis suæ, ac tot motiva amoris erga Jesum... ac materiam ineffabilis laudis qua *misericordias Domini in æternum cantabunt.* Psalm. 88.

O Dulcissime Jesu, da mihi mysteria vulnerum tuorum penetrare... da fontes illos gratiarum et amoris adire... ad hæc asyla confugere... in his tabernaculis habitare omnibus diebus vitæ meæ...

De apparitione septem discipulis ad mare. Piscatio.

Pr. 1. Dicente Petro se exire ad piscandum, sex confratres ei se socios adjunxerunt. Cum autem frustra tota nocte laborassent, adstitit eis Jesus in littore et dixit : *Mittite in dexteram navigii rete.* Quo facto illi nacti sunt capturam copiosam. Joan. XXI, 1 seqq.

Pr. 2. Ut documenta intelligam quæ in hac apparitione exhibentur, atque hinc in cognitione et amore Domini Jesù proficiam.

I. Piscatio apostolorum. II. Apparitio Domini et piscationis successus.

I P. APOSTOLORUM PISCATIO. — Cur apostoli abeunt piscatum? Partim ob indigentiam, ut sibi victum compararent, partim ad fugiendum otium... duplex laborandi motivum : utrumque laudabile... — Abeunt autem simul unanimes, consentientes Petro. Huic enim dicenti : *Vado piscari,* statim reliqui respondent : *Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in navim*...Quanta concordia! Imitabor sanctos hos discipulos in paupertatis, laboris et concordiæ spiritu... Joan. 21.

Illa nocte nihil prendiderunt. Etsi omnes simul per totam noctem graviter laborant, nihil tamen capiunt... quo intelligam, quam parum in piscatione animarum possit humana industria et eloquentia, nisi Dominus ad opus

accedat. Quapropter necesse est, operarios animarum in humilitate omnino fundari... et cum Christo esse unitos...

Frustra laborant *nocte*... quo insinuatur, eum qui laborat in tenebris peccati lethalis, nihil proficere, nec ejus opera meritum habere vitæ æternæ... Quanta peccatoris miseria, qui tota vita laborat, agitatur, et nihil colligit pro æternitate!...

Tunc sane discipuli recordati sunt piscationis prioris, qua præsente Magistro capturam fecerant tam copiosam ; et fas est eos suspirasse, dicentes : O Jesu bone, ubi nunc es? Cur non accedis ut nostræ inopiæ subvenias?... Talia mihi in laboribus dicenda, ita invocandum auxilium Domini summa cum fiducia : nam *desiderium pauperum exaudivit Dominus*...

Psalm. 9.

II P. APPARITIO CHRISTI. — *Mane autem facto stetit Jesus in littore.* Hic perpendenda charitas Domini, qui adfuit ut dilectos discipulos consolaretur laborantes...

Non cognoverunt discipuli quia Jesus est... non statim Dominus agnosci voluit ut visitatio discipulis utilior esset... — Mansit in littore, nec voluit, ut antea, super aquas ambulare... ut significaret, præsentem statum vitæ suæ jam pertinere ad terram viventium, esse scilicet omnino stabilem ; nec amplius fluctuationi aut alterationi ulli obnoxium...

Dixit eis : Pueri, numquid pulmentarium habetis? id est num aliquot pisces habetis? *Responderunt ei : Non*... Quamvis non ignoraret, interrogavit eos, ut sic induceret ad necessitatem suam et impotentiam agnoscendam... utque ita auxilium accipere mererentur quod eis cupiebat afferre... O bone Jesu, petis aliquid a nobis, ut ipse possis nobis dare!... Petis aquam a Samaritana communem, ut possis ei dare aquam vivam... Petis eleemosynam in persona pauperis, ut possis danti ipsemet largiri eleemosynas tuas non perituras...

Mittite, inquit, *in dexteram navigii rete*... quod mystice intellectum significat : mittite rete in virtute Christi, qui est dextera Dei Patris... — Obedientes discipuli huic homini, quem Christum esse adhuc ignorabant, *jam non valebant rete trahere præ multitudine piscium*... En præmium obedientiæ : delectatur enim Christus pluri-

mum quod *obediamus omni humanæ creaturæ propter ipsum*, et aliorum judicio ac voluntati pareamus, ubicumque peccatum non cernitur. I Pet. 2.

Da mihi, Domine Jesu, has S. Ignatii regulas sequi, spiritui tuo tam consentaneas : *Nulli vel minimo quavis ratione repugnes : cedere te potius quam superare juvet ; judiciumque libens subjice cuique tuum.*

De apparitione ad mare. Agnitio Domini.

Pr. 1. Videns Joannes mirum piscationis successum, Jesum agnovit; statimque Petrus primus, ac dein reliqui ad Dominum accesserunt, qui dixit eis : *Venite et prandete. Et accipiens panem dabat eis et piscem similiter.* Joan. XXI, 13.

Pr. 2. Ut intelligam documenta quæ hoc mysterio mihi præbentur, et hinc in cognitione et amore Domini Jesu proficiam.

I. Agnitio Domini. II. Circumstantiæ particulares hujus piscationis. III. Prandium a Domino paratum.

I P. AGNITIO. — Primus Jesum agnovit Joannes, ad Dominum autem primus accessit Petrus, mittens se in mare... Joannes hic cordis puritatem repræsentat et contemplationem, quæ acuunt internum animæ visum... Petrus vero refert fervorem vitæ activæ, qui in medios labores ac fluctus hujus mundi, ex amore Christi se conjicere non dubitat... Da mihi, Domine, utrumque Spiritus sancti donum, ut et oratione et operatione ad te tendam quam perfectissime...

II P. CIRCUMSTANTIÆ PARTICULARES PISCATIONIS. — Perpendenda differentia piscationis hujus a prima piscatione miraculosa. Illa prior introductionem animarum in militantem Ecclesiam figurabat : et ideo, non tantum ad dexteram mittere rete jubetur Petrus, sed ad omnes partes, ut colligat pisces omnigenos, bonos et malos, magnos et parvos, quibus duæ naves implentur : quæ duos populos, Luc. 5.

Hebræum et Gentilem, sub uno capite Christo et ejus Vicario significabant... Rete quoque rumpebatur : quia Ecclesia fracturam aliquam et schisma pati potest in hac vita...

Piscatio vero hodierna figura fuit introductionis electorum in Ecclesiam triumphantem : ideo jubetur piscatio fieri ad dexteram tantum navigii... Electi enim futuri sunt ad manum dexteram judicis... Omnes autem hi pisces sunt magni, sanctitate scilicet et puritate vitæ... suntque certo numero censiti, quia a Deo constitutus est numerus electorum... Rete ipsum trahitur in terram ubi Christus est, quæ est terra viventium... et non rumpitur, quia in cœlo nullum schisma erit, nec quidquam quod perturbare electos possit,
Matth. 13. postquam *angeli separaverint malos de medio justorum*... Felices animæ quæ hoc rete electorum capientur, ut collocentur in æterna vita !... Concede mihi, o dulcissime Redemptor, ita vivere in aquis vivis gratiæ tuæ, ut ex eis ad æternam vitam deducar. Amen.

III P. PRANDIUM. — Discipuli *ut in terram descenderunt, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Dicit eis Jesus : Venite et prandete. Et accipiens panem dabat eis, et piscem similiter*... Quanta bonitas ac liberalitas Redemptoris erga discipulos ! En, postquam eis prandium præparavit,ad comedendum invitat panem, manu sua miraculose confectum, et pisces alios quam quos ipsi cepissent... Quo simul significare voluit, primo, quantopere sit illi curæ spiritualem refectionem præbere illis, qui propter amorem ipsius et obedientiam laborant... Secundo, innuit quod, dum nos in terra laboramus, ipse nobis præparet dulcissimum in cœlis convivium, ubi sacratissimam suam divinitatem et humanitatem
Luc. 14 et 22. nobis in cibum porriget. *O beati qui manducabunt panem* hunc *in regno Dei... qui edent et bibent super mensam Christi in regno ejus !...*

Utinam ego dignus efficiar huic convivio interesse ! Accipe hæc vota mea, o bone Jesu, et gratia tua sic me corrobora, ut eorum compos evadam, ad gloriam tuam.

De apparitione in monte Galilææ. Missio apostolorum.

—

Pr. 1. Spectare multitudinem discipulorum in monte Thabor, adorantium Jesum et audientium verba ejus. Matth. XXVIII, Marc. XVI.

Pr. 2. Ut cum discipulis gaudeam de gloria Jesu, simulque ejus amore exardescam et verba in corde conservem.

I. Apparitio in monte. II. Missio apostolorum.

I P. APPARITIO. — *Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus...* Matth. 28. Ipsius Christi jussu apostoli Galilæam petierunt; gaudentes sane spe diutius illic Dominum videndi... Nuntiaverunt autem resurrectionem ejus discipulis per Galilæam dispersis, qui, ut S. Paulus insinuat, convenerunt *plus quam quingenti...* 1 Cor. 15. et ascenderunt in designatum sibi montem, qui creditur fuisse Thabor. — Hic perpendenda charitas et zelus apostolorum in convocandis suis condiscipulis ad apparitionem communis Magistri... et ex altera parte, fervor multitudinis ad montem confluentis... ibique exspectantis adventum Domini a mortuis redivivi...

Hinc discam, si velim videre Christum contemplatione, ejusque mysteria cœlesti lumine cognoscere, debere me conscendere montem vitæ perfectæ, culmenque charitatis per studium unionis fraternæ... quæ maxime ad contemplationis gratiam disponunt.

Liberalissime itaque Christus, secundum promissionem suam, discipulis apparuit... et credere fas est, eum aperuisse illis aliquid suæ gloriæ et splendoris, sicut antea in eodem monte, tribus discipulis transfigurationis testibus... O quam læti, quam exultantes, quam cœlesti dulcedine perfusi omnes discipuli, tacite saltem et lacrymis dixerunt : *Domine, bonum est nos hic esse !...*

Videntes eum adoraverunt... O quanta cum devotione Dominum venerati sunt !... Et si qui de multitudine,

prima vice eum redivivum videntes, initio attoniti dubitaverunt : eos mox Jesus, sicut antea cum illis agendo ac loquendo, dubitatione liberavit et lætitia implevit...

Domine Jesu, Rex gloriæ, fac me magis magisque fidei ac lætitiæ discipulorum tuorum participem...

Matth. 28. II P. MISSIO. — *Et accedens Jesus, locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra...* Hanc potestatem prorsus supremam, sibi qua homini ratione hypostaticæ unionis debitam... aliunde etiam sua passione meritus est Dominus; ideoque nunc dicit, *datam sibi esse*, ob humiliationem nimirum crucis suæ, *omnem potestatem... in cœlo* quidem, ad reserandas paradisi portas, eoque introducendos homines... *in terra* vero, ad remittenda peccata, ad mutanda hominum corda, et distribuenda nobis omnia dona spiritualia....

Gaudeo, Salvator mi, de suprema hac tua potestate... gratiasque ago æterno Patri, qui eam dederit tibi, tam juste promerito... Exulta, anima mea, quod adeo potentem

Psalm. 72. habeas Redemptorem... O Salvator mi Jesu, *quid mihi est in cœlo et a te quid volui super terram ?* Tu mihi es pro rebus omnibus : in te enim, qui omnia potes, omnia possideo....

Euntes ergo in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ... Eadem suprema potestate utens Christus Dominus, missionem confert apostolis prædicandi Evangelium, annuntiandi salutem omnibus creaturis

1 Tim. 2. humanis... *Vult* enim *omnes homines salvos fieri*, absque acceptione personarum, eo quod omnes æqualiter sint

Ephes. 4. ipsius creaturæ : *Unus Deus et Pater omnium...*

Prædicate Evangelium, docete omnes gentes... En Ecclesiæ divinitus data missio, potestas ac jus docendi plenissima libertate Christi doctrinam... quam missionem divinam nulla potestas humana impedire aut restringere jure potest... quapropter vir apostolicus sine timore potestatibus adversis respondere debet, cum primis apostolis :

Act. 5, 4. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus... Non possumus quæ audivimus et vidimus non loqui.*

O Deus, et Pater omnium, miserere tot creaturarum tuarum, quæ nondum sunt Evangelii lumine illustratæ... Con-

cede quoque Ecclesiæ tuæ ministris, ut Evangelium tuum digne, intrepide et cum omni fiducia valeant prædicare.

De apparitione in monte. Baptismus.

Pr. 1. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Math. XVIII, 19.

Pr. 2. Ut magis magisque gratiam ac mysterium baptismi intelligens, pro tanto beneficio dignas Deo laudes procurem.

I. Baptismus. II. Fidei et baptismi necessitas.

I P. BAPTISMUS. — Postquam Dominus apostolos jussit docere omnes homines ea quæ ad fidem pertinent, atque ita eos ad baptismum disponere; injunxit alia duo, nempe ut instructos baptizarent, et baptizatis præciperent vitam ducere baptismo consentaneam.

Mandans apostolis discipulos baptizare, circumcisionis rigorem in baptismi lenitatem commutavit. Baptismus, introductio ad legem novam, quæ lex gratiæ est et amoris, proselytos aquæ dumtaxat ablutione initiat, in signum internæ ablutionis animæ... eidemque animæ characterem imprimit spiritualem christianismi... et simul gratiam communicat ac charitatem, filiorum propriam, non jam servorum... Hinc est quod baptismus conferatur expressis tribus SS. Trinitatis personis, quarum singulæ mirabiles producunt in baptizato effectus. Nam Pater eum accipit in filium adoptivum et hæredem; Filius in fratrem, meritorum suorum participem, discipulum et amicum; Spiritus sanctus ejus animam assumit in sponsam, exornans illam dotibus ac virtutibus... Tota demum Trinitas accipit eamdem in templum et habitationem suam...

Laudent te, Domine, omnes angelorum hierarchiæ, ob innumera beneficia hominibus per hoc sacramentum collata... Perfice in me quod cœpisti in baptismo, ut qui

salutari aqua renatus sum, ad ætatis Christi plenitudinem perveniam.

Deinde præcipit Dominus ut apostoli baptizatos *doceant servare omnia quæcumque ipse illis mandavit*... quasi diceret : non sufficit si tantum baptizentur ; sed oportet illos vitam agere dignam fide et gratia, quam illis in baptismo communico ; servantes, non jam cæremonias Mosaïcas, quas abrogo, sed *quæcumque ego mandavi vobis*...

Gratias tibi, o dulcissime Magister, quod onus Mosaïcum in suave Evangelii jugum commutaveris... Adjuva me, ut Evangelica tua mandata ipsemet observem, et alios recte doceam servare.

Marc. 16. II. P. NECESSITAS FIDEI ET BAPTISMI. — *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit ; qui vero non crediderit condemnabitur*. Promissionem hanc et comminationem adjicit Dominus, ut homines ad acceptandam legem suam impellat... Non temporalia bona vel mala hominibus reservat, sed spiritualia et æterna : frui videlicet salute, aut ea æternum privari... quasi diceret : qui crediderit et baptizatus fuerit, eaque impleverit quæ vobis mandavi, æternam vitam consequetur... hanc autem amittet *qui non crediderit*... itemque ille qui fidem ac baptismum quidem recepit, *utrumque autem factis negat*, quia non vivit juxta ea quæ credit, nec præstat quæ in baptismo promisit.

O Deus animæ meæ, aperi mihi thesauros innumerabiles, qui verbo illo *salvus erit* continentur... ut eorum amore movear ad omnia præstanda et sacrificanda, quæ æterna salus requirit... Aperi mihi etiam abyssum miseriarum, quæ continetur verbo illo *condemnabitur*.... ut, ubi cœlestium bonorum amor me non sat efficaciter excitaverit, damnationis mala horrenda me urgeant...

Perpendenda Domini charitas in hoc verbo : *Qui non crediderit*... ille solus *condemnabitur*. Hoc enim docet, eum qui baptismum recipere neglexit, vel recipere non potuit, dummodo fidem habeat et dolorem perfectum de peccatis cum baptismi desiderio, salvatum iri...

Gratias tibi, Domine, pro copiosa illa liberalitate, qua cœlum patere voluisti omni homini ratione utenti, si modo fidem ex animo susceperit et perfecte doluerit de peccatis.

De apparitione in monte. Credentium miracula.

Pr. 1. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ; super ægros manus imponent et bene habebunt.* Marc. XVI, 17.

Pr. 2. Ut intelligam hujusce promissionis sensum, nec ullum ponam obstaculum quominus illa signa per me fiant.

Triplici sensu miraculorum promissio expendi potest : I. litterali, II. spirituali, III. tropologico seu morali.

I P. SENSUS LITTERALIS. — Promittit Dominus fidelibus suis potestatem varia miracula patrandi, ubi ad fidei propagationem, ad animarum conversionem, vel ad Christi ac servorum ipsius glorificationem, imo ad afflictorum consolationem id visum fuerit expedire...

Quæ miraculorum virtus maxime resplenduit in primitiva Ecclesia, utpote magis necessaria... Postquam autem Ecclesia super miracula fundata, tanquam vivum ac perpetuum miraculum omnium oculis spectabilis constitit... signa particularia et prodigia minus frequentia facta sunt. Nunquam tamen defuerunt, neque desunt, ut ex Sanctorum vitis et tot infirmorum curationibus miraculose obtentis manifestum est...

Miracula porro et miraculorum donum concedi non solent nisi *credentibus*... et sicut Dominus in Evangelio, ita nunc tanquam conditionem necessariam requirit fidem ac fiduciam magnam... imo miraculorum virtutem fidei tribuit : *Amen quippe dico vobis*, ait, *si habueritis fidem* vividam *sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit : et nihil impossibile erit vobis*... Matth. 17.

Credo, Domine Jesu, quia infallibile est verbum tuum... confido, quia omnipotens es, infinite bonus, et fidelis in promissis... credo et confido ex toto corde ; et adauge, quæso, fidem meam, adauge fiduciam...

II P. SENSUS SPIRITUALIS. — Merito quoque promissio Domini spiritualiter intelligitur de potestate, quam habent sacerdotes omnes mirabilia illa in animabus fidelium, tum doctrina tum sacramentis perficiendi... Nam ut S. Gregorius ait, *dæmonia ejiciunt*, quando pœnitentes absolvunt ; *linguis loquuntur novis*, quando spiritu Christi pleni et unctione cœlesti, veritatis doctrinam prædicant... *serpentes tollunt*, quando discordias et odia componunt, variasque Satanæ astutias dissolvunt... *mortiferum quid bibunt, sed non eis nocet*, cum inter malos versantes, eorumque nequitias audientes, nihil tamen mali illis adhæret... *manus super ægros imponunt et bene habent*, cum exhortationibus et exemplis suis infirmos in virtute ad meliora provocant...

Homil. 29. in Evang.

An ea fide, fiducia et zelo sacra ministeria impleo, ut promissa miracula sequantur ?...

O animarum Salvator, mitte multos operarios in mundum qui hæc opera faciant... quibus fides dilatetur, charitas vivificetur et gloria Dei in omnibus augeatur.

III P. SENSUS TROPOLOGICUS. — Iisdem Domini verbis illa etiam potestas insinuatur, quam quilibet christianus, et a fortiori sacerdos, habet, ut illa signa in semetipso producat. Nam, teste S. Bernardo, *dæmonia ejicimus* e nobis, cum habemus contritionem de peccatis... *linguis loquimur novis*, cum sermones veteris Adami vanos vel vitiosos de ore nostro removentes, lingua loquimur novi Adami : nimirum quæcumque sunt sancta, proximis bona, Deoque placentia... *serpentes tollimus* a nobis, cum removemus occasiones peccati, et quidquid cordi nostro peccati venenum afferre possit... *mortiferum quid bibimus nec tamen id nocet nobis*, cum suggestiones pravas et carnis stimulos sentimus, non tamen ullum consensum damus... *super ægros manus imponimus et bene habent*, cum animæ nostræ morbos curamus, ejusque passiones exercitatione bonorum operum, pœnitentiis et mortificationibus vincimus...

Serm. de ascens.

Hæc signa sunt eorum qui credunt ut oportet... Quæ tamen non proprio nomine, nec sua virtute præstare possunt... sed nomine et virtute Dei...

O Christe fidelissime et potentissime... in te credo et

spero : et ideo in nomine tuo hæc mirabilia incipere statuo... tuæ misericordiæ confidens fore ut, juxta promissa tua, ad executionem me adjuturus sis.

De apparitione in monte. Ego vobiscum sum.

Pr. 1. Spectare Jesum in monte Thabor, mittentem apostolos in mundum universum, et addentem : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Matth. XVIII, 20.

Pr. 2. Ut hæc verba intime intellecta, fiducia et amore erga Jesum me repleant.

I. Cur voluerit Jesus manere nobiscum. II. Quanta sit hujusce præsentiæ præstantia.

I Q. CAUSÆ. — Promittit Dominus discipulis sese cum ipsis mansurum, imprimis ut consoletur eos de privatione præsentiæ suæ visibilis... quasi diceret : quamvis post meam resurrectionem jam rarius vobis appearem, nihilominus *omnibus diebus vobiscum sum* invisibiliter, nec minus præsens quam si me oculis videretis... imo etsi brevi ad Patrem sum reversurus in cœlum, semper vobiscum manebo invisibiliter præsens in terra, usque ad finem mundi...

Secunda causa, ut apostolos ad missionem suam arduam valde animet... quasi dicens : nolite timere, eo quod ad tantam missionem vos impares sentiatis ; nam soli non eritis : ego vobiscum ero semper, ego comes, adjutor, protector omnipotens...

Tertia causa, ut in eadem missione eorum curam ac zelum stimulet... Scientes enim Dominum sibi adesse ad latus, in conspectu ejus, cui placere contendent, omni diligentia et fervore sua munera obibunt...

Ob easdem rationes Christus Dominus, sicut cum fidelibus omnibus... ita peculiariter mecum sacerdote jugiter præsens manet, dicens : *Ecce ego tecum sum*, tibi præsens ut consolator et auxiliator, nec non ut testis eorum quæ facis... Quapropter studiose cura, ut meæ præsentiæ

semper memor, ipse quoque mecum maneas et a me auxilium petas...

O dulcissime Domine, si tu mecum es, quid mihi potest deesse?... O Deus invisibilis, da mihi ita vivere in conspectu tuo, quasi te cernerem visibiliter præsentem, in omni fiducia et amore...

II P. PRÆSTANTIA. — Ut divinæ promissionis præstantiam assequamur, tria hæc verba sunt perpendenda : *Ego vobiscum sum.*

Ego, ipsemet æterni Patris Filius... non unus ex angelis meis, quem vobis ut comitem mitto...

Ego, Deus omnipotens, cui nihil, neque astutia, neque malitia, neque violentia resistere potest...

Ego vester Salvator, qui diaboli tyrannidem destruxi, qui mundum vici, et Ecclesiam ædificavi adversus quam portæ inferi non prævalebunt...

Ego Agnus dominator terræ... specietenus infirmus, sed omnibus leonibus fortior... ego vobiscum sum, quem, vel quid timeatis?...

Vobiscum sum. Quomodo nobiscum est? Potest enim cum discipulis esse multiplici ratione : per *omnipotentiam* creatricem, sicut est in creaturis omnibus, dans illis esse, vitam et motum... Per suam *gratiam*, sicut est in justis, dans illis vitam supernaturalem... Per *Spiritum sanctum*, in quo apostolis perpetuam præbet assistentiam... Per *charitatem*, qua in persona membrorum Ecclesiæ, præsertim pauperum, mystice nobiscum manet beneficia recipiens... Per *hierarchicam potestatem*, qua nos realiter in persona superiorum gubernat et sacramentis sanctificat... Per *Sacramentum altaris*, quo in propria persona habitat in medio nostrum... Omnibus his modis est Christus Dominus in sua Ecclesia, eam protegens et gubernans, sicut rex in suo regno, gubernator in navi, magister in schola...

Hoc sensu *vobiscum* sum, vobiscum scilicet qui mei estis dilecti discipuli, et cum omnibus qui per verbum vestrum credent in me et vos imitabuntur...

Gratias tibi, dulcissime Jesu... Fac me semper quoque esse tecum, tibi serviens, teque amans in æternum.

III P. DURATIO HUJUS PRÆSENTIÆ. — *Omnibus diebus...*

Christus Dominus sic nobiscum se mansurum promittit, non aliquibus et incertis diebus, per intervalla... sed *omnibus diebus*, etiam diebus malis... omnibusque dierum horis... Quo verbo nos etiam securos reddit, Ecclesiam cum sua doctrina suisque sacramentis duraturam indeficienter *usque ad consummationem sæculi*... Et hoc sæculo consummato ac finito, etiam cum suis erit excellentiore modo per totam æternitatem...

Pro his omnibus gratias tibi, Domine, ago... et quoniam tu semper mecum esse dignaris, da mihi per gratiam tuam semper esse tecum, et *ambulare coram te in sanctitate et justitia, omnibus diebus vitæ meæ.* Luc. 1.

De spiritualibus visitationibus animarum.

Pr. 1. Christus Dominus noster discipulis suis *præbuit se ipsum vivum post passionem suam, in multis argumentis, per quadraginta dies apparens eis, et loquens de regno Dei.* Act. 1, 3.

Pr. 2. Ut ex his apparitionibus intelligam, quomodo Christus Dominus noster animas visitet invisibiliter, et ad hujusmodi visitationes me disponere discam.

I. Apparitiones et visitationes. II. Documenta ad visitationes spectantia. III. Visitationum proprietates.

I P. APPARITIONES ET VISITATIONES. — Christus post resurrectionem, non minus quam antea, cum discipulis suis assidue manebat præsens : *Ecce ego vobiscum sum*, inquit, *omnibus diebus*... plerumque invisibili tantum modo... Identidem quoque, nec infrequenter, se illis præbebat spectabilem, magna evidentia, nunc vulnera ostendens, nunc aliqua prodigia faciens, vel interpretans Scripturam... ut eos ita foveret et consolaretur. Matth. 28.

Idipsum agit erga animas sibi devotas, quibuscum per totam hanc vitam manet invisibiliter... Interdum enim eas

visitat et consolatur, dans aliqua testimonia præsentiæ suæ, per inspirationes, illustrationes sanctas, et sensibilis devotionis suavitatem... Quod quidem alibi, sed non raro in sacra Communione præstat, communicando animæ lumen aliquod, amorem, desideria aut proposita novæ vitæ, doloremve de peccatis, inflammatosque devotionis affectus... quibus agnoscat, id quod accepit non esse panem
Joan. 6. communem, sed *panem vivum qui de cœlo descendit*...

O Deus invisibilis, et præsentissime semper... qui te interdum ita abscondis ut remotissimus videaris ; interdum ita te prodis ut te proximum sentiamus... veni ad animam meam, tuaque dulci præsentia me visita sæpius... Da mihi fidei, spei et charitatis augmentum... da mihi ita te sumere in Sacramento, ut mox advertam me panem vivum et
Psalm. 41. panem vitæ accepisse. Veni, Domine, *sitivit* enim *anima mea ad te, Deum fortem vivum*...

II P. DOCUMENTA. — 1° Quamvis Dominus ubique sit præsens, etiam intra me ipsum, sæpius tamen fit, ut non magis præsentiæ ejus effectus persentiam quam si longe abesset, idque mea culpa... Conabor itaque culpas et importunas curas deponere, quæ tantum bonum impediunt...

2° Si forte accidit ut sæpius ita sacram Eucharistiam sumam, quasi rem mortuam acciperem... causa plerumque est, quia exigua mea dispositio indignum me reddit, cui Christus suæ vivæ præsentiæ sensum concedat...

3° Apparens apostolis Dominus signa suæ præsentiæ profert adeo certa, ut prorsus differant ab aliis, quæ ementiri solet spiritus malus cum in angelum lucis se transfigurat... Hinc orabo suppliciter Dominum, ut liberet me semper a fraudibus Satanæ... nec non ab iis, quas male sanum judicium proprium ordiri consuevit....

4° In illis apparitionibus nunquam Christus discipulis loquitur de rebus vanis, curiosis aut ad rem non pertinentibus ; sed de iis tantum quæ spectant *ad regnum*
Rom. 14. *Dei*... quod est *justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto*... modo eos reprehendens, modo erudiens, gaudio et pace replens, amore imflammans... Idipsum præstat Dominus quoties animas spiritualiter visitat : idque efficit per internas illustrationes, quibus nulla vana suggerit aut

curiosa aut absona, sed illa tantum quæ ad justitiam et sanctitatem pertinent....

O benignissime Jesu, veni quoque ad pauperculam et afflictam animam meam, eamque reple saluberrima tua consolatione.

III P. VISITATIONUM PROPRIETATES. — Considerandæ sunt visitationum spiritualium proprietates, in apparitionibus Christi spectabiles.

1° Apparitiones istæ non erant continuatæ, sed per intervalla repetitæ... aliquibus, ut B. Virgini, frequentiores, ob majorem eorum dispositionem... — Idem contingit in visitationibus animæ... Mearum autem partium erit, ita per recollectionem, puritatem conscientiæ ac pia desideria... me disponere, ut frequentius illa consolatione interna et bonis quæ inde proveniunt frui merear.

2° Apparitiones fiebant inopinate, nec diu durabant, et subito evanescebant, ut contingit discipulis in Emmaus... Idem animæ sanctæ experiuntur... Qua in re divinæ voluntati nos decet conformare, et certo credere, omnia sancte et ad bonum nostrum ordinari...

3° Apparitiones contingebant hora, loco, discipulorum occupationibus prorsus diversis... Sic visitationes spirituales nec tempus certum habent, nec locum ; neque occupationi alicui aut exercitio adnexæ sunt... Vult enim Dominus nos omni tempore et omni occupatione ita paratos esse, ut visitationi ejus et consolationi obicem non ponamus...

4° Non semper immediate Dominus, saltem manifeste, ipsemet veniebat ; sed primum apparebat obscurius, aliena specie tectus, et quasi gradatim ; vel post apparitiones angelorum... Simili modo se gerit in visitationibus animarum... — Nostrum autem est fiducialiter semper a Domino petere optimam partem : nimirum ipsum Deum ac Dominum nostrum perfecte cognoscere et amare... — Grandis namque fiducia, S. Bernardo teste, grandia meretur dona... et ubi dixit Moyses Deo : *Ostende mihi gloriam tuam ;* audivit Dei responsum : *Ego ostendam omne bonum tibi...*

Serm. 32. in Cant.

Exod. 33.

Tu ergo, anima mea, fiducialiter cum Davide Dominum alloquere et clama : *Tibi, dixit cor meum, exquisivit*

Psalm. 26.

te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram...
Psalm. 72. Etenim *quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?... Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.... Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

De ascensione. Exitus e cœnaculo.

Pr. 1. *Eduxit eos foras in Bethaniam... in montem qui vocatur Oliveti.* Luc. XXIV, 50; Act. I, 12.

Pr. 2. Ut intelligam quæ mihi documenta præbet Dominus in ascensione sua, iisque discam mente jam in cœlestibus habitare.

I. Apparitio ultima in cœnaculo. II. Exitus in Bethaniam.

I P. APPARITIO. — Cum adesset dies, quo Christus Dominus erat ascensurus ad Patrem, majora dilectis suis discipulis dedit amoris indicia... ideoque apparuit illis in cœnaculo, unanimiter recumbentibus... et humanissime convescens, significavit se illa die ad Patrem ascensurum.

Quanta reverentia, quanto amore divinum Magistrum aspexerunt discipuli !... Qua nova tristitia audierunt separationis nuntium !...

Est autem fas credere, Dominum ad consolandos eos iterum quasdam adduxisse rationes ex iis, quas post ultimam cœnam protulerat, nimirum sequentes :

Joan. 14. *Vado parare vobis locum, et iterum veniam et accipiam vos ad me ipsum : ut ubi sum ego, et vos sitis...*

Ibid. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem : quia Pater major me est...* Gauderetis scilicet ob ineffabilem gloriam, qua secundum humanitatem meam coronandus sum...

Joan. 16. Aliunde, *expedit* etiam et *vobis ut ego vadam :* privati enim sensibili mea præsentia, et amore magis spirituali me diligentes, apti eritis ad Spiritum sanctum cum omnibus suis donis recipiendum...

O dulcissime Jesu ! exulto animo quod ascendas ad tuum Patrem... quia te tuamque gloriam plus amo quam me ipsum... At, siquidem Pater tuus etiam est meus, firmissimam habeo fiduciam, fore ut etiam me ad fruendum ejus præsentia deducas...

II P. EXITUS IN BETHANIAM. — Non constat, utrum ita discipulos duxerit in Bethaniam Dominus, ut ipsis quidem esset conspicuus, invisibilis autem profanis... an vero evanuerit ipse, discipuli autem soli in Bethaniam se contulerint... Utut res fuerit facta, discipuli statim ejus voci obedientes, iverunt trans torrentem Cedron, et per clivum Olivarum prætergredientes prædium Gethsemani, venerunt in Bethaniam... atque inde ascendentes, congregati sunt in vertice montis Oliveti...

Quare Christus Dominus ad ascensionem suam assignat Bethaniam, et montem, ipsumque montem Oliveti ? Nonne ut ita doceat nos, quomodo ipse suam gloriosam ascensionem mereri voluerit, et nos, post eum, nostram ascensionem mereri debeamus ?... Quid enim significat Bethania ? Quid montis culmen ? Quid mons Oliveti ?

Bethania quæ vox *domus obedientiæ* interpretatur, significat Dominum quæcumque fecit ab incarnatione sua usque ad ascensionem in cœlum, non aliter fecisse quam ut Patri suo obediret obedientia perfectissima... in cujus obedientiæ domo ita semper vixit inclusus, ut nusquam ab ea recesserit... — Hinc intelligam, et mihi viam ascendendi in cœlum et in cœlestibus habitandi esse Bethaniam...

Mons significat justitiam, charitatem ac perfectionem christianam... cujus altitudinem ostendit nobis Dominus *implendo* per totam vitam suam *omnem justitiam*... Ita et ego debeo *ascensiones in corde disponere et ire de virtute in virtutem*, nitendo contra gravitatem illam qua trahitur cor deorsum... Matth. 3. Psalm. 83.

In clivo *montis Oliveti* situs est hortus, ubi in agonia, in sudore sanguineo Christus Patrem oravit, ubi a suis apostolis desertus, a Juda proditus, a Judæis captus, funibus ligatus, pedibusque concultatus... illam inchoavit passionem, quam consummavit in ignominia crucis... Ex eodem autem loco ascendere vult ad gloriam suam... ut intelligam, eum per hujusmodi patientiam sibi beatam hanc ascen-

sionem comparasse ; et, si ego patientiam habuero, humiliationes ac labores mihi quoque causam fore exaltationis... meque a temporalibus istis ærumnis ad æternam quietem ascensurum...

O Unigenite Patris Fili, qui per vias obedientiæ, charitatis et patientiæ ascendisti ut ad Ejus dexteram sederes ; adjuva me, ut vestigia tua sequens, per totam vitam in domo obedientiæ habitem, nec in minimo puncto a tua voluntate recedam... sed per patientiam constantem ad altissimum charitatis culmen contendam ascendere, donec perveniam ad regnum tuum, ubi videam te et præsentia tua fruar in æternum. Amen.

De ascensione Domini. Benedictio.

Pr. 1. *Elevatis manibus suis, benedixit eis... et ferebatur in cœlum.* Luc. XXIV, 50.

Pr. 2. Ut mysterium benedictionis Dominicæ intelligam, ejusque particeps efficiar.

I. Quomodo Dominus discipulis benedicat. II. Quomodo benedicendo ascendat.

I P. BENEDICTIO. — Cum essent omnes discipuli et Beatissima Virgo in monte Olivarum, apparuit illis Christus Dominus noster, vultu splendidiore quam alias, et suaviore benevolentia perfuso... Loco autem complexuum, inquit pius Ludovicus De Ponte, quibus illi qui se multum amant, cum ab invicem discedunt, uti solent, permisit ipse omnibus suis ut sacratissimos suos pedes et manus oscularentur... Quanta cum reverentia, quanto cum amore accesserunt discipuli ad redivivum Magistrum ac Deum !... Quanta gratitudine salvifica vulnerum stigmata sunt venerati !... — At quomodo omnium sane prima accessit Mater ad Filium !...

Quanta vicissim ex illis vulneribus in animas ea venerantium manavit gratia fidei et charitatis !... O Domine Jesu, da mihi eadem pietate, eodem fructu sanctissima tua vulnera venerari...

Mox autem *elevatis manibus benedixit eis*. Priusquam benediceret, manus in altum elevavit, ut insinuaret benedictionem suam non esse de bonis terrenis, sed cœlestibus, quæ passione sua, manibus in cruce elevatis, illis comparaverat... Ambas autem manus elevavit, ut benedictionis suæ largitatem significaret, qua plena utraque manu bona gratiæ et gloriæ nobis impertiret... O Christe benignissime, per elevationem manuum tuarum in cruce, fac me benedictionis tuæ participem... ut meas quoque manus tollam in cœlum orationibus et operibus perfectis.

Benedixit illis, verbis exprimens bona, quæ simul apprecabatur ut homo et largiebatur ut Deus... Hominis enim benedictio apprecatio est bonorum, Dei vero largitio... Forte iisdem verbis est usus quæ post cœnam protulerat: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo*, et per virtutem tuam protege *quos dedisti mihi : ut sint unum sicut et nos*... et postea ascendant quo ego ascendo, *ut videant claritatem quam dedisti mihi antequam mundus esset*... Joan. 17.

O Dulcissime Jesu, cui præsentes aderant etiam discipuli tui futuri omnes, fac me, quæso, hujus benedictionis tuæ participem... Benedic mihi, Pater mi, benedictione non terrrena sed cœlesti, quia sola cœlestia bona animam meam valent satiare...

II P. ASCENSIO. — *Factum est dum benediceret*, cœpit sensim a terra elevari, *et ferebatur in cœlum*... non, sicut Elias, curru igneo, sed propria ac divina sua virtute... Quanta majestas! Quis unquam mortalium, regum, triumphatorumve... visus est in cœlum ascendere ?... O Rex gloriæ, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe...

Comitabantur autem Regem gloriæ innumerabiles animæ e limbis eductæ... plurimæque angelorum legiones, Domino suo obviam missæ... dignus tanti Regis comitatus...

Discipuli autem oculos tum animæ tum corporis in suum Magistrum habebant defixos, tribus flagrantissimis affectibus elevatos : admirationis... lætitiæ... desiderii eum sequendi, et cum eo ascendendi... Eorum scilicet corda post dilectum suum rapiebantur captiva. Ascendens enim Christus *captivam ducens captivitatem*, duo captivorum genera secum trahebat : justos videlicet, e limbo liberatos, et corda suæ Matris omniumque discipulorum, qui omnes Psalm. 67.

desiderio illum sequebantur, ligato vinculo amoris... O si mihi daretur, o Jesu, esse unum ex his captivis !... Trahe tecum, quæso, cor meum captivum in cœlos, ut semper illic maneam in tua dulcissima societate, teque fruar in æternum...

De ascensione Domini. Nubes, futurus reditus.

Pr. 1. Spectare Christum gloriosum cum discipulis in monte Olivarum, ubi iisdem videntibus ascendit in cœlum, et nube suscipitur ab oculis eorum.

Pr. 2. Ut intime cognoscens sublime hoc mysterium, Dominum ascendentem toto corde sequar, mente jam-jam in cœlestibus habitaturus.

I. Quomodo Dominus ascendat. II. Quomodo nube abscondatur. III. Quomodo rediturus annuntietur discipulis.

I P. ASCENSIO. — Secus ac olim nasciturus de cœlo descenderat in abscondito, nunc in cœlum ascendit Dominus in luce diei, et spectantibus discipulis suis... ut hi omnes videant et sciant, quis demum terminus sit vitæ Christi... fideliumque sequacium ejus... Post vitam videlicet sanctam, eamdemque valde ærumnosam... Dominus ascendit in cœlum, id est in regionem gaudii et beatitudinis æternæ... Atque ita omnes veri discipuli ejus...

Ascendit super omnes cœlos, post vitam humilitatis pro-
Ephes. 4. fundisimæ... *Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ ?...*

Ascendit ex vertice montis Olivarum, ut sciamus qua via sit ascendendum in cœlum. *Mons* enim symbolum est justitiæ christianæ et observationis mandatorum : *Si vis ad*
Matth. 19. *vitam ingredi, serva mandata...— Mons* autem *Olivarum*, in cujus clivo Dominus orare consueverat, ubi acceptavit calicem passionis, atque ab angelo est confortatus... indicat media adhibenda ut montem christianæ justitiæ ac perfectionis conscendere valeamus : videlicet orationem...

mortificationem, et sui ipsius generosam victoriam... fiduciam in Deo cum gratia ejus... *Apparuit illi angelus de cœlo confortans eum...* Luc. 22.

Concede mihi, Domine, semper præ oculis habere gloriosum terminum æternæ beatitudinis... et, per viam christianæ ac sacerdotalis virtutis, ad eum generose contendere...

II P. NUBES. — Ascendentem coram discipulis Dominum mox suscepit nubes, abscondens ab oculis eorum. Quam nubem lucidam fuisse atque pulcherrimam credere licet, qualis decebat majestatem Regis gloriæ, et pulchritudinem regni in quod intrabat... Hanc nubem aspicientes discipuli, in ea Dominum, jam oculis corporeis occultatum, adhuc intuebantur oculis mentis... Quamobrem nubes ista mystica symbolum exhibet fidei, qua Christus absconditur et adhuc videtur...

Etenim velamine fidei, tanquam nube, Christus absconditur nobis in hac vita : *Per fidem enim ambulamus et non per speciem...* II Cor. 5. At vero nube hac realiter, licet non visibiliter continetur, quemadmodum continebatur in nube ascensionis... Per fidem possidemus Christum in Ecclesia, in superioribus nostris, in Eucharistia... imo in nobismet ipsis, cum, docente Apostolo, dignetur *Christus per fidem habitare in cordibus nostris...* Ephes. 3.

In nube autem fidei Christus adhuc videtur, non corporis sed fidei oculo, fidei præcipue vividæ... Vivida autem efficitur fides per humilitatem... per cordis puritatem... et orationem assiduam.

O Domine, ut videam ! Illumina, quæso, mihi oculos fidei, ut videam perfecte... ut eos, rebus exterioribus clausos, unice intendam in te et in gloriam tuam... Luc. 18.

III P. ANNUNTIATIO REDITUS. — *Quum intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis. Qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum...* Act. 1. Quasi dicerent : satis diu contemplati estis Magistrum vestrum ; jam transeundum vobis est ad laborem quem vos docuit, quique totus consistit in præparatione ad adventum ejus secundum...

in præparando scilicet vosmetipsos et reliquos homines, ut cum venerit in hora mortis, et in fine sæculorum, digni inveniamini ascendere cum ipso in cœlum...

Hinc discimus, quomodo a contemplatione ac meditatione sancta ad sanctam operationem descendere debeamus...

Luc. 24. Tunc ipsi *adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno*... profluente e triplici fonte fidei... fiduciæ... charitatis... quæ spectaculo ascensionis Domini sui maximum incrementum acceperunt...

Philipp. 3. Da mihi, Domine Jesu, earumdem virtutum incrementum, quibus ita in terris vivam ac laborem, ut *mea conversatio tecum sit in cœlis*... Da, quæso, fidelibus tuis cunctis

Domin. 13. Pentec. *fidei, spei, et charitatis augmentum : et, ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis*...

De ingressu Christi in cœlum empyreum.

Pr. 1. *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ*. Psalm. 46.

Pr. 2. Ut contemplando Christi Domini exaltationem et gloriam, ardentius ejus amore accendar.

I. Comitatus sanctorum cum Christo ascendentium. II. Angelorum chorus. III. Gaudia Christi.

I P. COMITATUS. — Ascendentem in cœlum Regem gloriæ comitabantur innumerabiles animæ sanctæ, quas e limbo eduxerat... nec non justi illi, corporibus gloriosis induti, qui cum ipso resurrexerant, et, ut probabilis opinio censet, ad sepulcra nequaquam redierunt... Decebat enim, ut Rex humani generis non solus corporeus in regnum intraret, sed caterva sanctorum stipatus, qui similiter carne gloriosa circumdati, in sua persona effectum magnificum redemptionis plenissime exhiberent...

Quam lætabunda ascendit immensa illa multitudo illustrium captivorum, qui liberatorem sequentes, in amplissimam illam ac pulcherrimam regionem lucis tendebant!...

Quanta exultatione quisque eorum exclamaverit cum Davide : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum !* Psalm. 83. *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini...* Quales laudes prompserunt !.. Dominum suum ac Redemptorem glorificaverunt sane his et similibus vocibus : *Psallite Regi nostro, psallite...* Psalm. 46. *Quoniam Rex omnis terræ, Deus... et princeps regum terræ, qui dilexit nos, et* Apoc. 1.5. *redemit nos Deo in sanguine suo...*

II P. ANGELORUM CHORUS. — Cum choro animarum sanctarum ingressus est simul chorus innumerabilis angelorum, qui descenderant ut Christum Regem suum deducerent, essentque illi sicut *currus Dei* triumphalis, *decem* Psalm. 67. *millibus multiplex, millia lætantium...* cantantes triumphos ejus et cum cœlestibus suis sociis colloquia miscentes hujusmodi : *Attollite portas, principes, vestras...* Psalm. 23. *et introibit Rex gloriæ. — Quis est iste Rex gloriæ*, qui venit de terra et vult per portas æternales penetrare ? — Hic est *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ...* — Et iterum : *Quis est iste qui venit de Edom*, terra Isaï. 63. hostili, *tinctis vestibus de Bosra*, et purpuratis sanguine ? *Iste formosus in stola sua*, indutus humanitate, per passionem suam mirum in modum decorata ?... — *Ego sum qui loquor justitiam et propugnator sum ad salvandum*, qui solvi Adæ debitum divinæ justitiæ, et hominem a tyrannide diaboli, non sine prælio, liberavi...

Tunc omnes communi voce dixerunt illud Apocalypsi : *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, et* Apoc. 5. *divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam et benedictionem... in sæcula sæculorum...*

O Salvator mundi ! Gaudeo de triumpho tuo ineffabili... Da mihi, quæso, cœlitum choris misceri, vocemque meam eorum vocibus conjungere, ut te cum illis laudem in æternum.

III P. GAUDIUM CHRISTI. — Præsertim perpendenda ipsius Christi Domini in hoc suo triumpho lætitia. Quanto gaudio exultavit sanctissima illa anima, videns felicem omnium laborum suorum exitum !... Nonne ipse *pastor* Luc. 15. ille, *qui inventam ovem*, Adami nempe progeniem, *quam*

perdiderat, reportat in cœlum *gaudens?*... Nonne eam ostentans angelis dixerit : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat?*

Salm.118. O Pastor supreme, qui tot expensis tuis quæsivisti et invenisti salutem humani generis, quod *erraverat tanquam ovis quæ periit*... congratulor tibi de tuo gaudio ; et per gloriam istius triumphi tui supplico tibi, ut ejus me participem facias... quærens me et inveniens in hac vita, et postea deducens ad te fruendum in futura.

De ingressu Christi in cœlum. Consessus ad dexteram Patris.

Pr. 1. *Ad Filium dixit Deus : Sede a dextris meis... thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi : virga æquitatis virga regni tui.* Hebr. I, 8. 13.

Pr. 2. Ut perpendendo gloriam ac regnum Christi Domini in cœlis, vehementius ejus amore accendar.

I. Quomodo Christus in cœlo a Patre sit exaltatus. II. Quomodo ibidem munus regium exerceat.

I P. IN CŒLO EXALTATUS. — Ingressus Christus Dominus in cœlum empyreum... *qui thronus Dei est*... sedes nempe gloriosa, ubi Rex sæculorum immortalis, velut in regio palatio, gloriam suam electis suis creaturis manifestat... *penetrans cœlos*, ut Apostolus ait, obtulit æterno Patri felicem illam captivitatem, quam secum deducebat... et quasi rationem reddens impletæ missionis, repetiisse credendus est verba quæ post cœnam protulerat : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, et te clarificavi super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam... Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te...*

S. Thom. p. 3, q. 57. 58. Matth. 5. Hebr. 4. Joan. 17.

Quantum gaudium acceperit misericordiarum Pater de munere quod a Filio sibi offerebatur redemptionis humanæ ! Quantis lætitiæ signis jusserit eum *sedere ad dexteram suam !...*

Perpendenda dogmatis verba. Jubet Pater Filium hominis *sedere :* ut significet quietem post labores... et sedem regiam, in qua tranquille jam recturus est populum *quem acquisivit sanguine suo...* Act. 20.

Ad dexteram suam : ut intelligamus Patrem huic Homini, simulque Filio suo unigenito, totam suam gloriam communicare, atque in throno suo constituere super angelos omnes hominesque sanctos, tanquam omnium caput et Dominum...

Ita homo, frater noster, de carne nostra nostroque sanguine genitus, collocatus est ad dexteram Altissimi, in gloria ipsius Dei Patris !... Credo, Deus meus, ineffabilem hanc per Christum humanæ naturæ exaltationem... et immensas pro hoc mysterio misericordiæ gratias ago...

Tunc Pater Christum dignis pro merito præmiis affecit... quia clarificavit Patrem in terra... quia quæ placita erant ei fecit semper, iis quæ Patris essent constanter se impendens... quia *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propterea exaltavit eum Pater...* Philipp. 2.
Pro præsepio et cruce dedit thronum suæ Majestatis, et pro spinea corona, coronam gloriæ... pro blasphemiis, laudes Angelorum et Sanctorum æternas....

Disce itaque, anima mea, humiliari pro Domino, pati pro eo, ejusque nomen clarificare et opus consummare... *et conresuscitabit te et consedere faciet in cœlestibus in Christo Jesu...* Ephes. 2.

II. P. IN CŒLO REGNANS. — Perpendendum jam, quomodo Christus Dominus, postquam sedisset ad dexteram Patris, auspicatus sit munus suum, qua *Rex constitutus super Sion montem sanctum Dei*, id est, super Ecclesiam universam, cujus ipse Caput est, tum in cœlo, tum in terra... Psalm. 2.

In cœlo distribuit coronas et præmia... Quapropter animabus quas secum e limbis deduxerat, cœlestes assignavit thronos... Alias gloriæ sedes dedit patriarchis... alias prophetis... alias sacerdotibus et levitis... pro cujusque merito... Hic meditari juvabit quamnam dederit gloriam suo Præcursori, Joanni Baptistæ... quam vero S. Joseph, Matris suæ sponso ac suo patri nutritio !...

O quam abunde implevit æternus Pater quod promisit

Isaï. 53. per os Isaïæ : *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, dispertiam ei plurimos*, qui ipsi inserviant, *et fortium dividet spolia*... Exulto, o dulcissime Jesu, quod tuum munus sit dividere spolia gloriæ iis, qui tibi cum fortidudine serviunt... Fac ergo me in tuo servitio fortem et constantem, ut retributionis tuæ particeps esse merear.

Respectu Ecclesiæ terrestris, Christus in cœlo gubernator est providus, eam per Vicarium suum in terris, Petri successorem, perpetua assistentia suffultum dirigens... et sua apud Patrem mediatione defendens... *Habemus pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum, Filium Dei... qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Hebr. 4.

Hinc magnos amoris et fiduciæ affectus concipiam, secundum illud Joannis : *Filioli mei, hæc scribo vobis ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum ; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris...*

Joan. 2.

Adibo ergo te, Domine Jesu, omni fiducia... tum in cœlis interpellantem pro me... tum in SS. Sacramento præsentem nobis, et aperientem Cor tuum amantissimum, tanquam fontem gratiarum.

De donatione Spiritus sancti. Causæ.

Pr. 1. *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus : effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Act. II, 17.

Pr. 2. Ut intelligam quantum beneficium Dei sit donum Spiritus sancti nobis concessum, utque ejusdem particeps fieri merear.

I. A quo Spiritus sanctus sit missus. II. Quem in finem missus sit in mundum.

I P. A QUO MISSUS. — Spiritus sanctus a Patre missus est et a Filio, imo semetipsum nobis dedit...

Sicut enim misit Filium suum in mundum, ita decrevit æternus Pater mittere, alio tamen modo, personam Spiritus sancti. Fuit autem mittendi causa triplex. Prima, infinita bonitas ac merus amor Dei Patris, qui mundum, etiam postquam indignissime Filium tractasset, adhuc sic dilexit ut ei divinum suum Spiritum daret... Secunda causa, merita Christi Domini, ejusque ad dexteram Patris precatio : *Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis...* Joan. 14. — Tertium motivum, nostra necessitas et miseria, qua motus est misericordiarum Pater, ut supremum in omnibus malis auxiliatorem et consolatorem mitteret nobis...

Gratias tibi, æterne Pater, qui totum bonum quod a te procedit, Filium nempe et Spiritum sanctum, nobis largiri dignatus es... Quid retribuam ?...

Non solus Pater Spiritum sanctum mittit, sed et Christus Dominus, verus Dei Filius, a quo simul et a Patre Spiritus sanctus procedit... *Mittam*, inquit, *eum ad vos...* Joan. 16.

Motivum autem cur Christus Spiritum sanctum miserit, præter bonitatem suam nostramque necessitatem, fuit : ut opus humanæ salutis ultimo perficeret ; et, sicut Filius nos redemerat, ita nos divinus Spiritus sanctificaret...

O mundi Redemptor, qui opera tua vis esse perfecta, da mihi, quæso, divinum tuum Spiritum, ut opus quod tu in me cœpisti, ipse consummet ; et copiosa charitatis gratiæque effusione, fructus tuæ redemptionis mihi applicet.

Etsi a Patre et Filio missus, nihilominus Spiritus sanctus se ipsum nobis donat, ipse simul dator et donum... O Spiritus divine, altissimi Donum Dei, simulque Dator munerum,veni, Deus meus et omnia !... veni, et fac ut ego vicissim me ipsum tibi tradam, omnino et non ex parte omnibus tuis inspirationibus obsecuturus...

II P. MISSIONIS FINIS. — Missus est Spiritus sanctus, primo quidem, ut Christo Domino in cœlum ascendenti apud discipulos succedat, officiaque invisibiliter exerceat quæ Christus exercuit visibiliter... nimirum ut sit ipsis patronus ac protector in ærumnis, consolator in tristitiis, advocatus et intercessor in necessitatibus, *postulans pro eis*, id est, eos ad orandum impellens... Rom. 8.

Gratias tibi, o mundi Redemptor, quod talem dederis

nobis in tui visibilis absentia successorem... O Spiritus sanctissime, veni ad servum tuum eumque juva ad ferventer orandum...

Dat nobis quoque Christus Spiritum sanctum ut sibi succedat in officio Magistri ; doceatque nos intelligere et opere implere quæ ipse ore prædicavit... O Magister cœlestis, qui absque strepitu verborum memoriam locupletas, intellectum illustras, et voluntatem spiritali unctione confirmas... veni, visita rudem animam meam, eamque doce omnem veritatem.

Joan. 15. Datus est insuper Spiritus sanctus, ut Apostolis interne *testimonium daret de Christo*... quo Christum Deum et hominem esse cognoscerent, atque ita quidem, ut et ipsi verbo et operibus de eodem Christo testimonium redderent mundo usque ad sanguinis effusionem... O Salvator mi, mitte mihi Spiritum veritatis, ut abundantia suæ lucis faciat me cognoscere quis et qualis tu sis... ut te perfecte cognoscens, perfecte quoque diligam... et dilectionis opera faciam, per quæ ab omnibus cognoscaris et cum Patre ac sancto Spiritu glorificeris...

Joan. 16. Denique venit Spiritus sanctus, *ut mundum arguat de peccato et de justitia et de judicio*... Quasi induens personam apostolorum, per eos arguet mundum de peccatis ejus : de eo præsertim peccato quod committit in Christum non credendo... Convincet eum de justitia ac sanctitate christianæ doctrinæ... notumque faciet judicium, quo Christus principem hujus mundi diabolum percussit, damnando iniquitatem, approbando justitiam...

O Spiritus sancte, amabilissime, veni in animam meam, convince eam de suis peccatis... et de justitia tua... doceasque rectum facere judicium, damnando practice omnem iniquitatem, et virtutem omnem approbando.

De dono Spiritus sancti. Excellentia.

Pr. 1. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Act. II, 17.

Pr. 2. Ut intelligam excellentiam doni Spiritus sancti, et ejusdem particeps fieri merear.

I. Quid nobis in dono Spiritus sancti datum fuerit. II. Quibus donum illud concessum.

I P. QUID DATUM. — Spiritus sanctus, qui per excellentiam *Donum Dei altissimi* appellatur, omnium donorum Dei fons est et origo. In ipso itaque datur nobis, non tantum gratia, charitas cæteræque virtutes ac septem *Spiritus sancti dona*... sed ipse fons, ex quo illæ veluti vivificæ aquæ perenniter profluunt...

In ipso datur et *lignum vitæ, afferens fructus duodecim*... Veni, o sancte Spiritus, irriga animam meam copiosis tuis gratiis, et produc in ea duodecim tuos fructus... videlicet *charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam et castitatem*... Ne vero hi fructus arescant aut marcescant, assiste mihi semper, ut eos augeam et perficiam usque ad vitam æternam. Amen. Apoc. 22

II P. QUIBUS DATUM. — Quinam demum illi sunt quibus divinum hoc donum confertur ? Hic iterum miranda et laudanda Dei largitas, qua non modo pauperibus illud voluerit dare Christi discipulis, in die Pentecostes congregatis... sed omnibus hominibus, universis nationibus ac populis... — Judæis enim pariter atque Gentilibus et Barbaris donum illud offerre voluit, nullo homine excluso quantumvis vili et despecto, aut qui maximus fuisset peccator... modo sese ad cœleste munus recipiendum disponere vellet... *Effundam*, inquit, *Spiritum meum super omnem carnem*... O immensa charitas, et liberalitas incomprehensa ! Non vult profecto Deus Spiritum suum dare ei *qui caro est*, et secundum carnis leges vitam suam instituit repugnans legibus spiritus... sed si is qui caro est, carnalem suam vitam velit mutare, et de tempore in carne consumpto dolere, super hujusmodi pœnitentem effundet Deus Spiritum suum : atque hujus Spiritus sancti virtute ita caro vivificabitur, ut vitam ducat spiritualem divino Spiritu dignam... Joël. 2. Gen. 6.

Gratias tibi ago, Pater misericordiarum, ob infinitam bo-

nitatem qua tantum donum homini, quamvis vili abjectæque creaturæ, largiri dignatus es, et divinum Spiritum tuum cum misera carne conjungere... O misericordissime Pater, si vis bonitatem tuam quam splendidissime exercere, en me hominem miserum, qui totus sum caro... cupiens tamen tuo Spiritu vivificari... Da mihi, Domine, illum Spiritum, ut inhabitet in me *dulcis Hospes animæ*, et pauperrimam hanc animam meam divitiis cœlestibus repleat.

O sancte, o divine Spiritus, veni ad me pauperculum, et divitiis luminis atque charitatis tuæ me locupleta... *Veni, sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium... Veni, Pater pauperum ; veni, dator munerum ; veni, lumen cordium...O luxbeatissima ! reple cordis intima tuorum fidelium... Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium... Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium.*

De Spiritus sancti adventu. Spiritus vehemens.

Pr. 1. Spectare discipulos in cœnaculo congregatos, die Pentecostes, dum *factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.* Act. II, 2.

Pr. 2. Ut intelligam quanta sint Spiritus sancti dona, eaque ardentius desiderando accipere merear.

I. Venit Spiritus sanctus super discipulos in cœnaculo; II. venit die Pentecostes ; III. venit sicut spiritus vehemens.

1 P. IN CŒNACULO. — Erant discipuli *in eodem loco*
Act. 1. *perseverantes unanimiter in oratione...* Tunc Spiritus sanctus venit quando discipuli sunt congregati et charitate uniti... quando orant ferventer et perseveranter cum *Maria matre Jesu*, ut promissus sibi Spiritus concedatur... — Non statim datus est, sed die decimo tandem : quia exaudit certo Deus eos qui orando perseverant et

patienter exspectant... *dabitque* tempore suo *spiritum bonum petentibus se.* Luc. 11.

Locus ille, videlicet cœnaculum, repræsentabat Ecclesiam universalem, in quam se recipiunt discipuli Christi, uniti eadem fide, eodem cultu, eadem lege... his solis, non vero iis qui foris sunt Spiritus sanctus datur, *quem mundus non potest accipere*... ille nempe mundus qui Christi fidem negat et Christi legi resistit... — Gratias tibi, Domine, quod me in Ecclesiam tuam duxeris, ubi, si cum apostolis oravero, cum iis quoque Spiritum sanctum accipiam. Joan. 14.

II P. IN DIE PENTECOSTES. — Erat Pentecoste festum Judæorum, institutum in memoriam legis datæ in monte Sinaï, et celebrabatur die quinquagesimo post pascha Agni. Descendit autem illo die Spiritus sanctus, ut significaret se præcipue venire ad dandam novam legem pro vetere ; et imprimendam animabus legem gratiæ et amoris quam Christus prædicaverat, quæque implementum erat legis timoris, figurativæ, et olim scriptæ in tabulis lapideis... O Pater æterne, legem charitatis scribe dexteræ tuæ digito, id est Spiritu sancto, in corde meo : atque ita, ut eidem in omnibus obediam...

Venit quoque die quinquagesimo, quo numero jubilæum ac plenaria remissio notatur : quia Spiritus sanctus, ut Ecclesia loquitur, est remissio omnium peccatorum... Veni, o sancte Spiritus, veni cum plenitudine gratiarum in animam meam, eamque ab omnibus peccatorum maculis emunda.

III P. SPIRITUS VEHEMENS. — *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis...* Hic expendenda verba, quæ singula Spiritus sancti proprietates aperiunt.

Venit sonus *repente*, nulla designata hora : quia *Spiritus ubi* et quando *vult spirat*... Quare semper exorandus, semperque exspectandus : veniet enim quando mihi magis expediet. Joan. 3.

Venit *de cœlo*... non ab oriente aut occidente hujus terræ : quia *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*... O Pater, emitte mihi de cœlo Spiritum, ut me rapiat et eo deducat unde exivit... Jacobi, 1.

Fuit sonus *tanquam spiritus* seu venti... ad insinuandum, Spiritus sancti inspiratione in nobis effectus produci, ipso vento significatos... qui ventus symbolum est respirationis ac vitæ...refrigerationis... mundationis frumenti... impulsionis ac motus... Scilicet Spiritus sanctus dat et conservat in nobis vitam gratiæ, temperat concupiscentiarum ardorem, mundat animam separando pretiosum a vili, granum a palea ; movet nos et impellit ad vitium fugiendum et virtutem sequendam... *Veni Auster* de cœlo, *et perfla hortum* animæ meæ, ut inspiratione tua ex virtutum arboribus *fluant aromata* fragrantium actionum, ad gloriam Dei et ædificationem proximi...

Fuit spiritus *vehemens*... ad notandam vim, etsi suavem, qua divinus Spiritus impellit nos ad libenter ac ferventer operandum : *Nescit enim*, ut S. Ambrosius ait, *tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Et Apostolus :

Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*... qui scilicet sine defatigatione ac velociter, sicut vectores in navi, prosperrimo vento ad portum ducuntur.

Spiritus ille vehemens ingentem *sonum* tonitrui exci-

Hym. Pent. tavit, qui per totam civitatem fuit auditus : *Repente cœlum intonat*... ad insinuandum, talia Spiritum sanctum in Christi discipulis efficere opera et prædicationis eloquia,

Psalm. 18. quæ per totum mundum audiantur : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*... — O dilecte mi, sonet vox tuæ inspirationis in auribus meis, ut per illam opera faciam, quæ omnia corda ad glorificandum te moveant...

De adventu Spiritus sancti. Domus repleta, ignis.

Pr. 1. Spectare discipulos in cœnaculo, oculis sursum elevatis, dum spiritu repletur domus et apparent ignitæ linguæ.

Pr. 2. Ut considerando Spiritus sancti dona, novo desiderio ea concupiscam.

I. Quomodo repleatur cœlesti flamine tota domus. II. Quomodo appareant ignitæ linguæ.

I P. REPLETA DOMUS. — *Et replevit* spiritus vehemens, *totam domum ubi erant sedentes*... Hic significatur, primo, in lege gratiæ dari Spiritum sanctum abundantissime, ad omne genus operum, exercitiorum et ministeriorum, atque ad omnes status et officia quæ in Ecclesia existunt... eumque dari cum omni genere gratiarum, idque omni generi hominum... Ideo dixit Isaias : *Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes eam*... — Gratias tibi, dulcissime Redemptor, qui virtute sanguinis tui tam copiose effuderis Spiritum tuum super omnes, qui fructum passionis tuæ percipere vellent. Art. 2. Isaï. 11.

Replevit *totam domum* .. neque aulam, nec conclave, nec angulum relinquens, quem non penetraret : ut intelligamus, Spiritum sanctum, quod in se est, omnibus cujuscumque regionis hominibus dari...

Replevit *domum*... Quando Spiritus sanctus in aliquem Christi discipulum bene præparatum ingreditur, totam ejus domum... facultates videlicet animæ, sensus ac vires corporis ita pervadit, sanctificat et fecundat, ut omnes istæ vires actus producant sanctos ac salutares...

Veni, sancte Spiritus, et ita totam meam substantiam imple ac sanctifica, ut omnia *mea opera sint plena coram te Deo meo*, et nihil in eis sit vacuum, nihil quod tibi displiceat... Apoc. 3.

Dicitur impleta domus *ubi erant sedentes :* quo insinuatur, si velim ut Spiritus sanctus impleat domum cordis mei, non debere me in res exteriores effundere ; sed in recollectione et quiete sancta manere... — Da mihi, Domine, recollectionem et pacem, qua fiat anima mea gratum Spiritui sancto habitaculum.

II P. IGNITÆ LINGUÆ. — *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum*... Cur Spiritus sanctus datus in forma ignis visibilis ? Quia semper eas formas externas accepit, quæ effectus ejus internos referrent. In Baptismo Christi apparuit in forma columbæ, ad significandum innocentiam et fecunditatem bonorum operum... in transfiguratione, tanquam nubes

lucida, ad significandam pluviam doctrinæ quam tradit, et protectionem qua electos suos tuetur ; in cœnaculo, die resurrectionis datus est tanquam aspiratio, ad significandam spiritualem vitam, quam per sacramenta communicat...

Hodie autem apparet in forma ignis : ad significandum quod, sicut ignis *purificat*, *illuminat*, *accendit*, *et in altum ascendit*... habetque vim *uniendi*, estque suiipsius *communicativus*, *transformans in se* quidquid ipsi conjungitur... ita Spiritus sanctus animam mundat a scoriis vitiorum ac defectuum ; illuminat intellectum, eumque certiorem reddit de mysteriis fidei, quam si corporeis oculis illa videret ; accendit voluntatem ardore charitatis ; elevat cor ad cœlestia ; animas cum se ipso unit unione perfecti amoris, facitque ut sint unus spiritus cum ipso...

O divine Spiritus, ignis cœlestis, consume in me quidquid tibi displicet, meque in te perfecte transforma...

Cur ignis ipse figuram potius exhibuit linguarum quam cordium ? Quia Spiritus non dabatur apostolis ut ipsi soli amore divino arderent ; sed ut suis linguis charitate animatis Christum prædicantes, alios lumine veritatis illustrarent et flammis charitatis accenderent : Christo implente per eos quod dixerat : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?*

Luc. 12.

Venit Spiritus sanctus in nos spiritualiter in lingua ignea, cum nobis affectum devotionis ardentis communicat, qua anima cum Deo loquitur colloquiis amorosis...

Dispertitæ linguæ... id est inter omnes distributæ : quia *divisiones gratiarum sunt*, *idem autem Spiritus*... Gaudebo et gratias agam divino Spiritui ob omnigena dona, quæ variis Ecclesiæ membris distribuit, quæque cuncta in bonum totius corporis vergunt... non secus ac visio oculi et actio manus toti corpori prosunt omnibusque membris.

Sedit supra singulos eorum... Dicitur *sedisse*, ut intelligamus Spiritum sanctum nobis dari permanenter, et in nobis manere... nec unquam discedere, nisi coactum vita nostra sensuali et carnali : *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est... nec habitabit in corpore subdito peccatis*...

Gen. 5. Sap. 1.

O divine Spiritus, adjuva, quæso, infirmitatem meam, ut

dignum ac purum tibi præparem in corde meo habitaculum ; nec quidquam admittam, quod carnalibus inquinamentis mansionem tibi intolerabilem reddat...

§ 8

De adventu Spiritus sancti. Mirabiles effectus.

Pr. 1. Spectare discipulos Spiritu sancto repletos, divino amore ac cœlesti gaudio exultantes, et loquentes novis linguis magnalia Dei.

Pr. 2. Ut considerando mirabiles Spiritus sancti operationes, ardenti desiderio eum ad me appellem.

I. Quomodo discipuli Spiritu sancto repleantur. II. Quomodo loquantur variis linguis.

I P. REPLETI SUNT SPIRITU SANCTO. — Licet diversæ dignitatis et diversi meriti essent discipuli, *omnes* tamen Spiritus sanctus suis donis replevit : in memoria, intellectu, voluntate et corde... omnibus insculpens legem charitatis... Et quidem in momento eos sanctificavit : ex timidis audaces, ex imbecillibus fortes, ex ignaris sapientes, ex invidis charitate ferventes, ex ambitiosis humiles, et ex imperfectis faciendo in omni perfectione præstantes... O admirabilis *mutatio dexteræ Excelsi*... Psalm. 76.

Quod autem unico hic momento facit Spiritus sanctus, idem, etsi gradatim, efficit in cordibus omnium nostrum... et quam sanctitatem hodie dat discipulis per modum incendii... per modum arboris suis fructibus onustæ... hanc nobis dare solet per modum scintillæ fovendæ, aut seminis excolendi, nostrumque concursum requirentis... — O bone Jesu ! hanc mitte in me Spiritus sancti virtutem, quæ me quam celerrime in alium virum convertat... in virum secundum cor tuum, qui impleat omnes voluntates tuas...

Licet autem discipuli omnes repleti fuerint Spiritu sancto, alii tamen aliis plura dona receperunt... unusquisque secundum suam dispositionem, seu vasis sui capacitatem... — Sic B. Maria, Mater Jesu, plus profecto accepit gratiæ lætitiæque spiritualis, quam reliqui omnes simul...

Omnes tamen Deum glorificabant ob singulare illud beneficium, juxta promissionem Jesu, in omnes collatum... Sed et ego gaudio exultabo... congratulabor B. Virgini, sanctisque apostolis de tot acceptis donis....

Hinc etiam ingens concipiam desiderium præparandi me ad accipiendum Spiritum sanctum, quo maximo potero fervore... Præparatio autem hæc quatuor potissimum peragitur virtutibus : quarum prima est puritas conscientiæ... secunda, humilitas cordis... tertia, fiducia in Deum, qua dilatantur animæ sinus ad mensuram meritorum Christi... et divinæ bonitatis... — quarta, fervor et perseverantia in orando...

O Deus, da mihi per has virtutes ita animam meam disponere, ut dona tua quam plenissime recipere possim.

Demum perpendendum, ita fuisse repletos discipulos, ut quisque tantum reciperet, quantum ad suum munus perfecte obeundum opus esset... Et mihi gratiam dabit Dominus, idque vi Ordinationis meæ, ad omnes muneris quod mihi commisit partes digne adimplendas...

Concede mihi, Domine, hanc semper gratiam omnimoda fiducia exspectare et postulare.

II P. LOQUUNTUR LINGUIS. — *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*... Datur apostolis speciale donum linguarum, non in proprium ipsorum commodum, sed in gratiam aliorum : nimirum ad Evangelium omnibus gentibus prædicandum... Et sicut olim confusio linguarum fuit pœna superbiæ, ita nunc linguarum unio datur humilibus... qua possint diversos populos in Christum coadunare, ut omnis lingua Jesum Christum confiteatur... — O dulcissime Jesu, da mihi verum spiritum humilitatis, et charitate tua perfice linguam meam, ut ad uniendas in te animas cooperari possim...

Art. 2. Utuntur autem apostoli dono linguarum, non temere, sed juxta Spiritus sancti instinctum : *Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*... Da mihi quoque, Domine, loqui perfecte, et secundum Spiritus sancti inspirationem... nimirum, intentione pura ad gloriam Dei... cum affectu charitatis... in præsentia Dei, et de Christo, rebusque ad ipsum pertinentibus...

O Spiritus sancte, veni, et dirige, quæso, non tantum loquelam meam externam, sed et linguam internam animæ meæ... ut loquar cum Deo meo *in hymnis et canticis spiritualibus... gratias agens semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri...* Perfice, quæso, vocem meam internam *ut sonet in auribus tuis dulcis et jucunda.* Amen. Ephes. 5. Coloss. 3. Cant. 2.

De amore spirituali. Excellentia, incitamenta.

Pr. 1. Spectare mente sanctum Franciscum seraphicum, divino amore inflammatum, et exclamantem : *Deus meus et omnia.*

Pr. 2. Ut Dei amabilitatem contemplando, in ejus amore proficiam.

I. Excellentia divini amoris. II. Amandi Dei incitamenta.

I P. EXCELLENTIA. — Charitas, seu amor Dei, qui etiam amorem proximi includit, maxima virtus est ac regina virtutum... bonorumque omnium et cœlestium donorum complexus : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa...* Sap. 7.

Quapropter S. Ignatius sic consueverat orare : *Accipe, Domine, quæcumque habeo : tibi offero universa, unumque dumtaxat peto : amorem tui solum cum gratia mihi concede, et sufficit...* Lib. Exercit.

Quo igitur tendere debet omnis oratio, operatio atque conatus meus? Quisve terminus omnis desiderii animæ meæ? Nonne ut charitas Dei quam abundantissima in corde meo diffundatur?... ut sim *radicatus et fundatus in charitate,* quæ plenitudo legis est ac vinculum perfectionis... et sine qua nihil sum, nivil valeo... Ephes. 3.

Amorem Dei si habuero, verum Christi spiritum possidebo... Dei jugum suave esse experiar... inchoatam beatitudinem in hac vita inveniam et velut paradisum in terra...

Est autem charitas divinitus infusa virtus, qua Deum

tanquam summum bonum, summamque amabilitatem mente consideramus et cordis affectu complectimur... Affectus autem ille essentialiter est efficax, consistitque magis in operibus Deo placentibus, quam in sensu cordis vel verbis...

Etsi donum est Dei, potest tamen ac debet charitas a nobis foveri et excitari per contemplationem amabilitatis Dei Creatoris ac Patris nostri. Talem namque ac tantam amabilitatem si vel tenuissime cognoverimus, amabimus vehementer... Cor scilicet nostrum sua sponte in amandum fertur : et quidquid bonum ac pulchrum apparet nobis, id naturaliter amamus ; quomodo ergo Dei amabilitatem intueri possimus, quin eum toto pectore diligamus ?...

O divina charitas ! te concupisco, te quæro, te quovis pretio comparare volo... Tu enim es pretiosa illa margarita, propter quam vendenda sunt omnia et sacrificanda... *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam...*

Cantic. 8.

Domine Jesu, aperi quæso Cor tuum amantissimum, et pauperculo mihi scintillam da tuæ immensæ charitatis...

II P. INCITAMENTA CHARITATIS. — 1° Ad amandum Deum nos provocat imprimis ineffabilis beneficentia ejus ; seu Dei amabilitas effulgens in ejus donis...

Nonne benefactorem amabilem reddit beneficentia ? Si quis enim dederit tibi potum sitienti, fortunam inopi... nonne hunc benefactorem amabis ?... At quis, o anima mea, tibi beneficus sicut Dominus Deus tuus ? *Quid* enim *habes quod non accepisti ?...* Quidquid possides in ordine naturæ vel gratiæ... nonne de manu, de corde ejus descendit ?

I Cor. 4.

In ordine naturæ : cœlum et terra cum omnibus creaturis, tanquam habitaculum tibi adornatum... existentia et vita tua... corpus cum sensibus... spiritualis ac immortalis substantia tua cum facultatibus... externa tua bona : domus in qua habitas, panis, vestimenta quibus uteris... fortuna, honores, potentia omnis... nonne totidem sunt dona Dei ?...

In ordine gratiæ : destinavit te Creator ad beatitudinem æternam in cœlis... redemit te per Filii sui sanguinem... sanctificavit te per seriem gratiarum, interne et externe adjuvantium... quæ spectabiles apparent in nativitate tua

ex parentibus catholicis, in baptismo, in educatione bona... in sacramentis tibi collatis... in vocatione ad sacerdotium... in sanctis exhortationibus et exemplis... totidem utique donis quæ a Patre tuo cœlesti accepisti...

O anima mea, si vel millesimam partem horum beneficiorum tibi contulisset homo mortalis, quam ardenter hunc redamares !... Nunc ergo agnosce verum amicum tuum, qui *in charitate perpetua dilexit te... qui coronat te in misericordia et miserationibus...* Jerem. 31. Psalm. 102.

Quomodo tam amantem Patrem redamabis ?... Emitte Domine, Spiritum tuum, ut cor meum tui amore inflammet...

2° Alterum amoris divini incitamentum est præsentia Dei. Amicus enim vult esse cum amico, ejusque præsentia delectatur : quare vicissim assiduitate sua, tanquam amoris indicio, amabilis efficitur illi quem diligit...

Jam vero, Dominus noster ubique nobis præsens est summo cum amore... omni tempore... omni in loco... peculiariter tamen in templo suo... in templo videlicet vivo animæ nostræ, et in templo lapideo ædium sacrarum... Hoc enim est *Tabernaculum Dei cum hominibus*, ubi Filius Dei incarnatus, in humanitate sua nobiscum habitare delectatur... Apoc. 21.

O amabilissime Salvator, qui præ amore te a nobis sejungere non potes, quis mihi dabit cor amore tui inflammatum ? O Beatissima Virgo, *Mater pulchræ dilectionis*, igne cordis tui me succende, ut digne Filium tuum valeam amare... Eccli. 24.

De amore spirituali. Opera Dei, perfectiones.

Pr. 1. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !* Psalm. VIII.

Pr. 2. Ut amabilitatem Dei contemplando magis magisque amore ejus inardescam.

I. Amabilitas Dei spectata in operibus ejus ; II. spectata in perfectionibus essentiæ ejus.

I P. OPERA DEI. — Amicus libenter pro amico laborat,

suisque obsequiis amans amato amabilior apparet, et efficacissima subjicit amoris incentiva. Nonne autem hanc operationis amabilitatem Dominus eminentissime exhibet?..

Quæcumque enim fiunt in mundo, tum in ordine naturæ, physico vel morali... tum in ordine gratiæ, omnia a Domino fiunt et diriguntur.

Nonne ipse est qui naturæ cursum movet universum? Vides, anima mea, crescere plantas, et moveri faciem cœli... nonne sub externa specie cernis absconditam manum ejus?.. Vides moveri homines et nationes : aguntur suis passionibus libere, vel patiuntur eventus inviti ; at nonne simul intelligis eos esse sub manu Dei?... Agitantur populi sicut
Sap. 8. equi indomiti ; sed Dominus ducit eos, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* in universa hominum societate... sive civili sive ecclesiastica... Nec quidquam in ea sine Deo... nunc volente efficaciter, nunc suadente, sæpe etiam simpliciter permittente vel tolerante evenit...

Supremus quippe Moderator totius mundi machinam ita dirigit, ut nulla sine ipso vel minima rotula moveatur...
Tim. 2. Cuncta scilicet disponit et ordinat *propter electos*... propter Ecclesiam ac gloriam suam... Hæc enim ratio Providentiæ et explicatio ænigmatis hujus mundi...

Nec solum societatem hominum publicam, sed et singulas familias, imo unumquemque hominem paterna Dei complectitur providentia. Omnia quæ occurrunt in via vitæ, disponuntur nobis a Domino... et quidem ad salutem, sive
Rom. 8. bona, sive mala videantur... *Diligentibus namque Deum omnia cooperantur in bonum.*

O Domine Deus, vere *admirabile* et amabile *nomen tuum in universa terra!*...

Luc. 1. Quid si respiciamus ordinem gratiæ? Nonne Deus, auctor gratiæ, *fecit potentiam in brachio suo*, mittens Unigenitum suum in mundum, *ut salvetur mundus per ipsum?*...
Joan. 3.

Hic autem Filius Dei quid fecit... quidve pertulit pro nobis in corpore suo reali?...

Quid facit et patitur porro in corpore suo mystico, quod est Ecclesia?... Nonne operatur in Ecclesia sua omnigenos flores virtutum?... Virtutes enim sancta sunt germina et bonus odor Christi... — Nonne patitur omnes Ecclesiæ

vicissitudines, sentitque dolores et gaudia ejus, unitus intima charitate cum ea sicut caput cum membris? *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus...*

Quis tantum amorem non redamet? Quis Dominum tam amabilem non diligat in Ecclesia, in membris suis... flendo cum flentibus, gaudendo cum gaudentibus... laborando, impendendo se penitus pro Sponsa illa Christi charissima, *quam acquisivit sanguine suo?...* Act. 20.

II P. PERFECTIONES DIVINÆ. — Quod si tam amabilis Deus in operibus suis, quid, si ipsum in specie sua videamus et in pulchritudine naturæ suæ? At nondum advenit dies illa beata... et quamdiu in his infimis demoramur, non nisi *per speculum et in ænigmate* eum possumus I Cor. 13. contemplari....

Scilicet in creaturis, tanquam in speculo, relucet imago... mera quidem imago, sed suavis ac pulcherrima perfectionum ejus.

Quidquid enim in creatis rebus pulchri, boni et sancti cernitur... id omne a Deo, tanquam rivulus a fonte, tanquam radius a sole descendit...

Aspice, anima mea, magnitudinem cœli, splendorem stellarum, altitudinem montium, majestatem maris ac fluctuum, ubertatem camporum... nonne hæc loquntur majestatem, gloriam, bonitatem Creatoris?... Aspice homines et artificia manuum eorum... principes et potentiam eorum... Ecclesiam, hierarchiam, ornatumque ejus varietate mirabilem... præsertim ornamenta ejus viva, id est, virtutum gemmas, quæ effulgent in Sanctis, patientiam, pietatem, charitatem.... nonne hæc totidem sunt radii æterni Solis justitiæ?...

Si quid igitur in mundo, in cœlo aut in terra, in hominibus, in memetipso reperio quod bonum sit aut pulchrum, quod velut aurum in pulvere effulgeat atque scintillet... sciam, illud omne a Deo descendere, imaginem ejus adumbrare, atque enarrare ineffabilem pulchritudinem et amabilitatem ejus... — Imo mundus universus enarrat gloriam Dei; estque veluti speculum in quo cernitur, liber in quo legitur, hymnus quo canitur gloria et amabilitas Domini Dei nostri...

Utinam exemplo sanctorum, ita Deum in creaturis omnibus videam, agnoscam et amem sub velamine fidei... ut eum mox revelata facie contemplari merear in cœlo!...

O Jesu, fons amoris, ad Cor tuum confugio, ut inflammes me igne divino, quem attulisti in terram et vis vehementer accendi...

De notione Dei.

Pr. 1. *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël : Qui est, misit me ad vos.* Exod. IV, 14.

Pr. 2. Ut crescam salutari cognitione Dei, simulque reverentia et amore erga divinam Majestatem.

I. Quid Deus in se? II. Quid respectu creaturarum? III. Quid Deo a creaturis debetur?

I P. DEUS IN SE. — Etsi Deus ineffabilis est... nec enuntiari perfecte, nec cogitatione comprehendi ab intellectu creato potest... oportet tamen de Dei conceptu juxta fidei documenta agere, ut per hujusmodi meditationes ac verba quamvis imperfecta, mens ad melius Deum cognoscendum elevetur... Tu, quæso, Deus meus, Spiritus sancti lumine me adjuva, ut quippiam saltem de altissima tua majestate percipiam...

Quid igitur Deus? Primum rerum principium est et causa eorum quæ existunt... Aspice, anima mea, mundum qui te circumdat : hoc totum opus Dei est, sicut ædificium architecti... At, secus ac homo, totam hanc fabricam Deus ipsemet fecit per se, eamdemque in esse permanenter conservat... Aperi oculum mentis, et in omni creatura vide absconditam Dei manum qua sustentatur...

Quid Deus? Primum principium et fons omnium entium quæ existunt, vel quæ existere possunt!... O altitudo, o abyssus fecunditatis!...

Quid Deus? Ens a se ipso, et in se subsistens, nec ab alio exortum vel sustentatum... habens in se fontem suæ vitæ totiusque suæ entitatis... Vocatur ille *qui est*, cujus

essentia *esse* et *existere*... Reliqua cuncta non a se existunt, nec in se subsistunt, sed ab ipso sustentata...

Quid Deus ? Ille *qui est*, nempe qui plene, universaliter, est, et non tantum *ex parte*, sicut creaturæ... Homo, verbi gratia, habet esse humanum, non aliud ; Deus autem in suo *esse* summe personali et simplicissimo, comprehendit esse omne, esse totale, esse infinitum...

Quid Deus ? Ens simpliciter infinitum, continens totam plenitudinem entitatis, sive formaliter : ut sapientiam, similesque perfectiones ; sive eminenter, in aliis nempe melioribus ; sive virtualiter, ut creaturas quaslibet quas producere potest... Divina essentia spectari potest, ut S. Gregorius Nazianzenus loquitur, tanquam immensum quoddam entitatis pelagus, in quo sunt mundi innumeri, creaturæ omnigenæ, aliæ aliis perfectiores, quas potest ad existentiam vocare...

Quid Deus ? Spiritus est, infinitus, immensus, æternus, omnem excellentiam, magnitudinem, pulchritudinem creatam infinite transcendens... ita ut quæcumque mirabilia humana mente cogitentur, Dei vix imago quædam aut umbra censeri possint...

O Domine Deus ! vere magnus es tu et laudabilis nimis, et magnitudinis tuæ non est finis !... Venite, creaturæ omnes, adoremus Deum nostrum et procidamus ante faciem ejus... Quoniam ipse fecit nos et non ipsi nos... *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*... Rom. 11.

II P. DEUS RESPECTU CREATURARUM. — Spectatus erga res a divinitate sua distinctas, Deus rerum omnium Creator est... et hominis excellentiore quodam modo Pater : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te ?*... Deut. 32.

Mundi quem creavit est simul providus conservator... summus ac sapientissimus moderator, rex ac dominus... hominum præsertim auxiliator ac benefactor misericors... judex ac vindex justissimus... summum bonum ac finis ultimus...

O Deus meus et omnia ! Quis non timeat te... quis non amet te... quis non serviat tibi !...

III P. CREATURARUM RELATIO ERGA DEUM. — Creaturæ omnes, quantum sunt capaces, Deo debent laudem et obsequium supremum...

In particulari autem, nos homines Deo debemus, ut supremæ Majestati, reverentiam et laudem... ut Domino, obedientiam ac famulatum... ut Judici ac vindici iniquitatis, timorem... ut benefactori, gratitudinem... ut Patri, honorem
Malach. 1. et amorem... *Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum...*

Da mihi, Domine Deus, majestatem tuam ac bonitatem infinitam semper præ oculis habere, ut in timore tuo pariter et amore perpetuo perseverem.

De existentia Dei.

Pr. 1. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hebr. XI, 6.

Pr. 2. Ut fides mea de Deo corroboretur, et clare videam Deum in creaturis manifestatum.

I. Existentia Dei spectata in fide ; II. spectata in natura rerum ; III. spectata in sua ratione.

I P. IN FIDE. — Omnium veritatum fidei fundamentum est dogma existentiæ Dei. Quapropter in initio symboli hanc veritatem profitemur : *Credo in unum Deum...* in Deum scilicet personalem, verum ac vivum, qui cœlum terramque creavit, qui mundum gubernat, qui rerum omnium principium existit et finis... — Credo, o Deus Creator omnipotens ! adoro tuam immensam majestatem... Adauge, quæso, fidem meam et omnium in te credentium.

Fides hæc, sine qua impossibile est placere Deo ac salvum fieri, ab initio generis nostri protoparentibus data et in filios eorum propagata est... At postmodum in multis populis obscurata, imo deperdita, lamentabili idololatriæ
Act. 14. locum cessit... Occulto judicio *dimisit* Deus *omnes gentes ingredi vias suas...* Ego autem inter fideles natus, et lumine fidei ab infantia collustratus, te Deum, Creatorem ac Patrem cognovi, præ tot aliis qui ignorantiæ tenebris

obvoluti manent... Quantam tibi, Deus benignissime, pro dono fidei debeo gratitudinem !... quam parum tamen gratitudinis rependi !... Nonne ad me quoque pertinet illud Apostoli : *Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt ?...* Rom. 1.

II P. IN RERUM NATURA.—Respectu infidelium, *Deus non sine testimonio semetipsum reliquit : benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra...* Scilicet Deum esse, mundi auctorem, universa natura testatur : cœlum cum stellis, terra cum animantibus et metallis, nonne proclamant : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos ?...* Fac, Domine, ut mirabilem hujus mundi fabricam contemplans, ad te, architecte divine, provisor summe, mente ascendam... Da mihi audire vocem creaturarum, nomen tuum et laudem prædicantium : *Cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat armamentum ; dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam* et sapientiam Dei... Et quemadmodum, ubi picturæ alteriusve artis mirabile opus inspicio, artificem videre cupio qui fecit illud ; ita, quæso, fac ut, spectando opera manuum tuarum in mundo, te clarius videndi desiderio exardescam.... nec non amore tui et zelo serviendi tibi inflammer... Act. 14. Psalm. 99. Psalm. 18.

Da mihi ut, creaturarum lingua excitatus ad te laudandum, vicissim, per Ecclesiæ canticum, creaturas provocem ad benedicendum tibi, et dicam ex animo : *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula...* Dan. 8.

O anima mea, aperi oculos et vide Deum, in medio creaturarum habitantem, velut in templo suo : *O civitas, et habitatio Sion, exulta et lauda : quia magnus in medio tui Sanctus Israël....* Isaï. 12.

Tu ipse, Domine, oculos meos illumina, ut in aspectu rerum visibilium intuear te, Deum invisibilem, qui es super omnia, et cui sit gloria in æternum.

III P. IN SUA RATIONE. — Deus, causa prima et opifex mundi, existit supra mundum, ut architectus supra ædificium elevatus... at vero, ipse Deus a quonam existentiam habet aut originem ducit ?... O Domine Deus, tu non ab alio, sed a te ipso es... in te et in essentia tua possidens

rationem, principium ac fontem actualissimæ entitatis
Psalm. 89. tuæ !... Tu es enim *ille qui est* a semetipso... *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis ; a sæculo et usque in sæculum tu es Deus...* O abyssus inscrutabilis originis tuæ ! Hæc sunt profunda Dei, quæ solus
1 Cor. 2. scrutatur Spiritus Dei : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei...* Id solum dicere possumus *quoniam*
Psalm. 35. *apud te est fons vitæ...*

O ineffabilis majestas ! o Deus æterne ! qui lucem inhabitas inaccessibilem, mysteria essentiæ tuæ non penetrare debeo sed adorare... Quare procido ante faciem tuam
1 Tim. 1. et adoro te, *o Rex sæculorum immortalis et invisibilis : tibi soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

De existentia Dei. Manifestatio.

Pr. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Gen. 1, 27.

P. 2. Ut oculo intento Deum in me et in omnibus quæ circa me occurrunt, agnoscam et adorem.

I. Dei existentia manifestata in homine, II. manifestata in rerum perturbationibus.

I P. IN HOMINE. — Nonne attente consideranti in ipso homine, qui velut mundus abbreviatus est, Dei existentia manifeste effulget?... Lumen rationis, quo verum et bonum percipimus, nonne participatio est intellectus Dei et quasi
Psalm. 4. radius faciei ejus ? *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine...* — Inclinatio ad bonum et justum, quod etiam me invito natura mea rationalis approbat, nonne similiter participatio justitiæ Dei, qui fons est omnis justitiæ rectitudinis ac bonitatis ?...

Deinde in me reperio potentias animæ varias ac mire inter se compositas... quibus subserviunt organa sensuum externorum ; — in corpore autem, miram compaginem ossium, texturam nervorum, multitudinem venarum, arteriorum, quæ mirabili ordine inter se connexa sunt... varia-

que membra ad omnes usus tam sapienter comparata... Nonne hæc omnia dicunt : *Domine quis similis tibi ?* Psalm. 34.

O Deus infinite, tota mea substantia, omnes sensus mei, omnia membra, ungues manuum et capilli capitis mei testantur quod tu sis Deus, qui solus illis esse quod habent dare potuisti... Utinam omnes homines considerent se omniaque sua esse opus manuum tuarum, ut te sui plasmatorem laudent ac glorificent indesinenter !...

Et spiritus qui in nobis est, animans ac sustinens illud corpus,quocum arcana et substantiali unione cohæret ; qui manens in nobis,extra nos mirabili quodam modo universum mundum perambulat, cogitatione universalitatem rerum complectens... qui artium operumque varietatem stupendam ac prope infinitam producit... nonne clamat, se imaginem esse Spiritus illius summi, immensi, cujus sapientia est infinita et potentia creatrix inexhausta ?... Proclamat utique existere Deum, spiritum invisibilem et immortalem... a quo omnes reliqui spiritus procedunt suumque ingenium, artes, scientias et industrias omnes accipiunt...

O Deus immensæ majestatis ! si in homine, humili creatura, spiritus tam nobilis vivit, quanta censenda excellentia tua, Spiritus supreme, per quem omnes vivimus, movemur et sumus !... Et quoniam a bonitate tua recipio esse ac vivere, da mihi te perfecte amare, o Deus meus et omnia !

II P. IN PERTURBATIONIBUS. — Non solum rerum perfectiones, ordo atque harmonia ; sed ipsæ perturbationes naturæ et calamitates, quæ mala vocamus physica vel moralia... procellæ et tonitrua, inundationes et incendia, pestes et bella... clamant quoque esse Deum, qui hæc permittit et compescit, ut appareat *quia venti ac mare obediunt ei*... Non enim ulla perturbatione fundamentalis mundi œconomia destruitur : *Quis conclusit ostiis mare?*... Job. 38. *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia ; et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*... Nonne similiter moderatur Deus fluctus populorum bello armisque colluctantium ?... Matth. 8.

Ipsa peccata et iniquitates, quibus creaturæ adversus Creatorem, Redemptorem atque Ecclesiam ejus frustra in-

surgunt... quæque in terra nequaquam pro merito puniuntur, nonne prædicant Deum, in ordine quoque morali omnipotentem... quique suo tempore scelera castigare et præmium virtutibus reddere pro sua justitia debet?...

Circumspice, anima mea, res omnes prosperas et adversas, inter quas te sancte incedere oportet, *pugnando per arma justitiæ a dextris et a sinistris ;* et cum ex te non possis, intellige adesse Deum qui, impossibilia non jubens, paratus est auxilia præstare recto corde petentibus...

II Cor. 6.

Da mihi, Domine Deus, te in his omnibus agnoscere ac laudare... et ita te semper tuamque justitiam quærere, ut omnia, secundum consilia providentiæ tuæ, cooperentur in bonum... in salutem meam et gloriam tuam.

De æternitate Dei.

Pr. 1. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis : a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.* Psalm. 89.

Pr. 2. Ut aliquatenus Dei æternitatem intelligam, et hinc proficiam in amore divino.

Deus æternus est quia I. existit sine initio, II. sine fine, III. sine successione.

De div. nominib.

I P. SINE INITIO. — Concipe retro, dicit Lessius, tot myriades sæculorum... sæculum unum intelligendo durationem centum annorum... tot, inquam, cogita myriades sæculorum, quot sunt arenæ in omnibus littoribus, quot guttæ in omnibus aquis, quot folia in omnibus silvis, quot gramina in omnibus pratis... et huic incomprehensibili numero adde tot milliones sæculorum, quot pulvisculi forent necessarii ad implendum totum spatium in quo terra, sol omnesque stellæ moventur... adhuc Deus totum illud temporis incomprehensibile spatium, quod nobis videri possit instar cujusdam æternitatis, illud, inquam, Deus infinitis sæculis, et sæculorum infinitis millionibus antecessit...

His adde longe majora. Multiplicetur totus iste numerus

sæculorum intellectu angelico, ratione quadrata vel cubica semper ascendendo, quantum per mille annos iste actus repeti potest... adhuc infinito intervallo et innumeris sæculis Deus prior et antiquior deprehenditur... Idem dicendum etiamsi tot fiant cubicæ multiplicationes, ordine recto ascendendo, quot arenæ sunt necessariæ ad implendum totum universum... Nullus enim numerus annorum vel sæculorum tam ingens a mente creata retrorsum concipi potest, quin tandem desinat in certum terminum... et ante illum terminum supersint infinita sæcula, quibus Deus eumdem terminum antecesserit...

Ob hanc causam vocatur *Antiquus dierum*, apud quem creata quælibet, imo retro creabilia, nova et recentia intelliguntur... Dan. 7.

Quantumvis mente per sæcula ascendendo retrocedas, ubicumque ponas *principium*, invenies Deum sicut nunc existentem : *In principio erat Verbum... ex Patre natum ante omnia sæcula...*

O Deus æterne ! quid est mundus, quid sum ego in conspectu tuo, nisi umbra præteriens !...

II P. SINE FINE. — Simili modo concipienda Dei æternitas in futurum. Retroage mente quantum volueris in futura spatia terminum, finge tot milliones sæculorum quot modo assignavimus... exactis omnibus illis, integra restabit Dei æternitas : id est, remanebunt alii milliones sæculorum et quidem sine fine, quibus Deus cum omnibus sanctis suis regnabit, et damnati apud inferos torquebuntur...Nec potest a mente creata tanta multitudo sæculorum concipi, quin, illa exacta, et post illam, adhuc alia multitudo sæculorum infinita non sit subsecutura...

O Deus meus, fac ut intelligam quis ille sit *qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum*... quique dignus est accipere gloriam et honorem et benedictionem ab omni creatura, et nunc et in perpetuum.

III P. SINE SUCCESSIONE. — Deus dicitur æternus, non solum quia ante omne tempus conceptibile, infinitis sæculis extitit, et post omne tempus conceptibile, infinitis sæculis existet... verum etiam, quia omnia bona sua et gaudia in unum collecta habet et immutabiliter possidet... Nemo in hac vita potest oblectationes et gaudia, quibus toto vitæ

decursu fruitur successive, neque actus quos exercebit singulatim, simul habere collecta; at Deus omnia opera, quæ infinito tempore exercere, omniaque gaudia, quæ infinito tempore percipere de infinitis suis perfectionibus posset, simul et collectim per totam æternitatem uno actu complectitur... Si daretur lux corporalis intensive et extensive infinita, totaque perfectio ejus extensiva contraheretur in unum punctum; si deinde illa lux sic contracta, esset ubique tota perfecte existens : nempe si punctum illud, multiplicata præsentia, ubique locorum existeret : imaginem exhiberet Dei, ubique temporum totaliter existentis, seu, in sua æternitate immutabilis...

Omnia sua opera et consilia simul ab æterno concepit et retinet, unico nempe actu sapientiæ lucidissimæ et liberrimæ voluntatis, qui innumeris actibus successivis æquivaleat... Scilicet omnia quæ fiunt in tempore... et quæ non fiunt, fieri tamen possunt, in sua luce infinita tam perfecte consideravit et ponderavit, ac si infinito tempore de singulis deliberasset et consultasset... Unde facile illi fuit de omnibus et singulis statuere semel et simul, quæ infinito post tempore facienda vel permittenda erant.

Hinc patet in Deo non dari proprie nec præteritum nec futurum, sed immutabile præsens... quæque creaturis præterita vel futura sunt, oculis ejus eadem claritate lucere ac præsentia...

Hic gaudebo de æterna stabilitate Dei mei, eamque laudabo, cum Ecclesia cantans : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto : sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*

De æternitate Dei, ut communicabili.

Pr. 1. *Ego vitam æternam do eis.* Joan. x, 28.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo immortalitas mihi offeratur in Deo, et quomodo eam consequi debeam.

I. Deus solus æternus; II. immortalitatem tamen creaturis communicat.

I P. SOLUS ÆTERNUS. — Æternitas soli Deo competit,

quia ipsi soli existentia essentialis est, ita ut solus habeat ex natura sua esse indeficiens... *Qui solus,* inquit Apostolus, *habet immortalitatem*, scilicet ex se et essentialiter... 1 Tim. 6.

Cætera omnia quæ in mundo existunt, deficerent et evanescerent, nisi Deus indesinenter eis esse daret et conservaret...

Omnes creaturæ de se caducæ sunt : non solum terrestres quas omnes videmus marcescere sicut herbam, veterascere sicut vestimentum... sed etiam cœlestes, ut testatur Apostolus : *Opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt : tu autem permanebis ; et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*... Totus scilicet mundus corporeus, o Deus omnipotens, retrahente te sustentantem manum tuam, deficeret et in nihilum recideret unde exivit... Imo creaturæ spirituales esse desinerent, nisi perpetuum illis esse dares : sicut cessarent solis radii, si in sole retinerentur... Hebr. 1.

Huic veritati innititur profunda humilitas, quam in Dei conspectu habere debent creaturæ omnes, etiam angeli, et celsissima angelorum Regina... confitentes ac dicentes : Deo substrahente manum, ego converterer in nihilum... Si Deus est *ille qui est*, ego sum ille *qui non sum*, sed sustentor a Deo : *Substantia mea*, totum meum esse, *tanquam nihilum ante te*... Psalm. 38.

Hinc etiam Deus, præterquam quod infinite sit amabilis in se... amandus intelligitur tanquam auctor existentiæ, conservationis, omnisque spei meæ... eique gratiæ agendæ ut donatori omnis boni quod est in me...

Si autem me ipsum respexero, videbo me esse contemptibilem, eo quod nihil sim... nec posse me meis viribus inniti... nec, si quid boni in me, illud mihi arrogare...

O Deus æterne ! gaudeo de æternitate tua, et quod sis solus ille *qui es*... Clarifica oculos meos ut agnoscam illud *esse*, quod tu habes per tuam essentiam, et illud *non esse*, quod ego ex me ipso teneo... ut supra duplicem hanc cognitionem, tanquam supra duplicem polum firmum et immutabilem, moveatur rota vitæ meæ : donec perveniam

ad sempiternam vitam, ubi te videam et possideam, particeps factus æternitatis tuæ...

II. COMMUNICATIO IMMORTALITATIS. — Creaturas intellectuales immortalitate donat misericors Deus in cœlis... Omnes quidem angelos et homines utpote spirituales, interitu fecit immunes... ipsique dæmones et animæ damnatæ existere nunquam desinent in inferno : verum exis-
Apoc. 21. tentia illa potius mors est dicenda quam vita : *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda...*

At vero Filius Dei in mundum venit propter nos homines, ut nos ab illa æterna morte liberaret, et vita donaret vera,
Luc. 19. beata, immortali in cœlis... *Venit, Filius hominis, quæ-*
Joan. 11. *rere et salvum facere quod perierat... Ego sum resurrectio et vita... qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet...*

Quantas debeo divinæ misericordiæ gratias, pro oblata mihi hac immortalitate beata !... Ibi absterget Deus omnem
Apoc. 21. lacrymam ab oculis servorum suorum, *et mors ultra non erit*, neque nox, sed æterna Dei claritas illuminabit electos, divinæ gloriæ participes...

At quænam conditiones sunt ex mea parte implendæ, ut tantum bonum consequi merear ? *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata... Si vis perfectus esse,*
Matth. 19. *vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo... — Amen, amen dico vobis, si*
Joan. 8. *quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum...*

Hinc conditio requisita est observatio mandatorum Dei... et quo quis perfectius Domini sermonem servaverit, eo
Joan. 10. copiosius vitæ æternæ bonis fruetur : *Ego*, inquit, *veni ut vitam habeant et abundantius habeant...*

Gratias tibi ago, Domine, pro misericordia ista vere ineffabili... Fac me illud unum quærere in hoc mundo, ut tanto me bono dignum efficiam, et tecum vivere merear in perpetuas æternitates...

De ineffabilitate Dei.

Pr 1. *Omnia ossa mea*, totum meum esse, omnia quæ sunt in me, *dicent : Domine quis similis tibi ?* Psalm. 34.

Pr. 2. Ut magis magisque in Dei cognitione, reverentia et amore proficiam.

I. Quomodo Deus sit ineffabilis. II. Cur ineffabilis. III. Quousque creaturis manifestatus.

I P. QUOMODO INEFFABILIS. — Dicitur Deus ineffabilis, quia nullis verbis, nullis sermonibus exprimi potest prout in se ipso est... *Glorificantes Dominum*, inquit Sapiens, *quantumcumque potueritis ; supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus... Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude... Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis ; non enim comprehendetis... Quis videbit eum et enarrabit ? et quis magnificabit eum sicut est ab initio ?... Multa abscondita sunt majora his : pauca enim vidimus opera ejus...* Eccli. 43.

Ineffabilis Deus, quia non solum nullis verbis externis repræsentari potest ; sed etiam, quia nulla mens creata, absque lumine gloriæ potest illum, ut est in se, concipere ; ac proinde nec verbis internis illum sibi vel aliis repræsentare... Imo, neque a Beatis, qui lumine gloriæ illustrati eum vident, et mentibus suis repræsentant sicuti est... non adæquate verbo mentis repræsentari potest... sed a se ipso solum, in Verbo suo æterno...

Gaudeo, Deus meus,de tua ineffabili magnitudine et gloria !... quod tam magnus sis ut nullo sermone, nullo intellectu æquari possis... et quia major omni conceptu, omni laude ita, ut per totam æternitatem nova sit futura in te mirationis et laudis materia... *Lauda* itaque, *Sion, Salvatorem...Quantum potes tantum aude : quia major omni laude, nec laudare sufficis...*

II P. CUR INEFFABILIS. — Nobis hic in terris degentibus ineffabilis est Deus, quia prorsus diversus ab omnibus quæ videmus, cognoscimus ac nominamus... Sicut architectus

ædificio suo similis nequaquam est, ita nec Deus mundo, hominibus, angelis vel quibuslibet operibus manuum suarum... Quod si eodem nomine quo res creatæ vocatur pulcher, sapiens, sanctus : ejus tamen pulchritudo, sapientia, sanctitas, longe alia est ac illa quæ in creaturis effulget, quæque non est nisi umbra splendoris divini... Quidquid cogitet intellectus angelicus, secluso lumine gloriæ, non finget sibi Deum qualis est... quique apparebit semper instar nebulæ et caliginis, juxta illud : *Moyses accessit ad caliginem in qua erat Deus*... Quapropter et ab Apostolo dicitur Deus *solus potens... qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem ; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor et imperium sempiternum. Amen.*

Exod. 20. 1 Tim. 6.

O Deus invisibilis, quando te videbo, non *per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem ?*... O si te cognoscerem sicut a te cognitus sum, ut sicut me amas ita te amarem !...

1 Cor. 13.

Ineffabilis Deus etiam Beatis in cœlo, quia infinitus... Non enim intelligentia creata, adeoque finita, capere potest id quod est infinitum, fere sicut laguncula comprehendere nequit aquas oceani... Nullus itaque angelorum Dei esse Deique opera assequi valet...

Gaudeo, Deus meus, laudo ac benedico te, et gratias ago tibi propter magnam gloriam tuam !...

III P. QUOUSQUE MANIFESTATUS. — Dignatus est Deus aliquatenus magnitudinem suam ac mysteria manifestare iis creaturis, quas ad imaginem suam creatas, luminis sui fecit participes et cognitionis capaces... Hanc autem sui manifestationem operatus est in mundi creatione... dein clarius in prophetarum sermone...in persona atque doctrina Christi, qui, cum sit *unigenitus Filius in sinu Patris, ipse enarravit*... Hæ vero totidem manifestationes, utut mirabiles, fiunt sub velamine fidei ; at alia datur, qua major dari non potest, in lumine gloriæ... ubi revelata facie Beati gloriam Domini speculantur, essentiamque divinam intuentur sicuti est, et quidem totam etsi non totaliter...

Joan. 1.

Gratias tibi ago, immensa et misericors Majestas, quod mysteria tua et occulta sapientiæ tuæ nobis dignatus es

revelare... Credo ex toto corde mysteria tua... et spero me eo perventurum, ubi quæ nunc non videns credo, clara luce et æterna miratione videbo... Da mihi jam in hac vita illam assequi magnam mysteriorum intelligentiam, quam iis promittis qui puritati conscientiæ student : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt...* Matth. 5.

O Deus benignissime, reple animam meam *omni gaudio in credendo, ut abundem in spe et virtute Spiritus sancti*, ad cognoscendum et amandum te, nunc et in æternum... Rom. 15.

De unitate Dei.

Pr. 1 *Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes et in omnibus nobis.* Eph. IV, 6.

Pr. 2. Ut vivida fide agnoscam Deum meum, unum et omnia ; eum ex toto corde diligam, eique soli serviam.

I. Unus Deus mundi creator. II. Unus gubernator. III. Unus pater et finis omnium.

I P. UNUS DEUS. — Primo fidei articulo profitemur non esse nisi unicum Deum, unam scilicet essentiam ac naturam divinam subsistentem... *Credo in unum Deum*, unum Creatorem cœli et terræ, unum mundi universi Dominum, unum rerum principium et finem ultimum...

Credo, Deus meus, credo in te, solum Deum verum : adoro te... offero tibi obsequium totius substantiæ meæ, quam de manu tua accepi... Hinc miserebor infidelium, qui verum Deum ignorantes, multiplicant sibi deos falsos... quales quoque sunt sensu formali peccatores omnes, qui ventrem suum vel pecuniam, vel quamlibet passionem pro Deo accipiunt... Etenim quisque loco Dei ac finis ultimi illam habet creaturam, cujus amore Deum verum relinquit...

Deus noster unus est nobis omnia : in se continens plenitudinem bonorum et quæcumque desiderabilia cordis

nostri... ita ut nihil præter ipsum desiderandum vel amandum supersit... Ipsum itaque solum quære, anima mea, et ex toto corde dilige... Est enim summun et unicum bonum, dignum quod ametur summo amore, et absque ulla divisione cordis aut distractione ad alios amores, qui non sint ad ipsum ordinati...

O bonum infinitum, Deus meus, dignissimus omni amore : fac, quæso, ut affectus universos cordis mei in te solum conferam, creaturas dumtaxat tui intuitu diligendo... quia nulla res est quæ bona sit et amabilis nisi bonitate quam accipit a te.

II P. UNUS MUNDI GUBERNATOR. — Totius mundi supremus Moderator, omnium Rex ac Dominus, unus est...
Eph. 4. i Tim. 6. *Unus Dominus... solus potens, Rex regum et Dominus dominantium...* — Hinc unitas, ordo et harmonia in mundo. Ipse namque ordo cœlorum, elementorum, plantarum et animalium prædicat unum Deum, qui omnia secundum unum exemplar mira tamen varietate creavit,
Psalm. 118. et uno quasi imperio dirigit... *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo... Fundasti terram et permanet : ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.*

Hinc omnes homines huic Domino ac Regi suo obsequium debent... ab ipsoque solo auxilium exspectare, qui
Matth. 4. solus eos salvare potest... *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies...* — *Ego Deus,*
Isai. 45. inquit apud Isaiam, *et non est alius. Numquid non ego Dominus, et non est ultra deus absque me? Deus justus et salvans non est præter me...* Totam ergo meam curam ponere volo in serviendo huic Domino meo, eique soli obediam, nullique alteri superiori... nisi propter ipsum, quia videlicet ille in ejus loco est constitutus, et ipse vult ut suo vicario pream...

III P. UNUS PATER ET FINIS OMNIUM.—Deus enim creavit
Act. 17. hominem ad imaginem et similitudinem suam, *fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ...* Quapropter omnium Pater est, nosque omnes unius Patris filii... ad celsissimum finem destinati...

Idem enim Deus, qui Pater noster ac principium est,

ultimus quoque finis noster et beatitudo nostra, in cujus possessione omnium desideriorum cordis inveniemus expletionem... *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psalm. 6.

Hinc tenemur ad unam puram ac simplicem in nostris operibus intentionem, ut illam ad solum Deum tanquam ad ultimum finem dirigamus... solam ejus voluntatem, ejusque gloriam in omnibus nostris actionibus quærentes...

Hinc etiam ardens concipiam desiderium amandi omnes homines, iisque benefaciendi : siquidem omnes habemus unum Deum, Patrem ac finem ultimum... O Deus, infinite, unice, a quo procedimus omnes... concede nobis in te unum esse, mutuo nos diligentes, tanquam facturam unius ejusdemque Dei, tanquam famulos ejusdem Domini, filios ejusdem Patris... destinatos ad eumdem finem, te videlicet, unicum et summum bonum omnium, cui sit gloria in æternum...

De Deo trino.

Pr. 1. *Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu : laudemus et superexaltemus eum in sæcula.* Liturg.

Pr. 2. Ut fide vivida erga sanctam et individuam Trinitatem, simulque devotione et amore proficiam.

I. Mysterium trium in una deitate personarum. II. Earumdem ordo. III. Earum unio.

I P. MYSTERIUM. — Altissimum hoc de sua natura mysterium Deus dignatus est revelare, quo ita est unus in essentia ut simul sit trinus in personis, Pater, Filius et Spiritus sanctus... O Deus meus, sanctissima Trinitas ! ineffabile quod nobis de tua gloria revelasti mysterium, ex toto corde credo... captivans intellectum meum in obsequium verbi tui... Adoro, laudo et glorifico te, o beata, o sanctissima Trinitas !...

Licet assequi non possim quomodo ita sit... percipit tamen mea mens consentaneum esse, ut Deus, qui omne

bonum et perfectum in se complectitur, bono amicitiæ non careat, nec communicationis quæ est inter æquales et distinctas personas, eas præsertim quæ intimis relationibus conjunctæ sunt... Atqui tales sunt tres divinæ personæ: inter quas est amor infinitus, amicitia perfectissima, communicatio totius divinæ substantiæ... In qua communicatione et amicitia est infinitum gaudium, lætitia inenarrabilis, exultante unaquaque persona de proprio esse personali quod habet altera...

Hinc eliciam sensus admirationis et reverentiæ erga
Rom. 11. ineffabilem majestatem Dei unius et trini... *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!*... Si judicia tua sunt incomprehensibilia et viæ tuæ investigabiles, quanto magis investigabilis tua deitas!... Credo, Domine, credo ex toto corde : sed adauge mihi fidem, adauge amorem...

II P. PERSONARUM ORDO. — Arcanus prorsus ordo divinarum personarum aliquatenus per fidem innotescit. Æternus enim Pater, divinam suam essentiam contemplans claritate infinite majori quam ego me ipsum videam in speculo, imaginem sui generat immanentem in se et sub-
Hebr. 1. sistentem, Verbum scilicet seu Filium Dei : *Qui splendor Patris est et figura substantiæ ejus*... — Hunc Filium, a quo infinite amatur, Pater infinite amat : quo mutuo amore uterque simul unum producit impulsum divinæ suæ voluntatis tam perfectum, ut ad subsistentiam pertingat... Hic autem amor divinus,quasi spiratio subsistens, vocatur Spiritus sanctus... qui cum a Patre et Filio totam divinitatem accipiat, unus et idem est cum illis Deus... Et hoc totum in Deo opus peragitur ab æterno, seu inde a sua æternitate... Quæ vocatur operatio Dei ad intra, essentialis... et longe excellentior omnibus operibus externis, quæ tribus personis sunt communia.

Concipiam hic magnos affectus admirationis et gaudii, atque in laudes erumpam sanctissimæ Trinitatis...

III P. UNIO. — Tres divinæ personæ sicut sunt unus Deus, ita unum eumdemque habent sensum, unum velle, unum idemque posse et operari, nulla inter ipsas diversitate judicii, nulla voluntatum contrarietate aut operum oppositione.... Etsi personæ tres perfecte distinctæ, idem tamen sentiunt, idem volunt, idem extra se operantur, summa pace, summa concordia...

Hic intimum concipiam gaudium ob unitatem perfectam ac beatissimam, quam tres divinæ personæ habent inter se... simulque ardens desiderium, ut ejusdem particeps fiam et imitator... *Sicut tu Pater in me, et ego in te : ut et ipsi in nobis unum sint... ut sint unum sicut et nos unum sumus...* Studebo scilicet unire me Deo, tum intellectu per fidem, tum voluntate per conformitatem cum voluntate divina... unire me superioribus meis per obedientiam perfectam... Eamdem quoque unitionem procurare debeo cum meis proximis, in omnibus rebus quibus licite possum ita me aliis conformans, ut *idem sapiam et sentiam et eamdem charitatem habeam unanimis* cum illis...

Joan. 17.

Philipp. 2.

O Deus infinite, qui trinus in personis, unus es in essentia, da mihi ut sim unus tecum unione perfecti amoris... O Jesu, Fili Dei, per amorem Cordis tui, fac me unum tecum et cum omnibus fratribus meis... sicut tu unus es cum Patre tuo cœlesti et Spiritu sancto per infinita sæcula.

De infinitate Dei.

Pr. 1. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Psalm. 144.

Pr. 2. Ut abyssum infinitatis Dei intuendo, fide crescam, pietate et amore inflammer erga Deum meum et omnia.

I. Deus infinitus in essentia ; II. infinitus in perfectionibus ; III. infinitus in eminentia supra creaturas.

I P. IN ESSENTIA. — Excelsa quædam et probata Dei notio est, qua divinitas concipitur tanquam forma simplicissima, per se subsistens, infinitæ perfectionis, quæ *formaliter contineat* nec tantum fundamentaliter, *omnes perfectiones*, in sua summa elevatione, omnique remoto limite seu defectu, consideratas... ita ut Deus per illam formam sit formaliter infinite potens, infinite immensus,

infinite pulcher, infinite sapiens, infinite bonus, infinite sanctus... imo, sit formaliter ipsa potentia, immensitas, pulchritudo, sapientia, bonitas, sanctitas... substantialis et per se subsistens...

O Deus infinite, abyssus, thesaurus incomprehensibilis omnium bonorum !... quis te non adoret, quis te non amet !... Quis non gaudeat de esse tuo incomprehensibili ?... O quantum gaudeo de te, quod tu es et necessario es, Deus meus !...

Deus est absolute *infinitus*, ratione essentiæ, *in toto genere entis... tanquam causa fecunda*, in qua tota entis amplitudo eminenter existit; ac proinde,omne id quod intellectu angelico, vel etiam divino per modum entis concipi potest. Immensum quoddam est rerum pelagus, in quo virtualiter sunt mundi innumeri... ordines angelorum, gradibus infinitis in sublime ascendentes... nationes varietate ac multitudine innumerabiles...animalium, plantarum, metallorum ac saxorum genera diversissima... aurum, lapides pretiosi, margaritæ... colores, picturæ, symphoniæ, odoramenta, sapores... delectamenta quælibet ac spectacula semper nova, mirabilia, inexhausta... Adde regiones immensas, urbes, campos, hortos ac paradisos, montes ac silvas, fontes ac flumina mariaque infinita... Adde palatia ac templa, structuras et quæcumque opera magnitudine, pretio, artificio stupenda... quidquid demum intellectu infinito concipi potest, in Deo est, Dei oculis resplendet ut præsens, ut *suum*, atque ita, ut unius voluntatis nutu id possit in existentiam externam vocare...

O Deus infinite, thesaure omnis boni, principium omnis entis ! Quis te non adoret... non timeat... toto corde non amet !...

II P. IN PERFECTIONIBUS. — Sicut infinita est Dei essentia, ita perfectiones omnes, quas ei inesse concipimus, sunt in suo genere infinitæ : cum essentiæ infinitæ non congruant perfectiones nisi in gradu infinito... Itaque sapientia Dei, benignitas, sanctitas, charitas, pulchritudo, potentia, justitia, misericordia... quas in mundi creatione et redemptione aliquatenus manifestavit... in se spectatæ, tantæ sunt ut mens nostra nihil imaginari possit, quod cum iis ratione proportionis possit comparari...

Exempli gratia, in materia *sapientiæ*, suppono omnes

homines qui hactenus vixerunt, habuisse, et qui deinceps vivent, habituros sapientiam Salomonis... si hæc omnium sapientia simul sumpta tribuatur uni personæ, hujusmodi persona sapientissima, cum Sapientia divina comparata, minor foret quam guttula, comparata cum oceano, aut lucerna, cum sole...

Considera, anima mea, quam multa sint unius hominis opera, verba, cogitationes, motus interni et externi vel levissimi, ab infantia usque ad senium et mortem... hæc omnia et singula clarius Deus videt quam ego litteram A hic scriptam video in charta... Considera deinde, Deum nosse similiter vias, seu actiones, omnium ac singulorum hominum, usque ad ultimum qui nascetur de stirpe Adæ... Adde, simili claritate Deum distincte cognoscere creaturas omnes quæ in terra sunt usque ad minutissimum vermiculum, et minimam plantulam... Finge alios mundos millenos, et millenos, creaturis repletos, quos eodem lucidissimo intuitu Deus videt... an totus iste scientiarum oceanus repræsentabit sapientiam Dei ?... Tantum abest, ut ille vix radius sit claritatis infinitæ quam Deus, sicut sol æternus, in se continet... — Atque eodem modo de sanctitate, aliisque divinis perfectionibus meditari licet...

O Deus infinite ! quid est homo in conspectu tuo!...

III P. IN EMINENTIA. — Deus scilicet omnibus creaturis, quæ existunt, vel ad existentiam vocari possent, infinitæ excellentiæ intervallo supereminet. Ipse solus per se omnibus illis infinitis, quæ in ejus essentia, sapientia, potentia eminenter continentur... etiamsi actu foris existerent... est infinite excellentior, sublimior, major, pulchrior, amabilior... Imo omnia illa simul sumpta et considerata, sunt instar nihili in comparatione divinæ excellentiæ... Unde qui Deum possidet eoque fruitur, incomparabiliter magis gaudet ejus solius possessione, quam si omnia illa extra Deum possideret... et omnium illorum pulchritudine, splendore, gloria, commoditate frueretur...

O Deus infinite ! o summum et ineffabile bonum, quis te toto corde, totisque viribus non diligat !...

Da mihi, Domine, Spiritus sancti gratiam, ut alte de tua infinitate sentiam, teque solum, o infinita, amabilitas, concupiscam et quæram...

De infinita Dei perfectione.

Pr. 1. *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.* Rom. xi, 36.

Pr. 2. Ut aliquatenus intelligam quomodo Deus infinite perfectus sit, ideoque laudabilis et amabilis nimis.

Licet infinita Dei perfectio ab infinitate, quam modo consideravimus, re non differat; ad pietatem nihilominus prodest, sub novo hoc respectu divinam excellentiam contemplari. Deus ita perfectus est ut nihil ei desit in ratione entitatis, sed possideat prorsus omnia. I. Quomodo possidet omnia bona? II. Quomodo corporea? III. Quomodo spiritualia?

I P. OMNIA BONA. — Ita perfectus est Deus, ut in sua natura includat omnes possibiles perfectiones, absque ullo defectu aut imperfectione... adeo ut possibile non sit imaginari veram perfectionem aliquam, quam Deus non possi-
Sap. 1. deat in summo gradu ac in tota plenitudine... *spiritus Domini continet omnia...*

O Deus meus, infinita Majestas! Firmissime credo te esse omnia, quatenus cum infinita eminentia omnia bona complecteris, quæ apparent in creaturis... O anima mea, si thesauros quæris, si pulchritudinem, si bonitatem : Deum respice, in quo illa omnia summe resplendent... O Deus meus et omnia! Quando veniam ut clare te videam in gloria tua?...

Perfectiones variæ,quas distinctas noster intellectus considerat, in ipso Deo sunt una eademque res et quidem simplicissima, in qua omnes continentur... sicut in nummo aureo, minutæ pecuniæ. In Deo itaque una eademque res est ejus sapientia, bonitas, potentia; una, inquam, res, æquivalens multis, quæ a nobis vario nomine distinguun-
Sap. 7. tur : *Spiritus Dei unicus, multiplex... omnem habens virtutem... et qui capiat omnes spiritus...*

Hanc miram Dei simplicitatem imitabor, studendo ut in variis multisque meis actionibus una resplendeat perfectissima intentio placendi Deo et faciendi voluntatem ejus...

II P. OMNIA CORPOREA. — In Deo eminenter sunt omnes perfectiones creaturarum, imprimis corporearum. Inter

corporeas creaturas, ordine infimæ sunt vita carentes : nempe cœli cum stellis... terra cum auro, argento, lapidibusque pretiosis... quæ omnia in Deo sunt ac vivunt ineffabili quodam modo, atque ita, ut quæ in natura existunt, eorum tantum rudis imitatio appareat...

O perfectissime Deus! Gaudeo quod sol et luna tuam pulchritudinem mirentur, agnoscentes splendorem suum esse tenebras, si cum tua claritate conferatur...

Aliæ sunt creaturæ corporeæ quæ vitam habent vegetantem... quarum mirabiles perfectiones in Deo sunt cum infinita excellentia... *Pulchritudo agri mecum est...* Psalm. 49.

Eodem modo sunt etiam in Deo perfectiones omnium viventium, quæ vitam habent sensitivam... quales sunt animantes terræ, aëris et aquarum, multitudine ac varietate proprietatum mirabiles... Harum perfectiones omnes inveniuntur in Deo cum excessu infinito et absque imperfectione... Est enim Deo fortitudo leonis, sed nulla crudelitas...

O Deus, omnium bonorum infinite thesaure, quis adeo demens esse possit ut te propter vilem creaturam relinquat!...

III P. SPIRITUALIA. — In Deo quoque sunt omnes perfectiones creaturarum intellectualium, tam hominum, quam angelorum, quas ipse ad imaginem et similitudinem suam condidit... quibus dedit esse spirituale quod habent, facultates mentis, artes, scientias... virtutes, gratias, potestatem et excellentiam, quæ in omnibus et singulis relucent... in ipso autem Deo sunt cum eminentia infinita... *Qui plantavit aures non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?... qui docet hominem scientiam*, erit ejusdem scientiæ expers ?...

Quamobrem, ubi videbo hominum ingenia in artificiosis operibus... vel regum in gubernando prudentiam... virtutesve quæ resplendent in sanctis... levabo oculos ad Deum, fontem omnis sanctitatis, sapientiæ et ingenii, a quo, quæcumque in creaturis spectantur, tanquam radii a sole descendunt... Hinc Deo laudes tribuam... eumque sicut omnis perfectionis normam et exemplar imitabor : *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est...* Matth. 5.

Dei perfectiones deprehenduntur in ejus creaturis, non solum in magnis, sed etiam in minimis, quales formicæ et vermiculi... Da mihi, Domine, ita tuam facere voluntatem, ut in meis quoque operibus, tum magnis tum minimis, perfectionem deprehendas...

De bonitate et sanctitate Dei.

Pr. 1. *Quid me dicis bonum ? Nemo bonus nisi solus Deus.* Luc. XVIII, 19.

Pr. 2. Ut bonitatis Dei ejusque sanctitatis amore rapiar, et utriusque particeps fieri studeam.

I. Quænam sit Dei bonitas. II. Quænam sanctitas. III. Quomodo sanctitas manifestata.

I P. DEI BONITAS. — Bonus est Deus omni sensu ac modo : bonus, quia benignus ac beneficus erga nos... bonus, quia odit peccatum et sanctus est... bonus, quia omnia in se continet bona, omnesque perfectiones...

Hoc autem ultimo sensu dicitur Deus esse summum bonum in se, infinite bonus in se, adeoque infinite amabilis... et, qua talis, objectum est purissimæ charitatis... O Deus meus, amo te ex toto corde, super omnia, quia Deus es, summum bonum es in te, summeque amabilis.

Exod. 33. Hoc quoque sensu Moysi, cum Deo diceret : *Ostende mihi gloriam tuam*, respondit Deus : *Ego ostendam tibi omne bonum*... significans se esse omne bonum, et in se concludere quidquid bonum est...

Quidquid bonum est, puta universas perfectiones rerum omnium quæ existunt... et alias infinite majores quam mente possimus assequi : ita ut omnia bona creata et quæ creari possent, si cum ipso comparentur, tanquam nihil sint... aut ad summum, velut imago aut umbra bonitatis illius infinitæ...

Quam parvi itaque facere debeo res omnes creatas, eas præcipue aspectabiles, quæ meum cor ad se rapiunt !... Nullatenus tamen illæ desiderium cordis mei explere pos-

sunt,quod te solo, Deus meus,tuo amore et possessione tua potest satiari... *Satiabor cum apparuerit gloria tua...* Psalm. 16

Da mihi, Domine, creata cuncta transcendere, et te solum Creatorem, infinite amabilem toto cordis affectu diligere...

II P. DEI SANCTITAS. — Deus est sanctus et quidem per essentiam... ex qua habet quidquid ad rationem sanctitatis pertinet, idque cum infinita perfectione... estque ipsamet sanctitas subsistens, infinita, in cujus comparatione omnium creaturarum sanctitas, sive in terra sive in cœlo, tanquam umbra evanescit... *Non est sanctus ut est* 1 Reg. 2. *Dominus, nec est alius extra te...* Hinc deducitur fundamentum veræ ac profundæ humilitatis, quam habent Sancti in conspectu Dei...

Dei quoque sanctitas causa est et fons omnis sanctitatis viæ et patriæ... hominum et angelorum... quibus communicat *cognitionem et amorem sui*, quæ vera et formalis est sanctitas...

Dei quoque sanctitas exemplar est, quod practice æmulari debemus... *Sancti estote, quia ego sanctus sum...* Levit. 16. Virtutes in Deo idea et exemplar quoddam sunt earum, quæ in nobis inesse debent.

Practice spectata,Dei sanctitas consistit, hinc in horrore omnis peccati... inde vero, in complexu omnium virtutum earumque in summo gradu... *Mundi sunt oculi tui ne* Habac. 1. *videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris...* iniquitatem videlicet approbando, vel admittendo in sanctuarium cœli...

O Deus sanctissime, qui per excellentiam vocaris *Sanctus sanctorum*, gaudeo, et laudo te ob infinitam sanctitatem tuam ; petoque suppliciter ut me facias ejusdem participem... Simul autem confiteor meam in hac parte paupertatem, adeo ut, faciem meam præ pudore velans, cum Seraphim te solum sanctum proclamem : *Sanctus, Sanc-* Isai. 6. *tus, Sanctus, Dominus Deus exercituum...*

III P. SANCTITATIS MANIFESTATIO. — Ex omnibus suis attributis, nullum Deus magis manifestatum voluit sanctitate. Hoc præcipue nomine voluit cognosci et laudari... *Sanctum nomen ejus... Sanctificetur*, ut sanctum laude- Luc. 1. tur *nomen tuum...* Hoc attributum proposuit imitationi

1 Pet. 1. nostræ : *Secundum eum qui vocavit vos Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis*...Sanctitas quoque
Psalm.144. effulget atque eminet in omnibus operibus ejus : *Justus Deus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*...

Præcipue vero sanctitatem manifestavit in proscribendo et puniendo peccata... in præcipiendo ac remunerando virtutes... in dando nobis Filium suum, exemplar sanctitatis... in constituendo Ecclesiam, omnis sanctitatis seminarium...

O divine Spiritus, qui nomen *sancti* tibi ut proprium assumpsisti, quia plurimum de sanctitate gloriaris ; concede mihi eam præ omnibus rebus creatis amare... et gratiam largire, ut constanter sanctus sim in conspectu tuo in æternum.

De benignitate Dei.

Pr. 1. *Eritis filii Altissimi : quia ipse benignus est super ingratos et malos.* Luc. VI, 35.

Pr. 2. Ut intelligendo inexhaustam Dei benignitatem, fiducia et amore divino proficiam.

I. Qualis Dei benignitas. II. Quomodo beneficia sua communicet in ordine naturali. III. Quomodo, in ordine supernaturali.

I P. DEI BENIGNITAS. — Benignus dicitur Deus, vel, ut Scriptura loquitur, *suavis*, quia propensus ad benefaciendum : quo sensu vocari solet *bonus erga nos*...

Est autem infinite propensus ad benefaciendum... et ad immensum æternumque bonum conferendum creaturis suis...

Etenim *bonum*, ut S. Dionysius ait, *est diffusivum sui ;* et quoniam Deus est summum bonum, ideo propensio ejus ad se communicandum aliis, est summa...

Exercet autem benignitatem excellentissime : nimirum libere, non coacte, et sola sua bonitate permotus... gratuito, nec quærens emolumentum suum, sed nostrum...

communicans sua bona omnibus modis, quibus communicatio benefica erga creaturas est possibilis, etiam modo summo... Nam quia bonum sui ipsius diffusivum, ipse se diffundit Deus quantum juxta infinitæ sapientiæ suæ ordinem potest... faciens nos *suæ divinæ consortes naturæ*... II Pet. 1.

Nonne hanc Patris mei cœlestis benignitatem debeo imitari?... obsequia offerre Deo et benefacere proximo spontanee, gratis, abunde?... Fac, Domine, ut amem te ac serviam tibi, non coactus aut ex timore... sed lubens et ex amore... — neque ob emolumentum meum proprium, sed ob tuum solum servitium... — nec animo parco et contracto, sed liberali et generoso... faciens quod potero summum, in gratiam tuam et proximi... sicut tu fecisti erga me... *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?... — Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*... Isai. 5. Joan. 13.

II P. IN ORDINE NATURALI. — Communicavit esse et bonitatem naturalem creaturis secundum quatuor gradus. Aliis dedit esse corporeum solum, sed mira varietate, ut cernere licet in cœlis et in absconditis terræ thesauris... aliis dedit vitam vegetantem, ut plantis et floribus... aliis etiam vitam sentientem, quales sunt quadrupedes, aves et pisces... aliis tribuit esse spirituale et vitam intelligentem, quales sunt trium hierarchiarum angeli... Hos autem quatuor gradus conjunctos dedit homini, ex corpore et spiritu composito... quapropter humana natura *microcosmus*, seu mundi totius compendium appellatur...

O anima mea, nonne rectum est, ut totum tuum esse quod a divina bonitate accepisti, in eadem bonitate sine fine diligenda occupetur?... Da mihi, Domine Deus, ut diligam te ex toto corde ob esse corporeum quod mihi dedisti... ex tota anima, ob donatam mihi vitam... ex omnibus viribus, ob sensus et potentias... ac demum ex tota mente mea, ob spiritum et intellectum mihi communicatos... nec permittas ut unquam his tuis donis abutar...

III P. IN ORDINE SUPERNATURALI. — Communicavit divina benignitas esse et bonitatem supernaturalem creaturis, similiter secundum quatuor gradus.

Imprimis dedit angelis et hominibus esse supernaturale gratiæ sanctificantis... per quod efficiuntur *divinæ consortes naturæ*, filii et amici Dei... II Pet. 1.

Iisdem largitus est esse gloriæ... quo justi efficiuntur in
1 Joan. 3. perpetuum *similes Deo* in gloriosis perfectionibus, quas ipse habet...

Esse personale ipsiusmet Dei communicavit secunda Trinitatis persona humanæ naturæ, quam in sua personalitate assumpsit sibique substantialiter univit...

Quartus remanet gradus non minus mirabilis, quo Filius Dei incarnatus esse suum divinum, duplicem naturam complectens, sacramentaliter nobis communicat sub speciebus panis et vini...

Ex his quatuor communicationibus, duæ ultimæ sunt
Prov. 8. hominibus concessæ, non angelis... quo ostendit *delicias suas esse cum filiis hominum*...

O infinita erga homines Bonitas! Parum tibi fuit, nobis bona quæ sunt extra te communicare, temetipsum dare voluisti !... O anima mea, nonne oportet ut tanta dona, e fonte Bonitatis, ex amantissimo Patre tuo profecta, eodem per amorem et gratitudinem revertantur ?...

O Domine, da mihi digne te laudare et gratias tibi debitas referre... omnesque creaturas ad benedicendum tibi
Dan. 3. invitare... *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula.*

De amabilitate Dei.

Pr. 1. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus... candidus et rubicundus, electus ex millibus, totus desiderabilis.* Cantic. I, 15; V, 10.

Pr. 2. Ut spectata Dei amabilitate magis amore illius inardescam.

I. Amabilissimus Deus, quia summum bonum ; II. quia summa pulchritudo ; III. quia summe beneficus, summeque delectabilis.

I P. AMABILIS QUIA SUMMUM BONUM. — Bonum quodlibet attrahit facultatem appetitivam, scilicet voluntatem, movetque ad amandum ; quapropter omne bonum est amabile, et summum bonum, summe est amabile... Utique

Deus meus, tu summe amabilis es propter te ipsum, et propter infinitam perfectionem essentiæ tuæ... Tua amabilitas cum sit infinita, digne amari nequit nisi a te ipso... et sicut major omni laude, ita major es omni amore creatururam !...

Nec ullum objectum æque amabile invenitur... Quæ est enim amabilitas creaturarum, si cum infinita illa amabilitate comparetur ?... Hinc plus amare debeo Deum, quam me ipsum, aut reliqua omnia amabilia hujus vitæ... et quam maximo amore possim... Nam si nequeo infinitam bonitatem tantum diligere quantum meretur, justum tamen est ut tantum diligam quantum cor meum potest... Et quidem hoc requirit Deus, cum præcipit ut ipsum diligamus *ex toto corde nostro, ex tota anima, ex tota virtute, ex omnibus viribus et ex tota mente nostra*... Matth. 22. Marc. 12. Luc. 10.

O summa bonitas, infinita amabilitas, inflamma cor meum amore quo possit ardere maximo, ut ita te amet... nec creaturam ullam præter te, nisi propter te diligam, tuique intuitu, nedum præferam tibi... O Dilecte animæ meæ, totus es amabilis, totus desiderabilis !... Omnia in te amabilissima, etiam justitia vindicativa, qua peccatum in inferno et in purgatorio castigas... siquidem et ipsa justitia ad integram tuam bonitatem ac perfectionem spectat... O dilecte animæ meæ, totus mihi es amabilis, quia in omnibus bonus es...

II P. QUIA SUMMA PULCHRITUDO. — Pulchrum dicitur id quod recreat corporis vel animi aspectum ; res autem pulchra, eadem est simul amabilis, quatenus attrahit appetitum et movet amorem aspicientis. Jam vero, sicut infinitam perfectionem, ita infinitam Deus habet pulchritudinem, quam, ut sancta Agnes dicebat, sol et luna mirantur... in cujus comparatione, externa illa venustas quæ cernitur oculis, ut in stellis, in gemmis et floribus, in specie et forma animalium, in gratia faciei humanæ, quamque mortales tantopere mirantur et sequuntur, umbra tantum est, imaginem rudissimam dumtaxat exhibens pulchritudinis Dei... Hæc sola pulchritudo vera, amore nostro digna. *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova*, exclamat Augustinus, *sero te amavi !*...

III P. BENEFICUS ET DELECTABILIS. — Si considero Dei

beneficia in ordine naturæ... in ordinæ gratiæ et gloriæ... si deinde animadverto eum offerre nobis omne bonum utile, omnia nempe media salutis, in Filio suo nobis
Joan. 14. dato... *qui est via et veritas et vita*... existimare debeo, ut ait Hugo a S. Victore, Deum per unamquamque creaturam mihi dicere : *Accipe et redde*, accipe beneficium et redde amorem... O Deus amabilissime, aperi mihi aures, ut audiam hanc vocem tuam : *Accipe et redde*... et da mihi cor novum, tuo amore succensum ut te in omnibus amem...

Amabilis Deus, quia ipse est summum bonum delectabile, in quo omne dulce et delectabile eminentissime continetur... Est ipse infinitus amor et infinitum gaudium de se ipso, simulque fons omnis gaudii ac lætitiæ nobis... Si ergo delectari quæris, anima mea, vera delectamenta concupisce...

Deus opera sua cuncta perficit, nobisque sua beneficia confert summo cum amore et cum lætitia infinita... proindeque requirit, ut et nos sibi cum amore et lætitia serviamus... in ipso solo, ejusque obsequio delectationem quærentes...

Hic recogitem quam sit detestabile et a sana ratione alienum, amare voluptatem quam Deus prohibet... contemnere voluptates cœlestes ad fruendum terrenis... abjicere gaudia æterna pro temporalibus... O Domine, summum bonum meum, verte mihi in amaritudinem omnes delicias terrenas, da mihi unice sapere dulcedinem tuam, quæ cordis mei desiderium explere valet... Da mihi amanti
Psalm. 99. corde *servire tibi in lætitia, et introire in conspectu tuo in exultatione*...

De pulchritudine Dei.

Pr. 1. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Cantic. I, 15.

Pr. 2. Ut Dei pulchritudinem infinitam intelligens, ejus sanctissimo amore exardescam.

Spectanda Dei pulchritudo, I. in creaturis manifestata; II. in se ipsa; III. in effectibus suis.

I P. IN CREATURIS. — Quidquid pulchritudinis in creaturis occurrit, a Deo est et exigua quædam participatio infinitæ pulchritudinis Creatoris... Totus mundus velut speculum est, in quo divinæ claritatis radii resplendent, et adumbratio imaginis ejus...

Quæ quidem lux divini splendoris etsi obscurius effulget, vehementer tamen oculos perstringit mortalium. Etenim quam mirabilis decor firmamenti!... fulgor auri ac lapidum quibus regum palatia ornantur!... pulchritudo camporum, imo unius flosculi!... *Considerate*, inquit ipse Christus Dominus, *lilia agri... Dico vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* Matth. 6.

Creaturarum species tantopere mirati sunt homines ut eas pro diis acceperint... ut hodiedum plurimi eas Domino Deo suo anteponant... *Sciant* autem, inquit Sapiens, *quanto his Dominator earum speciosior est:* speciei enim *generator hæc omnia constituit...* Deus namque fons est omnis pulchritudinis in angelis... in hominibus... in cœlis ac stellis.. in animalibus ac plantis... in gemmis et margaritis... et ipse omnem pulchritudinem creatam continet eminenter... Sap. 13.

Quotiescumque igitur gratia et pulchritudo creaturarum meis oculis affulgebit, mente ad ineffabilem Dei splendorem assurgam...

Quid si videremus pulchritudinem creaturarum supernaturalem, qualem nonnulli in visionibus contemplati sunt sancti, ut S. Theresia, ut tres Apostoli in monte Thabor?... *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum...* Matth. 13.

Purifica quæso, Domine, oculos meos, ut nequaquam marcescibili specie, sed veris et æternis tuis illecebris capiantur...

II P. IN SE IPSA. — Ut aliquatenus percipiamus quanta sit Dei Domini nostri pulchritudo, quæ omnem pulchritudinem creatam infinite transcendit, varii qui recensentur, pulchritudinis gradus considerandi sunt.

Primus gradus et infimus est pulchritudo externa, quæ oculis corporeis cernitur, in gemmis et floribus, in specie et forma animalium atque hominum...

Secundus gradus est in pulchritudine interna formæ vegetativæ, unde pulchritudo illa externa promanat. Hæc, licet oculis corporeis spectari non possit, longe major est quam illa et mirabilior : quia in simplici forma et virtute, ineffabili modo continetur tota illa varietas, quæ exterius in floribus, plantis,animalium structuris, coloribus et figuris apparent...

Tertius gradus est in formis sensitivis seu animabus sentientibus. In una enim simplici forma continetur vis sensuum, vis imaginationis et appetitus sensitivi ; et hinc anima sensitiva ita est elevata supra vegetantem, ut plus sit pulchritudinis in una sentiente quam in omnibus vegetantibus simul sumptis....

Quartus gradus est in anima rationali : hæc incomparabiliter pulchrior quam omnes animæ sensitivæ simul junctæ...

Quintus, in natura angelica, quæ adhuc multo sublimior ac splendidior existit quam anima rationalis...

Sextus, in veste nuptiali gratiæ sanctificantis, qua si ornetur anima, tam speciosa est ut ipsos Dei oculos pulchritudine rapiat...

Septimus, in veste gloriæ, qua induuntur Beati ; hæc pulchritudo superat pulchritudinem totius universi, etiamsi totam in unam formam colligatur...

Octavus demum gradus est pulchritudinis divinæ, in qua omnis pulchritudo naturalis et supernaturalis, corporalis et spiritualis omnium rerum creatarum et creabilium eminentissime continetur. Hæc autem, comparatione illius, est instar nihili. Unde conspectus divinæ pulchritudinis incomparabiliter plus oblectabit Beatos, quam aspectus gloriæ Sanctorum et totius curiæ cœlestis ac totius universi...

O Domine Deus, quando stabo ad videndum te? Quando
Psalm. 41. veniam *et apparebo ante faciem tuam ?*...

III P. IN EFFECTIBUS. — Quoniam infinita est Dei pulchritudo, hinc fit ut infinite amabilis et delectabilis sit videntibus...— Licet autem in terra sub velamine duntaxat fidei videri possit ; ita tamen radii pulchritudinis ejus iis affulgent qui mundo sunt corde, ut eos inflammet amore... Cœlites vero, eam sine velamine spectantes, necessario

rapit summum in amorem, summoque gaudio perfundit...

O Deus amabilissime, qui fecisti cor meum ad amandum te, quando contemplabor pulchritudinem tuam? Quando eris mihi omnia in omnibus?...

De dulcedine Dei.

Pr. 1. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psalm. 30.

Pr. 2. Ut cognoscam et sapiam dulcedinem Domini, eamque solam appetam semper.

Spectari potest dulcedo Dei, I. prout manifestatur in creaturis; II. in se; III. in conditionibus participationis.

I P. DULCEDO DEI SPECTATA IN CREATURIS. — Inter varia phænomena creationis non minimum sane est dulcedo, jucunditas, delectabilitas, quæ variis modis inveniuntur in rebus, et percipiuntur ab homine... Datur enim dulcedo sensibilis in melle, in fructibus, in musico concentu, in variis sensuum oblectamentis... Datur dulcedo spiritualis in scientiarum speculationibus... in amicitia... in pace conscientiæ... in beneficentia... in oratione et commercio cum Deo... Jam vero omnis hujusmodi dulcedinis fons et causa Deus est. Quidquid enim dulce, suave, amabile et delectabile invenitur in rebus creatis, ab ipso est tanquam tenuis communicatio immensæ dulcedinis illius...

Imo omnis etiam delectatio, omnisque sensus dulcedinis in angelis, hominibus et animalibus, ab ipso est: ipse enim facultatem animæ, dulcedinis et delectationis capacem, finxit et formavit... ut creaturas faceret pro suo modulo dulcedinis participes, qua ipse infinite fruitur in semetipso...

Præcipue vero dulcedinem suam manifestavit in Christo Jesu, quem *prævenit in benedictionibus dulcedinis*, ut esset nobis jam in præsenti vita, objectum dulce animabus nostris super mel et favum... O dulcissime Jesu, da mihi purissimam tuam dulcedinem gustare... Psalm. 20.

Hæc autem cœlestis Jesu dulcedo percipitur et gustatur per fidem et amorem... in oratione... in observatione mandatorum et omnium verborum ejus, quæ *desiderabilia sunt super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum*... Præcipue vero dulcedo Jesu recondita est in altaris Sacramento : *O Jesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia : sed super mel et omnia ejus dulcis præsentia !..*

Psalm. 18.

In hoc jubilo nobilissimo S. Bernardi, Jesus dicitur *Dulcedo cordium*, non tantum objective sed etiam *meritorie :* quia amaritudine suæ passionis, nos ab æternæ damnationis amaritudine liberavit, et ad infinitam dulcedinem æternæ felicitatis traduxit...

Jesu, dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium, et omne desiderium !...

Sis Jesu, nostrum gaudium, qui es futurus præmium !...

II P. IN SE. — Deus in se spectatus est ipsa substantialis dulcedo ac delectatio. In ipso enim est æterna et infinita dulcedo omnium electorum, idque duplici ratione : objective et effective. Objective, quatenus ipso fruendo et gustando, summis gaudiis toti perfunduntur ; effective, quatenus ipse est auctor luminis gloriæ, quo Deum clare vident... et habitus charitatis, quo illum summe amant... Hinc enim sequitur immensa illa delectatio de bonis Dei, seu gustus beatus illius immensæ suavitatis...

Deinde Deus ipse sibi est infinita dulcedo, tum objective, tum formaliter. Est enim ex una parte, ipse objectum infinitæ dulcedinis, omne delectabile continens ; ex altera vero, se ipsum comprehensive videndo, a se ipso infinitam delectationem, et infinitum gaudium haurit... imo ipse est infinitus amor, et infinitum gaudium de se ipso conceptum...

Psalm. 144. Matth. 52.

Et, quia *suavis Dominus universis*, hujus suæ dulcedinis nos vult esse participes... *Intra in gaudium Domini tui...*

Psalm. 26.

O Deus meus, da mihi gustare et videre quoniam suavis es... *Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ : ut videam voluptatem Domini...*

III P. IN PARTICIPATIONE. — Dulcedinem suam Deus participandam offert omnibus hominibus... *Fecit cœnam magnam et invitavit multos...* Luc. 14.

Vult autem ut invitati terrenas epulas, falsaque sæculi hujus delectamenta relinquant... et induant vestem nuptialem...

Quanto se quis magis ac plenius liberaverit ab omni inquinamento carnis et spiritus, tanto copiosius Dei dulcedinis fiet particeps, et quidem jam in hoc sæculo... *Superabundo gaudio*, aiunt Sancti, *in omni tribulatione nostra...* II Cor. 7.

Utinam suavitatem tuam homines cognoscerent, o Jesu dulcissime ! Quod enim falso quodam gentilis princeps est appellatus, tu Jesu verissimo nomine *deliciæ humani generis* prædicaris et existis amantibus te... *Jesu Rex admirabilis, et triumphator nobilis, dulcedo ineffabilis, totus desiderabilis !...*

De magnitudine Dei.

Pr. 1. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Psalm. 144.

Pr. Ut aliquatenus Dei magnitudinem apprehendendo, ei perfectius reverentiam et laudationem exhibeam.

Dei magnitudo manifestatur, I. in terra, II. in cœlis, III. super cœlos.

I P. DEUS MAGNUS IN TERRA. — Nonne terra quam habitamus magnitudinem proclamat Creatoris, qui fecit eam et omnia quæ in ea sunt ?... Vere *magna opera Domini : firmavit orbem terræ, qui non commovebitur... tribus digitis appendit molem terræ*, cujus ambitus novem millia leucarum attingit... Quanta latitudo camporum et altitudo montium !... Quanta maris amplitudo et potestas fluctuum ejus !... *Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos : quia in manu ejus* Psalm. 110, 92. Isai. 40. Psalm. 94.

sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt... Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud, et siccam (terram) *manus ejus formaverunt... Venite adoremus, et procidamus ante Dominum.*

Quod si spectes nubes ac ventos, tonitrua et fulgura, ignem et lumen, calorem et frigus... quam grandia hæc et humanæ investigationi impervia !... — Deinde considera rerum copiam quam terra continet : thesauros metallorum ac lapidum, plantarum et animantium varietatem... nonne hæc omnia Dei magnitudinem prædicant ?... — Inspice mirabilem picturam unius flosculi, organa et structuram unius vermiculi, et intelliges quam vere dictum : *Maximus in minimis cernitur esse Deus...*

Considera præsertim hominem, anima corporeque tam nobilem, ut vere rex appareat ac dominator totius orbis terrarum, cui omnia sub pedibus subjecta... Quam magnus Dominus qui fecit eum !... Deinde numera multitudinem
Isaï. 40. filiorum Adæ, gentium ac populorum diversitatem... *Ecce omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo ; et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei...*

Vere magnus es tu, Domine Deus : et solus magnus... Quis similis tibi ?... Quid sum ego coram te ?... Quid omnes reges terræ, nisi pulvis et cinis ?... Quid omnis gloria eorum, nisi flos agri, decidens et arescens... Tu solus magnus, Deus, tibi soli honor et gloria.

Psalm. 18. II P. MAGNUS IN CŒLIS. — *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum... in sole posuit tabernaculum suum...* in eo videlicet gloriam ac magnitudinem suam peculiari modo manifestans, sicut rex in suo palatio...

Scilicet mira magnitudo est et multitudo corporum globorumque cœlestium ; imprimisque sol tam magnus, ut ei comparatus orbis terrarum, globulus appareat seminali grano simillimus. Sol enim amplitudine sua fere quindecies centies millies terræ molem continet...

Jam vero sol noster nequaquam est in firmamento unicus ; sed quot lucent stellæ, etsi præ distantiæ immensitate vix aut ne vix quidem visibiles, tot sunt soles... nostro sole etiam magnitudine longe superiores...

Quæ quidem immensa corpora tanta multitudine sunt in

cœlestibus spatiis seminata, ut cum spectantur instrumentis opticis, milliones numero appareant, et arenæ maris similes videantur... Jam vero hæc omnia usque ad unum Deus creavit, in esse sustinet, dispositaque movet mirabili ordine quem videmus... Vere *magnus Dominus et magna virtus ejus*, et sapientiæ ejus *non est numerus... Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis omnia vocat... Magnus est et non habet finem...* Psalm. 146. Baruch. 3.

O Deus meus, quis similis tibi! Tibi soli laus et gloria in æternum...

III P. SUPER CŒLOS. — Magnus Dominus super cœlos sidereos, nimirum in altissimis sedibus quas cœlum empyreum vocant, quæque habitatio sunt seu æterna tabernacula Beatorum. *Quam magna est domus Dei*, exclamat propheta, *et ingens locus possessionis ejus! Magnus est et non habet finem : excelsus et immensus...* Jam vero cœlorum magnitudinem excedit magnitudo Dei quem *cœli capere non possunt...* Baruch. 3. III Reg. 8.

Immensa illa regio vivorum non vasta quædam solitudo est, sed innumerabili *angelorum frequentia* et sanctorum habitata... *Aspiciebam*, inquit Daniel, *et Antiquus dierum sedit... Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*... Joannes autem: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum...* Psalm. 14. Hebr. 12. Dan. 10. Apoc. 7.

Jam vero cœli cœlorum, sublimesque eorum incolæ, totaque magnitudo mundi universi, respectu magnitudinis Dei, est instar unius guttulæ collatæ cum oceano... *Tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram...* Sap. 11.

Gaudeo, Deus meus, et laudo te de infinita magnitudine tua... Gaudeo quia es, et quia tam magnus es, Deus meus et omnia!...

De Dei immènsitate et ubiquitate.

Pr. 1. N*on est longe ab unoquoque nostrum : in ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Act.xvii,28.

Pr. 2. Ut vivida fide immensitatem Dei apprehendam et ubique reverear, in eaque fundamentum obtineam unionis cum Deo.

I. Dei immensitas. II. Dei præsentia in omni loco.

I P. IMMENSITAS. — Magni momenti esse intelligitur meditatio de immensitate Dei, quia fundamentum est orationis, contemplationis et unionis illius cum Deo, quæ tanquam finis intenditur horum exercitiorum ad viam unitivam pertinentium...

Deus trinus et unus ita est immensus atque in omnem partem extensus, ut mundum universum... et spatia quæ
Jerem. 23. ultra mundum concipiuntur,usquequaque impleat... *Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus...*

Nullis locorum spatiis Dei immensitas circumscribi potest. Cogita extra mundum, spatium mille leucarum in omnem partem extensum : adhuc ulterior est Deus. Cogita centum millia leucarum, ulterior est Deus. Cogita mille milliones leucarum... tot milliones leucarum quot arenulæ in omnibus littoribus, quot guttulæ in omnibus aquis, imo quot pulvisculi necessarii ad implendum ambitum in quo universa mundi machina movetur... adhuc Deus infinitis leucarum millionibus ulterior existit, idque perfectissime : nempe in tribus personis, et cum omnibus suis perfectionibus, opibus et bonis quæ in ipso continentur...

Existit autem Deus, per spatia quælibet conceptibilia infinite diffusus... non per partes, sicut aer ; sed per se totum, sicut spiritus... ita ut in puncto quolibet totius spatii sit totus, non quasi fluctuans et mobilis, sed firmiter prorsus, tanquam omnium rerum fundamentum...

Et quoniam Deus est purus spiritus, omnia quæ existunt corpora penetrat, et existit intra illa... Mundus universus in Deo est, sicut spongia in medio oceani, et Deus in mundo et in omnibus quibus constat partibus...

Ergo *non est longe ab unoquoque nostrum :* in ipso sumus et ipse intime in nobis... Non itaque possibile Deum effugere... aut ab ipso se abscondere... *Putasne Deus e vicino ego sum, et non Deus de longe ? Si occultabitur vir in absconditis et ego non videbo eum ?* Jerem. 23.

O Deus immense, *quem cœli cœlorum capere non possunt*, gaudeo de tua immensitate, cum tanta simul gloria conjuncta, ut nihil vilitatis ei afferat loci abjectio... Clarifica, quæso, internos oculos meos, ut certius te videam quam si spectarem externis... III Reg. 8.

II P. UBIQUITAS. — Dei ubiquitas aliquid superaddit immensitati : tres enim modos includit, quibus Deus ubique, in omni loco, in omnibus etiam entibus existit : nimirum per essentiam, per præsentiam et per potentiam.

Deus ubique est per *essentiam*, quæ proprie immensitas vocatur, quam modo consideravimus. Scilicet in omni loco et in omnibus rebus vere et realiter existit secundum totam suam divinitatem... O anima mea, si fidem tuam acueres, videres te nunquam esse solam, sed tecum esse tres divinas personas... Hic habes summam bonitatem, quam potes diligere, summam majestatem... sapientiam... omnipotentiam... lætitiam, in qua potes exultare... O Rex immense, qui ita es in toto regno ut totus assistas cuilibet parti : concede mihi, ut ego totus coram te assistam... totusque tibi serviam ubique, sicut decet ut tanto Regi in ejus conspectu serviatur...

Per *præsentiam* adest, id est cernens et cognoscens quidquid in singulis locis existit et agitur... non ergo quasi dormiens, vel sicut anima in corpore, quæ non videt quid in corpore suo fiat... Quamvis locus sit obscurus, Deo clare patet... *Quia tenebræ non obscurabuntur a te*... Attende itaque, anima mea : Deus adest et aspicit te...Si vis orare, si tentatione te vexat, si afflicta es, aspice Deum qui præsto est... Si bonum opus vis operari, huic soli stude placere, qui te judicabit ex his quæ videt in te... Psalm. 138.

Per *potentiam* Deus est in locis et rebus, non tantum ut res aspiciens ; sed etiam, ut tribuens rebus *esse* quod habent, et *facere* quod faciunt.... Scilicet Deus res omnes sustinet, ita ut si substraheret se, in nihilum recciderent... Ita fere corpus vivum sustinet et in esse conservat anima :

qua recedente, corpus in pulverem suum dissolvitur. Non tamen destitutum anima, subito corpus evanescit ; sed creatura, a Deo sustentante relicta, eo ipso annihilatur... sicut lux, extincta lucerna a qua procedit, esse desiit nec ullatenus apparet...

Quapropter, anima mea, in omnibus rebus Deum intuere : et sicut aspiciens hominem, ab exterioribus transis ad interiora, ad animam videlicet, quæ corpori dat vitam et motum ; ita videns creaturas, penetra oculis fidei ad id quod in eis latet, Deum videlicet, qui est principium omnipotens, dans eis esse omnemque efficaciam...

O Deus immense, clarifica oculos meos, vivifica fidem
Hebr. 11. meam, ut te ubique *invisibilem tanquam videns* intuendo, adorem et invocem... nihil faciam tuo conspectu indignum... nihil inordinate amem... nihilque vano timore abhorream... sed te a dextris mihi semper aspiciens, fiducia plenus nunquam commovear.

De præsentia Dei in sanctuariis.

Pr. 1. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis.* Apoc. XXI, 3.

Pr. 2. Ut vivida fide Dei præsentiam apprehendendo, in unione cum Deo proficiam.

I. Quomodo Deus præsens sit in sanctuario cœli ; II. quomodo in templis terrenis ; III. quomodo in hominibus justis.

I P. IN CŒLO. — Cum in reliquis locis ita lateat Deus, ut non nisi per fidem videri possit ; in cœlo apparet revelatus, clare et aperte divinam suam essentiam beatis omnibus manifestans... resque gloriosissimas in illis ope-
1 Joan. 3. ratur qui eum aspiciunt... *Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum*
1 Cor. 13. *sicuti est... facie ad faciem...*

Hanc ob causam cœlestis Jerusalem appellatur *taber-*
Apoc. 21. *naculum Dei cum hominibus*, in quo Deus simul habitat, et ejus electi cum eo, *et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus...*

Illa quoque est paterna domus Dei, ubi cum electis suis habitat velut Pater cum filiis... qui *edunt et bibunt super mensam ejus*... quibus aperit ineffabiles divitias et mirabilia divinitatis suæ... deliciasque communicat quæ enarrari non possunt... *Non enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*... Luc. 22. 1 Cor. 2.

Cœlestium deliciarum fons intuitiva Dei visio est... *Qui ambulat in justitiis in excelsis habitabit... Regem in decore suo videbunt oculi ejus*... et inde deliciis affluet, inebriabitur ab ubertate domus Dei, et satiabitur cum apparuerit gloria ejus... Isaï. 33.

At vero ad videndam faciem Dei requiruntur oculi mundi... *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*... Matth. 5.

O Deus altissime, qui in excelsis habitas, deduc me ad tabernaculum illud tuum, in quo cum electis tuis videam te, fruarque te,infinito bono... Fac ut maneam in charitate, quo perveniam ad charitatis fontem, qui est in te, et immergar in gaudio tuo æterno...

II P. IN TEMPLO. — Peculiari modo ac singulari benevolentia Deus habitat in templis manufactis, quæ *domus orationis* appellantur. Ibi velut in throno misericordiæ sedet, ut audiat preces supplicantium, eisque suas gratias impertiatur. *Elegi*, inquit, *locum istum mihi in domum sacrificii... Oculi mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit*... II Paral.7.

Sanctiora autem quam templum antiquæ legis sunt templa christiana, in quibus Verbum incarnatum realiter, etsi sacramentaliter, nobiscum habitat... Peculiari ergo affectu et reverentia est mihi ad illa loca accedendum, ob præsentiam Dei, quæ sese effectibus tam salutaribus manifestat... et præsentia pro præsentia, amor pro amore rependendus...

Templa Dei non manufacta sunt corpora nostra. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?... Vos estis templum Dei vivi*... Quantam ergo reverentiam habere debeo erga me ipsum !... Quanta causa gaudii, amoris et fiduciæ, habere Deum meum inhabitantem in me !... Nonne operam dabo ut cor meum vere sit 1 Cor. 6. Ibid. 3.

sanctuarium, quo me recipiam ad adorandum et conversandum cum Deo?... Da mihi, Domine, implere hoc verbum
Matth. 6. tuum : *Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito...*

1 Joan. 4. III P. IN HOMINIBUS JUSTIS. — *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo*...Deus quidem, vi immensitatis suæ, intra me est, mihi magis conjunctus quam mea anima, quamvis excellentiore modo, per essentiam, præsentiam, potentiam... mihique communicans esse naturale et facultates omnes mentis et corporis... at vero, vi charitatis suæ
Joan. 14. et gratiæ, longe divinius mecum conjungitur : *Qui diligit me, diligetur a patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum... et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus...*

Scilicet animabus justis conjungitur sanctissima Trinitas per fidem et gratiam, faciens in illis et cum illis opera supernaturalia, vitæ æternæ meritoria... — In quibusdam autem sanctioribus et prædilectis, et quidem in intimo recessu spiritus eorum, se manifestat illustrationibus et colloquiis... revelans illis mysteria sua abscondita, cum gaudio et delectatione ineffabili... — Laudabo Deum de singularibus donis quæ Sanctis suis, speciatim B. Virgini concessit... pro me interim petens, ut maneam cum ipso conjunctus unione charitatis...

O Deus, charitas immensa, remove a me omnia impedimenta gratiæ tuæ, ut permanens in me et ego in te... ut tua in me præsentia fruar, sicut solet amicus amici, infirmus adjutoris, pauper divitis... præsentia gaudere... nec amplius a creaturis quidquam requiram...

De providentia Dei.

Pr. 1. *Tua, Pater, providentia gubernat omnia.* Sap. VIII, 1.

Pr. 2. Ut suavissimam Dei providentiam intuendo, filiali fiducia et amore accrescam.

I. Providentiæ notio. II. Ejus extensio. III. Ejus beneficia.

I P. NOTIO. — Divina providentia, juxta catechismum Romanum, est paterna Dei sollicitudo, qua creaturas conservat, gubernat et ad finem perducit... Scilicet, ut sapiens operator, creaturas omnes ordinavit ad finem, easque ad eumdem sollicite conservando et gubernando perducit...

Ipse Deus omnium creaturarum est finis ultimus : omnes enim propter semetipsum fecit et propter gloriam suam... nempe ad revelandam bonitatem omnesque perfectiones suas... qui supremus est ac necessarius finis omnium creaturarum : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus...* Prov. 16.

Præterea unicuique creaturarum speciei proprium aliquem et proximum constituit finem, mediaque providit proportionata, quibus illum consequatur... Præ omnibus autem exaltare voluit angelos et homines ad finem sublimissimum : ad Deum nempe perfectissime glorificandum ipsius Dei fruitiva visione... in quo altissimo fine simul Dei gloria et creaturæ beatitudo sita est...

Ad hunc autem finem consequendum nonne providit nobis de omnibus necessariis et convenientibus mediis mirabili abundantia ?...

Tribus attributis Dei providentia præcipue innititur : sapientiæ, bonitati, omnipotentiæ... Etenim quæcumque opus mihi sunt bona, tam corporis quam animæ, nec non media et adjumenta, nota ipsi sunt, quia omniscius... hæc conferre potest, quia omnipotens... et reipsa largiri vult ac desiderat, ut ad ultimum meum finem perveniam, quia bonus ac optimus Pater... — Lætare, anima mea, de paterna ista Dei tui providentia, deque ejus circa te sollicitudine... Gratias tibi ago, cœlestis Pater... Da mihi *omnem in te sollicitudinem conjicere*, tuamque providam curam mereri servando æquissimam a te constitutam regulam : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis...* 1 Pet. 5. Matth. 6.

II P. EXTENSIO. — Providentia ad omnes omnino creaturas se extendit, etiam ad minimas et vilissimas... *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus...* Aspice, anima mea, mundum universum : mirare Sap. 6.

quomodo omnia entia in suis speciebus et naturis individuis, cum suis ornamentis, proprietatibus et functionibus existant et conserventur... Nonne splendida hæc manifestatio providentiæ Dei?... Nihil enim est in tota rerum natura, cui ipse non dederit esse, speciem, formam et pulchritudinem, ut optime in suo statu persistere queat; et cui præterea non dederit propriam indolem, propensionem, vires ac instrumenta congruentissima ad suas functiones : omnia
Sap. 11. enim *in mensura, et numero et pondere disposuit*... Quod quidem manifestum est non solum in primariis mundi partibus, in cœlis, in stellis, in sole et luna, in elementis et anni tempestatibus... sed etiam in vilissimis vermiculis eorumque organis... in plantis et floribus...
Matth. 6. *Respicite volatilia cœli... considerate lilia agri...*

Peculiaris tamen ipsi cura de hominibus, quorum se
Ibid. Patrem vocat.. *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis...*

Nihil evenit casu respectu Dei... omnia providentia sua
Rom. 8. dirigit, permittit... *convertens omnia* quæ eveniunt, *in bonum diligentium se*... Deinde quidquid modo inordinatum videtur, ipse postea ad exactissimam justitiæ æqualitatem, et pulcherrimum ordinem revocabit...

O Pater benignissime, qui providentia adeo mirabili prospicis creaturis omnibus... at iis multo magis qui confidenter se projiciunt in manus tuas, seque penitus providentiæ tuæ dirigendos committunt... da mihi, quæso, filialem hanc fiduciam, meque totum suscipe gubernandum...Fac de me sicut scis et vis,nam scio quod amator sis...

III P. BENEFICIA. — Considera, anima mea, bona quæ tibi in divina providentia latent, ut eam ames et in ea confidas perfectius. Nonne creavit me, et velut mater usque portavit in sinu ?... Nonne ipsa fons est et datrix virtutum ac gratiarum quibus sanctificamur... item bonorum temporalium quibus indigemus?... Nonne præservat nos a malis, vel ab iisdem jam incumbentibus nos liberat?...

O Providentia suprema, quæ *aperis manum tuam ut*
Psalm.103. *omnia impleantur bonitate*... adoro et glorifico te tanquam reginam et matrem meam... esto mihi semper protectrix, consolatrix et adjutrix in omnibus.

De sapientia Dei.

Pr. 1. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Rom. XI, 33.

Pr. 2. Ut aliquatenus apprehendens infinitam Dei sapientiam, me humiliem coram ipsa, magisque ejus amore inardescam.

I. Quomodo sapientia Dei sit infinita ; II. quomodo inventrix rerum ; III. quomodo operatrix et executrix.

I P. SAPIENTIA INFINITA. — Deus est infinite sapiens, quia lux intelligentiæ et objectum intelligibile in ipso sunt cum perfectione infinita...

Deus est ipsa sapientia per se subsistens, in qua omnis plenitudo sapientiæ continetur... Cum infinita claritate comprehendit essentiam suam, processiones personarum et ipsas divinas personas... Deinde, unico intuitu simplicique aspectu, qui sese ab una ad alteram æternitatem extendit, tanquam in nitidissimo speculo videt omnia possibilia, innumeros mundos quos ad existentiam vocare, innumerasque creaturas quas ad omnigenam suæ essentiæ imitationem fingere posset... Præterea, omnia quæ creata vel creabilis potentia quælibet efficere valet... Insuper, omnia quæ essent eventura posita qualibet hypothesi, quæ dicuntur futura conditionata, suntque infinities infinita... Demum, videt omnia quæ sunt absolute futura in omnem æternitatem, cum omnibus circumstantiis.

Quanti thesauri sapientiæ et scientiæ Dei !... Quid est, et quam contemptibilis omnis sapientia hominum divinæ sapientiæ comparata !... Ubi nunc eruditorum in naturæ investigationibus superbia ?... Recte et majore cum lumine dicam, quod olim Socrates : *Hoc unum scio, me nihil scire...*

Ex eo quod uno intuitu totam comprehendit æternitatem, ab æterno et usque in æternum, sequitur, divinam sapientiam æquali claritate contemplari præterita, præsentia et futura... Videt res præteritas a principio mundi ita sibi præsentes, ac si revera non transiissent... non obliviscitur peccata quæ puniet, nec bona opera, quæ remunerabit...—

Cognoscit res præsentes in mundo universo, secreta cordis occultissima, cogitationes, desideria, proposita, intentiones absconditas, et quidquid nec angelus cognoscere pos-
Hebr. 4. sit : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus*... Quare vide, anima mea, ne quid deordinatum lateat in abscondito cordis tui... — Novit omnes res futuras et eventuras per totam æternitatem, quamvis a libero nostro arbitrio pendeant ; et salva prorsus nostra libertate, intuetur liberas nostras actiones, quæ futuræ sunt, quasi jam factæ essent aut nunc fierent... imo etiam conditionate futuras : et hac profundissima sapientia disponit, aut certe permittit, quæ eveniunt, etiam damnationem multorum... Adoro, Domine, inscrutabilia at semper sanctissima judicia tua... et vitam meam, quæso, ita per tuam sapientiam gratiamque dirigas, ut sanctissimæ voluntati tuæ humiliter semper obsequendo, ad salutem merear pervenire...

II P. INVENTRIX RERUM. — Sola sapientia Dei est prima inventrix rerum omnium quæ sunt in mundo : ab eaque procedunt omnes scientiæ et artes ac inventiones in cœlo et in terra... Considera, anima mea, quæ opera perfecit in serie sex dierum, in quibus investigandis tantopere laborant et deficiunt eruditi... Deinde specta creationem hominis, miram utique inventionem, qua terreno corpori conjunxit spiritum immortalem... fecitque ex uno conjugio totam progeniem hominum tanta vultuum et ingeniorum varietate propagari per orbem... atque ex humana mente omnigenas artes, scientias, industrias oriri in mundo...

Dein ascende ad considerandas divinas inventiones in ordine gratiæ... Incarnationem Verbi... Ecclesiam... sacramenta, et imprimis mirabile Sacramentum altaris...

O Sapientia Dei mei !... o Deus scientiarum Domine !... Tibi gloria, a quo omnis creaturarum scientia, sapientia et industria procedit... Da mihi,obsecro, illam quam imprimis me docere voluisti, scientiam sanctorum, ut tibi placere discam in justitia et sanctitate...

III P. OPERATRIX ET EXECUTRIX. — In operando *ad extra* et exequendo consilia sua, divina Sapientia procedit *fortiter et suaviter*... disponens omnia *in numero, pondere et mensura*... Comprehendit numerum rerum omnium...
Sap. 8. Sap. 11.

earumque partium, officiorum et operum... *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*... — pondus quoque uniuscujusque entis et quantitatem, tum materialem, tum moralem et spiritualem, quæ et valor ejus vocatur... — mensuram etiam singulorum entium in longum, latum, altum et profundum... imo mensuram facultatum ac talentorum... — Hæc investigare potes, anima mea, in hominibus... ut mireris sapientiam Ejus, qui omnia tali ordine bonitatis et perfectionis disposuit... Matth. 10.

O Sapientia infinita, quæ statuis omnia in numero, pondere et mensura, eadem ratione, quæso, dispone res omnes animæ meæ... augens in ea numerum bonorum operum, pondus ferventium affectionum, et mensuram tuarum gratiarum....

De omnipotentia Dei.

Pr. 1. *Dixit Dominus ad Abraham : Ego Deus omnipotens : ambula coram me et esto perfectus.* Gen. XVII, 1.

Pr. 2. Ut omnipotentiam Dei mei contemplando, firmissimam in eo fiduciam nanciscar eumque diligam perfectius.

I. Quomodo omnipotentia Dei sit infinita ; II. quomodo solius Dei propria ; III. quomodo benefica erga creaturas.

I P. INFINITA. — Deus per essentiam suam est ipsa potentia infinita per se subsistens... Omnia potest, quæ nullam in suo conceptu repugnantiam involvunt : *Non est impossibile apud Deum omne verbum*... Luc. 1.

Deus omnia facere potens est quæ mens creata concipere, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ potest... ut infinitos condere mundos huic nostro mundo similes, et alios huic dissimiles... infinitos suscitare populos, angelos, sanctos... Potestas ejus adæquat intelligentiam... et quidquid sua sapientia infinita concipit, quæ infinities plura et mirabiliora sunt, quam ea quæ possunt concipi a mente creata,

id exequi valet... — Et sicut potest facere quæcumque
Psalm. 113. intelligit, ita quæcumque voluerit : *Omnia quæcumque voluit fecit...*

Hinc facere potest infinito plures res quam fecit... O Deus, si adeo mirabilis in operibus quæ fecisti, quanto magis in iis quæ facere potes !...

Potest facere quidquid voluerit in rebus et personis quæ existunt, eas mutare, convertere... potest solem sistere, aquam in vinum convertere, mortuos suscitare, peccatores ad resipiscentiam reducere et mutare in sanctos...

Omnia facere potest sine mora temporis, sine labore, infinita facilitate, solo nutu voluntatis suæ et solo verbo... longeque facilius illi esset mille mundos novos excitare, quam nobis nomen *mundus* proferre...

Omnipotentiæ specimen quodpiam sub oculis nostris jacet creatio et sustentatio mundi... Omnia scilicet ista, quæ existere videmus, non tantum creavit ex nihilo ; sed interius singula continet et constringit in unum, ne dissolvantur et diffluant... Ipse enim est omnium entium radix, ex qua veluti pullularunt ; vinculum, quo singula constringuntur ; sedes ac fundamentum, omnia sustentans, ne in nihilum suum relabantur...

Gaudeo, o Deus omnipotens, quod omnipotentia tua constituta sit in manibus justæ, sanctæ, et benignissimæ volun-
Matth. 8. tatis tuæ... Cum omni fiducia ad te venio et dico : *Domine, si vis, potes me mundare...*

II P. SOLIUS DEI PROPRIA. — Solus Deus omnipotens :
Matth. 19. *Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt...* — Quantum abest ut sint omnipotentes homines !... ut vires eorum adæquet voluntatem et desideria !...

I Tim. 6. Imo *solus* Deus proprie *potens est*, quia solus per se et ex se potestatem habet,estque omnis potentiæ creaturarum origo et causa... Omnis enim vis agendi, omnis efficacitas in rebus creatis, in terra, in mari, in astris, in lapidibus, metallis, plantis, animalibus et angelis, tenuis duntaxat
Joan. 15. participatio est potentiæ Dei... *Sine me nihil potestis facere...*
II Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est...*

Reddit autem creaturas suæ potentiæ, imo quasi omni-

potentiæ participes, non tantum dando unicuique ut facere possit quæ suæ naturæ conveniunt... sed etiam hominibus tribuendo potentiam supernaturalem,ad producenda opera salutis meritoria...vel adhibendo eos ut instrumenta sua ad remittenda peccata, ad miracula patranda... *Omnia possum in eo qui me confortat...* — *Si credis, omnia possibilia sunt credenti.* Philipp. 4. Matth. 9.

O Deus omnipotens, gratias tibi ago propter eam partem supremæ tuæ potentiæ, quam servis tuis communicas...In te confido, et per te faciam quidquid mihi faciendum jubes. Auge tantum mihi fidem, qua debeo potentiam tuam mutuari...

III P. BENEFICA. — Omnipotentia Dei, semper occupata in benefaciendo nobis, una cum sapientia ac benignitate principium et fons est, unde nobis omnia dona Dei proveniunt... Hæc enim tria attributa velut *tres digiti sunt quibus* non tantum *appendit molem terræ*, sed cœlos quoque, angelos et homines sustentat, juvat et ad ultimum finem perducit... Isaï. 40.

O Deus trine et une, æque sapiens et potens, æque potens ac bonus, atque in omnibus infinite, fac ut agnoscens innumera beneficia quæ a te proveniunt... te propter illa ferventer diligam, fideliter serviam et obediam fortiter in sæcula. Amen.

De Charitate Dei.

Pr. 1. *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo.* I Joan. IV, 16.

Pr. 2. Ut ineffabilem Dei charitatem contemplans, eodem igne vehementius accendar.

I. Charitas Dei in se spectata. II. Charitas Dei erga creaturas. III. Charitas Dei erga justos.

I P. IN SE. — Charitas, virtus quædam præstantissima, est amor amicitiæ supernaturalis, inter duas vel paucas personas, quæ se invicem propter se, seu ob propriam

cujusque excellentiam diligunt : ex qua dilectione sequitur mutua beneficentia et communicatio bonorum...

Deus, inquit Joannes, *charitas est :* nimirum ipsa charitas infinita, increata, per se subsistens... principium et fons omnis charitatis creatæ... Quidquid enim charitatis in Ecclesia terrestri vel cœlesti diffunditur, participatio est et quasi radiatio charitatis divinæ...

Exercetur autem infinita Dei charitas imprimis erga se ipsum, quæ operatio interna est ac divinissima. Infinitus scilicet amor charitatis ardet inter tres personas sanctissimæ Trinitatis, in quibus eminentissime omnes conditiones inveniuntur perfectæ amicitiæ : æqualitas nimirum, paucitas, excellentia propria personarum, conjunctio voluntatum, communicatio bonorum omnium, et in amando constantia...

Ex hac consideratione magnos hauriam affectus gaudii et fiduciæ... cum ille divinus amor ad intra, origo sit amoris quem Deus habet erga creaturas... et amicitia sanctissimæ Trinitatis causa exemplaris, amicitiæ ejus et charitatis erga angelos et homines... *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos... Sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint...*

O sanctissima Trinitas ! quæ tota es charitas et amor purissimus, redde me tuæ charitatis participem, tuoque divino igne me succende.

II P. ERGA CREATURAS. — Deus omnes suas creaturas amat... imo non fecit eas nisi ex amore, quia eas amavit et existere voluit... Scilicet in Deo amare efficaciter et velle idem est ac facere , quapropter vocem *velle* pro *amare*
Psalm. 17. Scriptura adhibet : *Salvum me fecit quoniam voluit me...*

Amor Dei erga creaturas universalis est, nec quidquam
Sap. 11. ex eo excluditur, eo ipso quod habet esse : *Diligis omnia quæ sunt*, inquit Sapiens, *et nihil odisti eorum quæ fecisti...* Ergo, quoniam existo, quoniam Dominus dignatus est me creare, certus sum me esse objectum amoris ejus... dedit mihi vitam, eamque mihi conservat, quia vult et amat
Jerem. 33. me, imo ab æterno amavit... *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans...*

Gratias tibi ago, Deus, quod ineffabili hac charitate tuas

diligas creaturas... Quid retribuam ?... Quod tibi reddere non possum, id proximo meo dabo ex amore tui...

Deus incomparabiliter plus amat hominem, factum ad imaginem suam, quam creaturas reliquas, quas propter hominem condidit, conservat et amat... In istis amat hominem, sicut pater in bonis quæ filio suppeditat, suum filium diligit...

Et quidem Deus diligit homines omnes, nullo excluso. Quamvis enim peccatum abhorreat, et peccatorem, qua malus est,oderit, non tamen odit ejus naturam, nec bonum quod ipsi contulit... Quem amorem universalem vult nos imitari, dicens : *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos...* Matth. 5.

O amantissime Pater, accende cor meum igne charitatis tuæ... ut te super omnia, et omnes homines, tanquam filios tibi charissimos diligam affectu et opere...

III ERGA JUSTOS. — Tantus est Dei amor erga justos, ut cum eis veram ineat amicitiam, quoad inter Creatorem et creaturam id fieri potest. Ad veram amicitiam requiritur æqualitas, bonorum communicatio et animorum conjunctio. Jam vero ut sit requisita æqualitas, Deus hominem elevat supra naturam suam, *donans ei maxima et pretiosa promissa* gratiæ, ut *per hæc efficiatur divinæ consors naturæ*... Nos filios suos facit et hæredes... nostras animas accipit *in sponsas ac sorores*... O Deus amantissime !... II Pet. 1. Cantic. 4.

Ut sit bonorum communicatio, se ipsum et omnia sua nobis largitur, *omnia*, inquiens, *mea tua sunt*... Cui communicationi nonne oblatio ex parte mea respondere debet ?... Dicam ergo : Sume, Domine, et suscipe omnem meam libertatem, quidquid habeo et possideo... Luc. 15.

Hinc oritur unio illa, qua ipse in nobis et nos in ipso... qua desiderat cum suis esse, conversari et familiariter agere... qua eis aperit secreta sua : *Omnia quæcumque accepi a Patre meo nota feci vobis*... ac denique eos deducit in cœlum ubi communicatio et unio consummabitur. Joan. 15.

Dulcissime Deus, qui in ordine naturali minuisti me

paulo minus ab angelis, in supernaturali autem me iis similem fecisti, imo similem tibi... da mihi, quæso, amare te in terra, sicut angeli te amant et laudant in cœlo...

De proprietatibus charitatis Dei.

Pr. 1. *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum.* Ephes. III, 18.

Pr. 2. Ut ineffabilem Dei mei charitatem considerando in sancto ejus amore crescam.

Quatuor hæ sunt divinæ charitatis proprietates : I. longitudo ejus; II. latitudo ; III. sublimitas ; IV. profundum.

I P. LONGITUDO. — Divinæ charitatis quasi longitudo dici potest ejus duratio æterna. Est enim charitas Dei
Jerem. 33. æterna, absque principio : *In charitate perpetua,* inquit, *dilexi te...* Nonne oportet ut *nos diligamus Deum,*
I Joan. 4. *quoniam ipse prior dilexit nos?...* Utinam, Domine, ego te semper dilexissem !...

Æterna quoque in futurum : quia nunquam quod in se est, finem habitura, nisi ego ipse desim et amicitiam rumpam... O amator æterne et immutabilis, da mihi amo-
Rom. 8. rem tuo amori similem, charitatem a qua *nihil me possit*
Cantic. 8. *separare... quam aquæ multæ non possint extinguere...* Quod si unquam ex humana fragilitate amicitiæ tuæ filum abscindam, excitet me amor tuus ut velociter ad te revertar.

II P. LATITUDO. — Hæc est divinæ charitatis extensio, qua omnes complectitur homines... omnes ad gratiam et amicitiam vocans... nec ullum rejiciens peccatorem...
Sap 11. Nam *dissimulas, Domine, peccata hominum propter pœnitentiam : diligis enim omnia quæ sunt...* nullum scilicet hominem odisti tanquam inimicum, nisi de peccatis pœnitere nolentem... — Et quamvis verum sit quod Deus speciali amore diligat prædestinatos, absolute tamen,
I Tim. 2. quod in se est, omnes amat charitate infinita, et *vult omnes homines salvos fieri,* sibique esse amicos...

Licet ad plurimos se extendat, non ideo charitas Dei minor est singulis ; sed ita singulos complectens,ac si quisque esset solus... Universæ Ecclesiæ, et unicuique animæ sanctæ dicitur : *Una est columba mea*... Ita fere sol singulos irradiat flosculos, quasi esset unicus irradiandus...— Hanc ego charitatem imitabor : omnes et singulos homines eodem amore diligam et ob idem motivum, qui Deus est... Cantic. 6.

III P. SUBLIMITAS. — Divinæ charitatis sublimitas apparet in donis, quæ talia sunt ut sublimiora esse non possint.... Nos elevant ad dignitatem filiorum Dei et hæredum... Dein, ut redemptionem nostram operaretur, naturam nostram exaltavit ad unionem hypostaticam... *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*... Quem dum nobis dedit, *omnia cum illo donavit nobis*... — Præterea in sanctissima Eucharistia se ipsum nobis dat in cibum divinum, ut sese intime nobis uniat et in semetipsum convertat... Accedit sublimitas doni Spiritus sancti, qui est fons charitatis, saliens in vitam æternam... Joan. 3. Rom. 3.

Quantas, Domine, tibi debeo gratias !... Da mihi, quæso, hanc tuæ charitatis sublimitatem imitari, in obsequio tuo res altas ad gloriam tuam perquirere, sublimi intentione propter te semper et propter gloriam tuam operari.

IV P. PROFUNDITAS. — Apparet amoris Dei ac Domini nostri profunditas in humiliationibus quas nostri causa suscepit, *exinaniens et humilians semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis*... — Apparet in abysso judiciorum sapientiæ divinæ erga amicos suos, quos ut exaltet, mirifice probat tribulationibus ac vicissitudinibus variis... nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* : illa etiam quæ videnter contraria, ut defectus et culpæ.... Hæc enim Deus permittit ut ea occasione servi sui magis radicentur in humilitate et amore... — Huc spectant opera vindictæ quam sumit de impiis, et justitiæ quam exercet in servis suis : quæ omnia diriguntur in utilitatem ac profectum eorum qui Deum quærunt... Philipp. 2. Rom. 8.

O Deus meus, dilecte cordis mei ! da mihi, quæso, charitatem charitati tuæ similem : quæ duret in vitam æter-

nam... quæ complectatur omnes personas et opera omnia... quæ ita sublimis sit intentione, ut nunquam se ad propria aut terrena commoda dimittat... atque ita humilis, ut humiliationes omnes, labores et contemptus pro dilecto sustineat...

De desiderio divinæ Charitatis respectu nostri.

Pr. 1. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* Matth. XXII, 37.

Pr. 2. Ut secundum Domini voluntatem ac desiderium, totus inflammer igne divinæ charitatis.

Præter infinitam Dei amabilitatem in se, et ineffabilem amorem quo nos dilexit, tertium illudque efficax datur nobis mutuæ erga Deum charitatis incitamentum, de quo hæc instituetur meditatio : desiderium nempe quo ardet divina Charitas ut a nobis diligatur. Apparet autem desiderium istud, I. in præcepto, II. in auxiliis datis, III. in præmiis, quæ amantibus proponit.

I P. PRÆCEPTUM. — Tantopere cupit divina Charitas a nobis redamari, ut in Deuteronomio et in Evangelio solemne statuerit hujus rei præceptum : *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex tota virtute et ex omnibus viribus tuis*... cum omni videlicet perfectione nobis possibili, nec ulla servata mensura... Quantum scilicet potes, tantum ama...

Deut. 6. Matth. 22.

Et quidem hoc vocat Christus *primum et maximum mandatum*... nempe *primum*, quia fundamentum reliquorum, fundamentum spiritualis vitæ, et radix omnis perfectionis... *primum* quoque dignitate, quia jubet supremum virtutis actum... *primum*, quod attinet ad meritum, quia charitas prima causa est meriti æternæ vitæ... *primum* denique efficacitate, quia causa est observationis omnium mandatorum ; ideo additur, *ab eo pendere universam legem*...

O Amator æterne, fac ut diligam te *ex toto corde*, mortificans in corde omnem amorem proprium, ut solus remaneat amor tuus ; ex tota *voluntate*, nihil volens nisi quod tu; ex tota *anima*, refrenans omnes passiones, ut omnes affectus tendant ad te ; ex tota *mente*, captivans intellectum, abnegans judicium, in obsequium tuæ fidei et executionem tuæ voluntatis ; ex omnibus *viribus*, mortificans sensus meos et applicans facultates animæ ad legis tuæ observationem...

II. P. AUXILIA. — Cupiens a nobis diligi, amantissimus Dominus vires nobis et efficacitatem ad id præbet. Nam primo infundit nobis virtutem charitatis... et suggerit internas inspirationes et externa exempla, quibus excitat nos, ut actus eliciamus divinæ illius virtutis *quæ diffusa est in cordibus nostris*... Deinde, non tantum charitatem dedit nobis, sed et ipsum charitatis fontem, Spiritum sanctum... imo Pater et Filius sese dant nobis, ut nos in charitate conservent et perficiant : *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*... Rom. 5. Joan. 14.

O divina Charitas, fons aquæ vivæ, qui manens in corde terreno, illud ad cœlum elevas et summæ Trinitati conjungis, da mihi ardorem charitatis tuæ, ut diligam te sicut me dilexisti et diligis...

III PRÆMIA. — Ut rebellia nostra corda velut ad amandum compelleret, præcepto et auxiliis addidit præmiorum et pœnarum sanctiones. Promittit enim vitam æternam nobis ita, ut secundum charitatis mensuram daturus sit gloriam. *Qui diligit me*, inquit, *ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum*, in visione scilicet beatifica... et quo amplius me dilexerit, eo videbit clarius et exaltabitur sublimius... *Non in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*... Joan. 14. I Cor. 2.

Jam in hac vita cœlestes favores concedit proportionatos amori animarum... *In viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam*... Prov. 8.

Da mihi, Domine, totis viribus te amare, ut ita dona tua recipere dignus efficiar.

Ex altera parte minatur omnia mala et æternam damnationem iis, qui præceptum amoris servare nolunt : *Qui non diligit, manet in morte* animæ, cui reservatur sepulchrum I Joan. 3.

1 Cor. 16. inferni... — *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema :* in die judicii separetur a justis...

Ergo omni motivo urgeor ut amem Dominum Deum meum : imprimis quidem propter se ipsum, propter suam bonitatem atque amabilitatem infinitam... et propter amorem beneficum quo me persequitur... deinde etiam ob timorem pœnarum ac spem præmiorum...

Quis te non diligat, o Deus, infinite amabilis in te !... Quis non diligat te Patrem amantissimum, qui tot benedictiones effundis super diligentes te !... O dilecte mi Deus, infinitam mihi gratiam concedis dum tribuis ut possim te amare... at hoc tuæ charitati non sufficit, nisi me ad amandum te quasi necessitate constringas !... quasi tua interesset non minus quam mea !... Da mihi, quæso, similiter mei prorsus oblitum, te unicum ac summum bonum diligere : cui sit honor et gloria in æternum.

De præeminentia misericordiæ in Deo.

Pr. 1. *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Psalm. 144.

Pr. 2. Ut spectata misericordia Dei infinita, magis magisque tantæ bonitatis amore inardescam.

I. Misericordia Dei in se ; II. in mundo ; III. erga justos ; IV. erga peccatores.

I P. MISERICORDIA IN SE. — Misericordia Dei, seu benignitas et indulgentia erga miseros omnes, præsertim vero erga peccatores... sicut reliquæ perfectiones divinæ, infinita est...

Deus est ipsa misericordia subsistens... ac fons, omnis effectus miserendi in angelis et hominibus...

Etsi infinite misericors, et quantum in ipso est, totum genus humanum, omnesque peccatores vult a peccatis et ab æterna miseria liberare atque ad salutem transferre... in exercitio tamen, misericordiam justitia temperare
Psalm. 84. debet, secundum sapientiæ mensuram,... *Misericordia et*

veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt...

Quod si æqualiter infinitæ sunt omnes perfectiones Dei, et in particulari, infinita quoque est justitia vindicativa... magis tamen cæteris manifestatur misericordia... *Miserationes ejus super omnia opera ejus... Misericordia Domini plena est terra...* Psalm.144. 32.

Hanc quoque imitandam nobis enixe proponit : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est...* — *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra...* Luc. 6. Matth. 6.

De operibus misericordiæ magis gloriatur, eaque celebranda vult in æternum... *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalm. 88.

Ipsa justitia quam exercet in hoc sæculo pro fine habet misericordiam, ut peccator, flagello eruditus et resipiscens, veniam accipere possit... Impœnitentes autem impios damnat invitus : *Numquid voluntatis meæ est mors impii? dicit Dominus...* Ezech. 18.

Etiam in altero sæculo punit infra meritum, cum juste posset, ut S. Thomas docet, acriora supplicia damnatis irrogare...

O Deus misericordissime, qui non lætaris in perditione vivorum, præveni, quæso, misericordia tua culpas nostras, ne iis per justitiam tuam cogaris inferre supplicia...

II P. MISERICORDIA IN MUNDO. — Argumentis innumeris suam Deus misericordiam manifestavit ; præcipua autem continentur in redemptione humani generis, effectam per ipsum Filium Dei unigenitum, qui homo factus, peccata nostra in se suscepit et proprio sanguine in cruce expiavit... *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est...* — *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto...* remediaque paravit omnibus necessitatibus nostris... — Quomodo tantæ misericordiæ respondebo ?... Rom. 5. Luc. 1.

III P. MISERICORDIA ERGA JUSTOS. — Deus misericordiam

suam manifestat in justis et electis, quos assumit in *vasa misericordiæ*, instrumenta videlicet, in quibus abyssum misericordiarum suarum ostendat... Hæc misericordia
Psalm.102. est æterna, nec principium habens nec finem : *Misericordia Domini ab æterno et usque in æternum super timentes eum*... Electum prævenit, comitatur, et usque ad mortem sequitur; post mortem exaltat in gloriam...

O Deus et Pater misericordissime, quomodo misericor-
Gen. 32. diam tuam laudabo?... Prorsus *minor sum cunctis miserationibus tuis*, nec eas in hac mortali vita digne valeo
Psalm. 38. celebrare : da ut *in æternum misericordias tuas cantare* possim.

IV P. ERGA PECCATORES. — *Dominus*, inquit S. Petrus,
II Pet. 3. *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*... — *Fidelis sermo, et*
I Tim.1,2. *omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*... Scilicet ineffabilis illa misericordia extendit se ad peccatores prorsus omnes, quantumvis obduratos... exspectans eos... imo vocans et invitans ut pœnitentiam agant... condonans eis facillime delicta omnia, quorum postea non amplius recordatur...

Peccatores etsi sæpius relapsos, non solum sustinet patienter, nec eos puniendo ; sed revocat et quasi persequitur aberrantes... redeuntes non dure excipit, nec improperat pristinam ingratitudinem, sed benigne amplectitur, eosque in pristinum gradum filiorum restituit... Nec semel tantum, aut bis vel ter in gratiam eos recipit ; sed centies et millies, quod prorsus inter homines sine exemplo est... demum paratus semper peccata nostra omnia condonare, si ex animo doleamus et veniam petamus...

O misericordissime Deus et Pater misericordiarum, quas gratias et laudes tibi pro infinita misericordia reddemus?... Quanta fidelitate, quanto amore debemus tibi deinceps servire?...

De devotione erga SS. Eucharistiam. Hujus sacramenti excellentia.

—

Pr. 1. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.* Psalm. 110.

Pr. 2. Ut crescam fide et devotionis ardore erga sanctissimum Sacramentum.

I. Quanta sit SS. Eucharistiæ excellentia. II. Quem cultum sanctissimæ Eucharistiæ debeamus.

I P. EXCELLENTIA. — Divini hujus Sacramenti excellentia inde patet, quod in eo possidemus ipsum Jesum Christum, Filium Dei ac Salvatorem nostrum... non ut in imagine... aut in persona altera, prout est in suo ministro... sed in propria persona, sicut olim conversabatur cum discipulis antequam cœlum conscenderet, et nunc habitat in cœlo cum angelis et sanctis... illic tamen visibilis, hic in Sacramento invisibilis et sub speciebus panis et vini occultatus... Credo, Domine Jesu... sed auge, quæso, fidem meam ut credam firmius...

Sic autem Christus Dominus in Sacramento est, ut triplicem induat qualitatem : victimæ, in missæ sacrificio... cibi, in sacra communione... amici et consolatoris, in Sacramento jugiter permanente...

Quanta Domini bonitas, quantus amor !... Quid retribuam ?...

Deinde, nonne sanctissimum altaris Sacramentum, centrum est totius cultus christiani ? Sicut centrum totius orbis catholici Roma, totius parochiæ templum... ita ipsius templi et cultus centrum Eucharistia est, ad quam omnia religionis officia referuntur... In ecclesia enim militanti idem obtinet, etsi sub velamine fidei, quod in Ecclesia triumphanti vidisse se Joannes in Apocalypsi describit : in medio scilicet throni omnipotentis Dei, Agnum quasi occisum, videlicet Christum Jesum, et in circuitu ejus angelos et presbyteros, atque omnigenos sanctos, inter quos eminent virgines... *Post hæc,* inquit, *vidi, et ecce ostium apertum in cœlo... et ecce sedes posita erat, et supra sedem* Apoc. 4. et 5.

sedens (Altissimus)... *et in circuitu sedis viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis... et ecce in medio throni et seniorum, Agnum stantem tanquam occisum... et seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum...*

Apoc. 14. *Et vidi cum Agno centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis... hi sequuntur Agnum quocumque ierit, virgines enim sunt...*

Nonne præterea SS. Eucharistia fons vitæ est, et quasi cor in corpore mystico Christi, quod est Ecclesia?... nonne radix arboris mysticæ, quæ sanctitas est fidelium?... Nonne sol et focus est pietatis, ex quo omnis devotio ac fervor emanat in animas?...

Quid si perpendantur effectus Corporis Domini in iis qui pie communicant? *Mens eorum impletur gratia*, puritate, charitate, fortitudine salutari... quali impletus est Elias ex panibus subcinericeis: *Qui cum surrexisset,*

III Reg. 19. *comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb...*

Da mihi, quæso, Domine, ita semper Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari ut redemptionis tuæ fructum in præsenti vita et in futura jugiter merear sentire.

II P. CULTUS SS. SACRAMENTO DEBITUS. — Nonne debemus Eucharistiæ mysterio eumdem cultum qui Deo ac Domino nostro Jesu Christo debetur?... quandoquidem Sacramentum istud aliud non est quam idem Christus Dominus, etsi sacramentalibus speciebus velatus...

Cultus itaque ei exhibendus imprimis internus per fidem... fiduciam... amorem ac gratitudinem...

Cultus quoque externus, per missarum solemnia... per publicas adorationes ac laudes... per pias frequentesque visitationes... per sacræ Communionis frequentationem... per ornatum ac magnificentiam templi et altaris: *Domine,*

Psalm. 25. *dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ...*

Concede mihi, dilectissime Jesu, eximiam erga sacra tua Mysteria devotionem, in fide vivida fundatam, qua delicias

meas apud te inveniam qui delicias tuas ponis esse cum filiis hominum... qua ipsemet te digne colam, et fideles tuos ad te colendum inflammem.

Devotio erga Sanctissimum. Consolatio.

Pr. 1. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo Jesus eucharisticus me ad se vocet, utque omnem consolationem ab ipso accipiam.

I. Qualis sit Christi invitatio. II. Ubinam divinus invitator adiri possit. III. Quomodo adiri debeat.

I P. INVITATIO. — *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*... Dulciora sane verba ex humano ore nunquam prodierunt : offerunt enim solatium, remedium plenum, *refectionem* omnibus prorsus miseris, quantocumque malo laborantibus ac gravatis...

An verba hæc, sicut sunt magnifica, ita etiam sunt vera ?... Si essent verba meri hominis vera non forent... Quis enim homo dicere potest quibusvis miseris : *Reficiam vos ?*... — At verba sunt Christi, Filii Dei...

Ad quos autem diriguntur ? Ad omnes prorsus homines a Deo creatos... cujusvis sint ævi vel generationis... Ergo etiam ad homines præsentis temporis... Ergo etiam ad me. Quænam itaque vel quanta est miseria mea ? En remedium mihi a Domino Jesu oblatum... An id credo ? Quod si vere credo, quare divinum medicum adire negligo ?

Et cur passim tam tardi sunt homines ut divinum adeant consolatorem ?... Non hæc profecto est causa quia solamen non volunt ; sed quia non credunt, aut quia dumtaxat fide credunt debili et inefficaci....

O bone Jesu, credo te esse in adorabili Eucharistia vere præsentem : sed fidem meam, quæso, adauge... et adauge fidem omnium in te credentium.

II P. ADITUS. — Ubinam divinus consolator invenitur,

ut ab hominibus adiri possit?... Num possumus adscendere in cœlum ubi Christus sedet ad dexteram Patris?... Non sunt profecto inania vel derisoria verba Veritatis æternæ : *Venite ad me*... Quapropter nobis in hac terra degentibus aditus ad Christum patere debet, non minus quam coævis discipulis ejus...

Ubinam autem aditus ille est? Ubi accedere ad Dominum meum possum ? An in sacro Pœnitentiæ tribunali ?... Ibi utique mirabiliter Christum invenio... sed mirabilius in alio sacramento, in sanctissima videlicet Eucharistia : mirabilius, inquam, et plenius. Etenim in Confessionali quidem Christus mecum agit in persona sui ministri ; in Eucharistia vero in propria sua persona... Gaude, anima mea, et gratias age ob grande, mirabile, ac dulce dogma præsentiæ realis !... O bonitas, o amor Jesu, nobiscum etsi sub velamine, cum sua humanitate commorantis !... Quis tam amantem non redamet ? Quis ad hunc misericordiæ thronum non accedat ?...

III P. ADEUNDI MODUS. — Non tam corporali quam spirituali motu ad Christum eucharisticum acceditur. Habet scilicet et anima motum suum, quo sese elevando ad Deum appropinquat : nimirum per fidem... fiduciam... amorem ac desideria sancta... — Sic dum credit vivide Christum Dominum realiter adesse præsentem, ipso hoc fidei actu velut ad pedes ejus transfertur et prosternitur... An ita, anima mea, credis? an ita ad Jesum eucharisticum accedis ?...

Accedimus etiam ad Christum eucharisticum corporaliter, dum templum adoraturi ingredimur... missæ sacrificio intersumus... et præsertim quotiescumque ad sacram altaris mensam accedimus, ut corpus ac sanguinem Domini conficiendo atque sumendo, cum ipso unione ineffabili eademque sanctifica conjungamur.

O misericordia et munificentia Dei nostri ! *Quænam est* aut fuit aliquando *tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster ?...* Deut. 4.

Domine Jesu, adauge mihi fidem, fiduciam et amorem, ut digne accedam ad te, populumque tuum ad te devote adducere valeam.

Devotio erga Sanctissimum. Institutio.

Pr. 1. *Pridie quam pateretur*, facturus id quod antea fuerat figuratum et promissum, *accepit Jesus panem... et calicem, deditque discipulis dicens : Hoc est corpus meum... hic est sanguis meus... Hoc facite in meam commemorationem.* I Cor. XI, 23; Matth. XXVI, 28.

Pr. 2. Ut intelligam immensum amorem Domini in institutione venerabilis Sacramenti, et erga eum novo amore accendar.

I. Instituendæ Eucharistiæ motiva; II. obstacula; III. executio.

I P. MOTIVA. — Quare Christus Dominus venerabile Sacramentum instituere voluit? Nonne imprimis ut satisfaceret amori suo erga nos, cum abesse a nobis, etsi corporaliter tantum, sustinere non posset... necessitate tractus ut nobiscum esset, sicut mater cum dilectissimis infantibus... Vere : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos...* Semetipsum dare in cibum suis ovibus, suis filiis... nonne res inaudita, quæque amorem supponit qualis inter homines non invenitur?... Joan. 13.

Dein, mysterium hoc instituit Dominus, ut nos, discipuli ejus posterioribus sæculis viventes, nihilo deteriores conditione essemus ipsius discipulis coævis. Potuissemus enim conqueri et dicere : Nos miseros! fratres nostri, primi christiani cum divino Magistro vixerunt... nos vero præsentia ejus orbati sumus...

Gratias tibi, Domine Jesu, quod in consiliis amoris ac sapientiæ tuæ medium inveneris, quo non minus nos quam primævi discipuli, præsentia tua frueremur... Adauge, quæso, mihi fidem ad fruendum tanto bono necessariam.

II P. OBSTACULA. — Multa Dominum ab hac institutione deterrere debebant : 1° Nostra paupertas et inopia ad digne talem Hospitem inter nos excipiendum, possidendum, colendum... Multis in locis populus vix pauperculam habet ecclesiam, vile tabernaculum... Non dedignatur Rex gloriæ in illis habitare... neque ad pauperes infirmos introire...

2° Nostra obstabat negligentia et tepiditas. Cum deberent

homines esse assidui ad pedes ejus, novimus quanta sit multorum oblivio et indifferentia... Num ego hic sum irreprehensibilis ?...

3° Obstabat vel ipsa hominum malitia, ingratitudo, audacia sacrilega... Neque illa Domini charitatem impediverunt quominus maneret nobiscum, omnibus diebus, etiam maxime turbulentis. *Aquæ multæ non poluerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam...*

Cant. 8.

Da mihi, Domine Jesu, hanc tuam charitatem intime agnoscere et imitari...

III P. EXECUTIO. — Quomodo Dominus mirabilem hanc institutionem executioni mandavit ? Primum, eam figuris multis, ut agno pascali, vino in Cana, ac panibus multiplicatis præsignavit... et quidem præcipuo quodam modo per manna deserti, de quo dicit sapiens : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem... Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderunt conservat...*

Sap. 16.

Deinde vero eamdem institutionem promisit, occasione capta ex multiplicatione panum... quod miraculum cedere dicebant Judæi miraculo manna, dati patribus a Moyse. Respondit Dominus : *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita...*

Joan. 8.

Demum, cum præstitutum tempus advenisset, promissum Sacramentum instituit, in cœnaculo grandi, strato... pridie passionis suæ... postquam lavasset discipulorum pedes... Ut ita doceret nos mysteria sua digne tractare... cum debita magnificentia externa, nec minore puritate interna... memores passionis ejus... *Mortem Domini annuntiantes donec veniat.*

1 Cor. 11.

Luc. 1.

O anima mea, nonne *magna fecit tibi qui potens est?...* Nonne hic exultandum in Domino et clamandum : *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta, fecit animæ meæ ?...*

Psalm. 65.

Nonne ex animo decendum et semper repetendum cum Ecclesia : *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui?...*

Quid retribuemus tibi, Domine, pro tantæ institutionis beneficio?... Da nobis, quæso, mysteria tua digne semper ac devote tractare, ad sanctificationem animarum nostrarum, ut amore tuo exardescentes, gratitudinem tibi dignam exhibere possimus...

Devotio erga Sanctissimum. Institutionis finis.

Pr. 1. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.* Psalm. 110.

Pr. 2. Ut intelligendo thesauros in divina Eucharistia reconditos, fide ac devotione erga hoc mysterium crescam.

I. SS. Eucharistiam instituit Dominus ut sit monumentum; II. ut sit symbolum; III. ut sit fons gratiarum.

I P. MONUMENTUM. — Sanctissimum altaris Sacramentum memoriale est, *memoria* scilicet illa quam *fecit Dominus mirabilium suorum*... Monumentum hoc, non marmoreum et fragile ; sed vivum et prorsus perenne... ipsa nempe humanitas Filii Dei, corpus et sanguis ejus, specietenus separata...

Hoc autem monumento velut in compendio continentur, et omnibus generationibus narrantur mirabilia atque mysteria Dei ac Salvatoris nostri, præcipuaque fidei nostræ dogmata. Illic enim consideranti animæ facile apparebit mysterium SS. Trinitatis... peccati originalis ac redemptionis... incarnationis, mortis ac resurrectionis Filii Dei... gratiæ quoque et vitæ æternæ... Præcipue vero repræsentatur ac recolitur memoria passionis Domini, idque duplici modo : 1° externis speciebus panis et vini, quæ corpus et sanguinem Domini exhibent quasi separata... 2° re interna,

oculis fidei dumtaxat spectabili... adest enim corpus Domini quod fuit in cruce immolatum... adest simul fide perspicua misericordia Dei, justitia, exempla Salvatoris...

Da mihi, Domine, in divino tuo Sacramento sancte recolere passionem tuam, tuaque exempla imitari...

II P. SYMBOLUM. — Voluit Christus, ut sacramentale Eucharistiæ signum esset symbolum ac figura, quæ nos ad altissima documenta capienda induceret. Exhibetur enim ut quidam panis, sed panis cœlestis, qui vitam præstat, at veram vitam homini... Proinde docet nos,

Primo, quis sit cibus animæ nostræ satiativus, desideria videlicet explens cordis nostri... qui solus est Christus Jesus... Ipse solus panis de cœlo descendens, omne delectamentum in se habens, Deus meus et omnia...

Secundo, docet quæ sit vita gratiæ. Panis enim ille vivus sustentat atque auget vitam animæ supernaturalem, quæ gratia sanctificans vocatur... estque vere vita nova, animæ nostræ superaddita, et operans per virtutes eidem gratiæ annexas, sicut anima per suas potentias operatur... vita, quæ ipsius vitæ Dei participatio est, hominemque deiformem efficit ac visionis beatificæ capacem...

Tertio, docet quæ sit vita gloriæ, cujus Dominus Jesus in corpore suo, post resurrectionem glorioso, specimen præbet...

Da mihi, o bone Jesu, hæc documenta intellectu capere et opere implere... ita ut nihil in hoc mundo quæram quod non ad vitam illam veram pertineat... utque assidue eamdem vitam ex fonte Eucharistico hauriam...

Zachar. 13. III P. FONS GRATIARUM. — *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem...* Sicut symbolum Sacramenti docet nos veram vitam... ita idem ipsum Sacramentum fontem nobis exhibet gratiarum, ut vitam hujusmodi adipisci possimus. Hauritur autem ex divino illo fonte gratia triplex : videlicet

1° Gratia intellectus : augetur quippe fides et lumen ad clarius fidei veritates perspiciendas...

2° Gratia cordis ac voluntatis : inflammatur enim charitas... et conscientiæ puritas perficitur...

3° Gratia ipsos sensus afficiens : passionum scilicet æstus atque calor temperatur, ut caro spiritui obediat....

O fons amoris, Jesu, inflamma cor meum igne tuo divino, quem in terram sparsisti et cupis vehementer accendi!... O fons puritatis, Jesu Domine, me immundum munda tuo sanguine : cujus una stilla salvum facere totum mundum quit ab omni scelere...

Devotio erga Sanctissimum. Sacrificium.

Pr. 1. *Hoc facite in meam commemorationem.* I Cor. XI, 24.

Pr. 2. Ut Eucharistici sacrificii mysteria intelligendo, eadem semper maxima devotione fructuque valeam celebrare.

I. Eucharisticum sacrificium est excellentissimum; II. sacrificium est commemorativum Christi Domini.

I P. EXCELLENTIA. — Sacrificii nomine intelligitur oblatio, quam homo facit Deo alicujus rei Deo gratæ, obsequii gratia et in signum infinitæ ejus excellentiæ et majestatis... Jam vero, quid æterno Patri offerri potest quod magis illi gratum sit, quam unigenitus ipsius Filius incarnatus, de quo ipse dixit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui?*... O quantum tibi debemus, Salvator mundi, pro tali sacrificio, quo tandem creaturæ datur digne Creatorem honorare!... Et ne oblatio etiam tam pretiosa rejiceretur ob indignitatem offerentis, tu ipse esse voluisti principalis Offerens, *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*... Matth. 3. Hebr. 7.

Missæ excellentia quoque patet ex effectibus. Sacrificium enim istud eminenter quadruplicem effectum producit, in quem sacrificia offeruntur : dignam videlicet Dei adorationem, gratiarum actionem, satisfactionem pro peccatis, et bonorum impetrationem, quibus indigemus, sive temporalia hæc sint sive æterna...

Propter hos fines interesse debeo sacro, vel illud celebrare, nullo limite meam fiduciam coarctando... cum oblata victima infiniti sit pretii, infinitæ virtutis, ut ira

Patris placetur, utque mihi gratiæ ac dona quæ petivero concedantur... An hac fide, anima mea, et hac fiducia es animata ?...

In spiritu autem charitatis intentionem extendere oportet ad proximos omnes, ut sacrificii fructus fratribus meis, universis Ecclesiæ membris, sive viventibus sive vita functis et in purgatorio detentis...

O Pater æterne, si adeo tibi grata fuit innocentis Abelis oblatio, quem invidia fratris Cain occidit ; quanto magis placebit sacrificium innocentissimi Filii tui Jesu, qui vitam suam ineffabili charitate obtulit ut perditis hominibus vitam offerret !... Suscipe, o Pater benignissime, hanc hostiam in remissionem peccatorum meorum... in gratiarum actionem pro innumeris beneficiis tuis... atque in impetrationem copiosam, ut nempe auxilia gratiæ tuæ mihi omnibusque fidelibus abunde concedas ad vitam æternam consequendam...

II P. COMMEMORATIO. — *Hoc facite in meam commemorationem*... Non tantum apostolis et Ecclesiæ suæ ministris potestatem concessit divinam actionem operandi, quam ipsemet in mensa Cœnæ operatus est ; verum etiam injunxit ut eam facerent *in suam commemorationem*... Voluit scilicet ut sacrificium offeratur et sacra communio recipiatur in memoriam sui... ac præcipue in memoriam passionis et mortis suæ...

Cur autem tantopere Domino cordi est ut hæc sui memoria apud nos vigeat ? Ideo sane quia magnum nobis inde provenit emolumentum, et quidem duplex : sic enim inducimur ad gratitudinem Salvatori debitam exhibendam, et ad imitandum exempla ejus.

Dominus noster, ut est summe beneficus, ita quoque pro beneficiis justam gratitudinem requirit... quod quidem officium non tantum æquissimum est, verum etiam gratos animos ad nova beneficia recipienda disponit... Memoriam porro celebrantes Salvatoris pro nobis immolati... hoc quasi compendio cuncta Dei beneficia recolimus... et per divinam victimam, quæ et ipsa insigne beneficium est, dignas æterno Patri referimus gratias... *Vere dignum et justum est*, Ecclesia cantat, *nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, per*

Christum Dominum nostrum... Da mihi, o Jesu, grati animi sensu illud semper sacrificium offerre, quod tu æterno Patri gratias agens obtulisti...

Vult etiam ut mysterium hoc celebremus in memoriam exemplorum, quæ nobis in tota sua vita, sed insignius in passione præbuit... quæque in hoc Sacrificio, in hac Hostia tanquam in vivo speculo relucent... Non enim illic præsens est solummodo ut nos sacramentaliter sanctificet, sed etiam ut exemplis suis nos ad imitationem moveat, et eo quidem efficacius, quod eadem exempla præsentia exhibeantur et continuata...

Quapropter sacerdotibus in Ordinatione dicit Ecclesia : *Imitamini quod tractatis*... Sicut igitur Christus in altari simul sacerdos est et victima, ita ego non tantum sacerdos, sed et victima esse debeo... non mihimet ipsi parcens, sed omnia pro Christo sacrificans, quatenus ejus gloria requirit : quemadmodum ipse omnia pro me sacrificavit...

Dein, auditu fidei audiam eum e Sacramento dicentem : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*... discite a me virtutes, quarum vos dedi et etiamnum do in hoc Sacramento exemplum... discite a me charitatem, misericordiam, liberalitatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, obedientiam promptam et ad nutum... ac demum perseverantiam in his omnibus usque ad finem mundi... Joan. 13.

O Deus virtutum, qui memoriam fecisti mirabilium tuorum dans escam timentibus te : concede mihi ita hæc mysteria celebrare et meditari, ut clarissima tua exempla studeam imitari. Amen.

Devotio erga Sanctissimum. Convivium.

Pr. 1. *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.* Luc. XIV, 16.

Pr. 2. Ut intime intelligendo mysterium sacræ Communionis, ipsemet actum hunc perficiam quam sanctissime, et ad eumdem similiter perficiendum fideles quam studiosissime disponam.

I. Convivium eucharisticum. II. Ejusdem effectus. III. Dispositiones ad illud requisitæ.

I P. CONVIVIUM. — *Homo quidam*, dicit Dominus de semetipso loquens, *fecit cœnam magnam*... Hæc cœna sacra Communio est, cœna vere magna et quidem omni ratione magna...

Cujus mensa, plane catholica, per orbem terrarum extenditur... ad quam invitantur *multi*, nimirum multitudo universa filiorum hominum, totaque humana familia, omnes populi, omnesque generationes...

Cujus sacri convivii mensa, primum in cœnaculo hierosolymitano parata... inde mirabiliter multiplicata mox apparuit per orbem terrarum, in omni loco disposita ubi nomen Christi Domini invocatur.

Ad hanc mensam convenerunt omnes Christi discipuli qui fuerunt ante nos... omnes Sancti : apostoli, martyres, confessores, virgines... ipsa Virgo virginum Maria...

Homo autem ille nobilis, qui mirabilem hanc cœnam paravit, Homo-Deus est, ipse unigenitus Dei Filius, Christus Jesus, Salvator et Pater universæ familiæ christianæ...

Ipse ut bonus pater filiis suis, qui sunt filii adoptivi Dei, cibum paravit, eumque conditioni suæ consentaneum...
Psalm. 127. ut sint *sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ Patris*...

Cibus autem filiis Dei conveniens, nonne debet esse cibus divinus... sicut filiis regum datur cibus regius ?.. Atqui divinus ille cibus non alius est, quam caro et sanguis ipsius Filii Dei... O res mirabilis !...O prodigium cha-
Joan. 6. ritatis tuæ, Jesu ! Panis quem nobis tradis *caro tua est pro mundi vita*...

II. P. EFFECTUS. — Alimenti divini effectus qualis esse potest, nisi divinus ?... Profecto, si quotquot tangebant Dominum in vita sua mortali, sanabantur a languoribus, nonne magis sanabuntur animæ, quæ carnem hanc manducantes tam intime cum ea uniuntur ?... Nonne per virtutem hujus carnis sanabitur anima a languore superbiæ, avaritiæ atque omnis luxuriæ ?...

Nonne eadem anima fecundabitur virtutibus divinis, quarum germina et plenitudinem Christus continet ?... præsertim castitate et charitate ?...

Si ingressus Dominus ad Zachæum, salutem domui ejus largitus est, quid animæ quacum tam intime conjungitur est largiturus ?...

Si adhuc in utero Matris suæ latens, accessu sanctificavit Præcursorem, quomodo sanctificabit animam, cujus intima penetrat ?...

Si venerabilis Simeon eum in ulnas accipiens, sanctitate simul et gaudio repletus est, quanto magis anima, ad sacram mensam eum ulnis fidei et amoris amplectens ?...

O Domine, quam pretiosi,quam desiderabiles sunt sacræ communionis fructus ! Da mihi,quæso, dispositiones requisitas ut eos in sua plenitudine percipere merear...

III P. DISPOSITIONES REQUISITÆ.— Ut effectus hujusmodi sacræ communionis anima consequatur, duo requiruntur præcipua. Primo, ut anima non tantum sit in statu gratiæ, sed etiam immunis, quantum fieri potest a venialibus peccatis... præsertim ab affectu, quo forte venialibus defectibus adhæret, nolens vel negligens eos emendare...

Secundo, necesse est ut fidem habeat vividam... qua Dominum Jesum in Sacramento præsentem intueatur, quasi eum oculis corporeis spectaret ; nec minus certa quam Apostoli cum eum viderent in cœlum ascendere... Hæc fides vivida velut radix est omnis devotionis, reverentiæ, fiduciæ et amoris, quibus accedentes ad sacram synaxim animatos esse decet...

O Domine Jesu, da mihi, quæso, hanc animæ puritatem, da mihi hanc fidem vividissimam, qua aptus efficiar ad fructuum Sacramenti plenitudinem percipiendam.

Devotio erga Sanctissimum. Effectus sacræ Communionis.

Pr. 1. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Joan. VI, 52.

Pr. 2. Ut cognoscam mirabiles Eucharistiæ effectus, eosque quam plenissime consequi merear.

Effectus sacræ communionis in anima similes sunt effectibus, quos producunt panis et vinum in corpore, quique speciebus sacramentalibus figurantur. Jam vero panis et vinum reficit ac roborat vires, corpus incrementis auget ac perficit, et cor lætificat. Similiter Eucharisticus cibus I. animam roborat, II. eam perficit, III. eam sancte lætificat.

I P. ROBORAT. — Nonne vires animæ sicut corporis cito deficiunt et alimento spirituali instaurandæ sunt? et nisi
Psalm. 101. hoc alimento utatur homo, an diu vivere poterit?... *Aruit cor meum*, dicit propheta, *quia oblitus sum comedere panem meum.*

Jam vero Eucharisticus panis confirmat voluntatem, imo ipsas vires inferiores... ad detestandum omni ex parte peccatum... ad vincendas tentationes ac nominatim tentationes
Psalm. 22. carnis... *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me...* Purissima Christi caro peculiari
Zachar. 9. modo alimonia est castitatis : *Frumentum electorum et vinum germinans virgines...*

Panis ille cœlestis roborat nos ad laborandum, ad officia vel gravissima constanter implenda... ad ambulandum in via Domini usque in finem, usque ad montem Dei... *Surge*, ait angelus Eliæ prophetæ, *surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, ecce ad*
II Reg. 19. *caput suum subcinericius panis. Et comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb...*

Roborat nos quoque ad toleranda quævis adversa, sicut roboravit S. martyrem Laurentium qui, ut S. Augustinus
Tract, 27. in Joan. scribit, *quia bene manducaverat et bene biberat* de mensa Domini, *tanquam illa esca saginatus et illo calice ebrius,*
Psalm. 103. *tormenta non sensit...* — Nonne hic vere *panis est cor hominis confirmans?...*

Roborat vires intellectus : et qui manducat panem ange-
1 Reg. 14. lorum melius dicere poterit quam olim Jonathas : *Illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto...*

Intellectum roborat ad credendum... acuit ad intelligenda quæ creduntur... illuminat ad cognoscendum Jesum
Luc. 23. Christum... Discipuli Emmaus *cognoverunt Jesum in*

fractione panis... Aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum...

Adjuva nos, Domine Jesu, ut alimoniæ divinæ qua vescimur jugiter fructus sentiamus... ut *tanquam leones ignem spirantes a tua mensa recedamus...* Chrysost. homil. 61.

II P. VITAM AUGET AC PERFICIT. — Sine cibo et potu non cresceret infans ; apte autem nutritus crescit usque ad convenientem magnitudinem... Insuper idoneus cibus corpori pulchritudinem tribuit : maciem tollit et pallorem, levia vulnera, contusiones atque ulcera sanat, corporique integritatem, nitorem ac roseum decus restituit.

Similiter, mirabilis illius, quem nobis præbet Dominus, panis virtute, anima, ejusque vita crescit *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*.. scilicet usque ad illam perfectionem quam Christus ab unoquoque secundum vocationem ac statum requirit... Ephes. 4.

Crescit autem puritate conscientiæ... ita ut corrigantur vitia, minuantur peccata venialia et defectus...

Crescit virtutibus... præsertim pietate ac fide... mortificatione et castitate... humilitate et charitate...

Da mihi, dulcissime Jesu, ita sanctissimam tuam carnem manducare, ita tecum hisce divinis epulis conjungi *ut unus tecum spiritus efficiar.* 1 Cor. 6.

III P. ANIMAM LÆTIFICAT. — In epulis corporalibus solet esse lætitia, et vino exhilarantur convivæ... *In voce exultationis et confessionis sonus epulantis... et vinum lætificat cor hominis...* Psalm. 41, 103.

At longe excellentior lætitia gustatur in mensa Domini. *Suavitatem hujus Sacramenti,* inquit S. Thomas, *nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur : et recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit, excellentissimæ charitatis...* Opusc. 57.

Quæ quidem lætitia, cum spiritualis sit, non semper in sensibilitatem redundat... ita tamen vera est ac solida, ut consolationem animæ præbeat in omni afflictione... — est autem gaudium fidei, positum in clariori agnitione veritatis... spei, in lucido et propinquo prospectu futuræ gloriæ... charitatis, in amplexu suavissimo divinæ voluntatis, ubi anima dicit : *Cibus meus est ut faciam voluntatem Patris...*

Concludatur meditatio oratione ad Jesum Eucharisticum, qua gratia efflagitetur fructus istos e sacra communione ubertim percipiendi.

Devotio erga Sanctissimum. Communionis fructus.

Pr. 1. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam... in me manet et ego in illo... et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Joan. VI, 55, 57, 58.

Pr. 2. Ut fructus sacræ Communionis cognoscam et eorumdem quam plenissime particeps fieri merear.

Triplex est sacræ Communionis effectus : I. augmentum vitæ ; II. unio cum Christo ; III. transformatio in Christum.

Joan. 6. I P. AUGMENTUM VITÆ. — *Ego sum panis vitæ,* inquit Dominus : *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum...* Quibus verbis clare significat, Eucharistico pane communicari animæ vitam novam, quam æternam appellat, quæque est vita gratiæ...

Cum autem ad manducandum panem hunc filiorum jam vivere supponatur anima vita gratiæ, accipit in Sacramento ejusdem gratiæ augmentum. Auget nimirum Eucharistia vitam animæ adinstar panis corporalis, qui manducantis vitam nutrit, sustentat, totumque hominem roborat, lætificat...

Incrementum itaque affert vitæ gratiæ sanctificantis : quæ cum simul vita sit animæ et opulentia ejus, hanc opulentiam ita auget ut thesauros thesauris superaddat...

Corroborat animam, tria illa veluti vitæ spiritualis elementa nutriendo, fidem scilicet, fiduciam, charitatem... qua velut triplici radice omnes christianæ vitæ fructus oriuntur...

Ita vitam animæ nutrit ut eam sancta quadam dulcedine ac lætitia repleat. Suavitatem hujus Sacramenti, inquit S. Thomas, nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur...

Da mihi, Domine Jesu, ita semper corpus tuum et sanguinem sumere, ut ejus fructus quam copiosissime percipere merear.

II P. UNIO CUM CHRISTO. — *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo...* En unio cum Christo, quæ per eucharisticam alimoniam contrahitur : unio maxime intima, unio exclusiva, unio stabilis. Joan. 6.

Unio ita intima est, ut omnem unionem amicitiæ, qua amicus amicum et externe, et affectu cordis amplectitur, longe superet. Hoc alimento, inquit S. Cyrillus Jerosolymitanus, *concorporei ut ita dicam et consanguinei efficimur Christo...* Et Cyrillus Alexandrinus : *Sicuti si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est : sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur.* Catech. myst. 4. Lib. 4 in Joan.

Christus Dominus cum communicante conjungitur fere ut anima cum corpore, illum quasi totum atque in omnibus suis facultatibus pervadens, sanctificans, novaque vita animans...

Hæc unio est exclusiva, eo nempe tendens ut excludat unionem cum creaturis, præsertim noxiis...

Est unio stabilis : quantum ex parte Christi, perpetua esse debet... Ad animam enim venit ut mansionem apud eam faciat perpetuam... *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Joan. 6.

Ne permittas, Domine, ut unionem hanc beatam peccando dissolvam ; sed sicut tu in me manere dignaris, ita ego, fugiendo profanam omnem necessitudinem, in te perseveranter maneam... in tua scilicet voluntate implenda, in operibus tuis, in oratione assidua...

III P. TRANSFORMATIO IN CHRISTUM. — *Qui manducat me, et ipse vivet propter me...* Propter Christum, seu per Christum vivere, est participem fieri vitæ Christi, quæ ab ipso velut a capite in membra fluit, vocaturque gratia sanctificans... Hæc autem gratia fit in communicante principium spiritualis motus atque actionis, in intellectu, in voluntate, et in operationibus externis... Unde fit ut homo Ibid.

non tam ipse vivat quam Christus in eo, prout significat
Galat. 2. Apostolus scribens : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus*... Utinam, Domine Jesu, ita vivas in me, ut in me cogites, ames, loquaris et opereris...

Hinc homo velut in Christum, ejus prorsus mores induendo, transformatur... Sicut ignis, ubi cum ferro conjungitur, illud candens et ignitum efficit, ita Christus Dominus, animam communicantis, dummodo obstaculum ipsa non opponat, pervadens, in se transmutat...

Cibus Eucharisticus, secus ac alimentum corporale quod in substantiam sumentis convertitur, in se transmutat
Confess. lib. 7. ipsum comedentem... *Non tu me in te mutabis*, dicit Christus apud Augustinum, *sicut cibum carnis tuæ : sed tu mutaberis in me*...

O Domine Jesu, quomodo fit ut toties manducans alimentum corporis tui, nondum in te penitus sim transformatus ?... Tolle, quæso, tolle impedimenta quæ vides in me...

Devotio erga Sanctissimum. Species.

Pr. 1. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator*. Isaï, XLV, 15.

Pr. 2. Ut clare videam oculo fidei Christum Dominum sub speciebus sacramenti absconditum ; simulque documenta iisdem speciebus contenta percipiam salubriter.

I. Quomodo Christus sub speciebus lateat ; II. qua de ratione ita se voluerit occultare.

I P. CHRISTUS LATENS. — Christus Dominus, volens nobis corpus et sanguinem suum in alimentum dare, atque nobiscum sicut pater cum filiis familiarissime manere ; mirabili ac prorsus divina inventione, sanctissimam suam humanitatem sub speciebus panis et vini nobis dedit ita invisibilem, ut visibilibus dumtaxat panis vinique accidentibus obtegatur...

Latet hic absconditus prorsus, ac multo magis quam in

humilitate nativitatis suæ. Tunc enim solum latebat divinitas, velabatur autem pannis humanitas, non ita tamen ut etiam suavissima ejus facies obtegeretur... simulque absconditi Dei gloria ab angelis canebatur... — In cruce quoque latebat sola divinitas, quæ tamen nonnihil naturæ luctu manifesta fiebat... — Hic vero humanitas ipsa latet una cum divinitate, sub speciebus quasi mortuis... nec ullum signum datur, quo magnitudo rei speciebus absconditæ oculis appareat...

O mirabile mysterium... opus simul omnipotentiæ, sapientiæ et amoris !... Sub vili et exigua specie corpus humanum præsens existit cum carne et ossibus et sanguine, corpus videlicet Christi Salvatoris, una cum anima et divinitate... idem demum Jesus Christus, qui in summo cœlo sedet ad dexteram Patris... An credis, o anima mea, hanc veritatem fide vivida ?... Utique credo, Domine Jesu, quia verba tua spiritus et vita sunt et ipsa veritas... credo, sed tu, quæso, adauge, vivifica meam fidem, ut possim *ad te* in tuo Sacramento *venire et accipere vitam æternam.* Joan. 6.

II P. RATIONES. — Cur Christus Dominus voluerit sub hisce speciebus sese abscondere, triplex potissimum causa fuit. Prima quidem, ut nobis exemplum daret humilitatis, occultando omnem suam magnitudinem... et exemplum patientiæ, tolerando despectus tam multorum hominum, qui eum tractant quasi merus panis esset et vinum... Hos ille despectus patitur, quin vel ullum insinuet ultionis indicium... — Da mihi, o Jesu, hæc exempla imitari.

Altera causa fuit ex parte nostra, ut videlicet nostram fiduciam excitaret, adderetque animum ut accedere auderemus, eumque tangere ac suscipere... Nisi enim ita sese occultaret, quis hæc facere non timeret ? Ideoque idem amor qui effecit ut nobiscum maneret Dominus, eum impulit ut ita sese occultaret...

O millies benedictus sit talis amor !... qui suæ celsitudinis oblitus, nostræ se accommodat vilitati, ne viles vermiculi, a tanta majestate perterriti, eam fugerent.

Accedit tertia causa, ut videlicet perpetuum heroicæ fidei exercitium haberemus... subjicientes et captivantes intellectum nostrum *in obsequium Christi*, qui propterea hoc Sacramentum appellari vult *mysterium fidei ;* quasi

per excellentiam hoc nomen illi applicetur... Credo, Deus meus, ex toto corde credo... Quamvis oculi mei panis colorem et figuram videant, odoratus meus panis et vini odorem percipiat, gustatus saporem experiatur ejusdem alimenti... credo nihilominus te hic adesse Filium Dei vivi, fontem omnis dulcedinis et suavitatis...

O Salvator dulcissime, illustra meum intellectum, ut fide vivida agnoscam infinitam pulchritudinem istic latentem, et deliciarum tuarum dulcedine nutriatur ac recreetur anima mea.

Cur autem, latere volens sub specie aliena, sub speciebus panis et vini, non aliis, nobiscum manere decrevit?... Prima ratio fuit, ut nobis conjungeretur non modo spiritualiter, qua Deus est, sed etiam corporaliter, qua est homo, idque maxime intima conjunctione : nimirum sicut unitur cibus cum manducante... Mirabile amoris argumentum...

Secunda ratio, ut ita significaret se omnes effectus producere in anima nostra, quos panis et vinum in corpore nostro operantur... O divinum alimentum, nutri et auge in me vitam gratiæ, da robur, lætitiam, meque totum in te transmuta...

Tertia ratio, ut similitudine panis, qui ex multis granis, et vini quod ex multis uvis coalescit, significaret nobis unionem charitatis, quam a sumentibns hoc alimentum requirit....

O Christe dulcissime, qui tuum corpus nobis præbes sub panis et vini speciebus, da mihi perfecte amorem concordiamque cum fratribus meis conservare, ut ita digne merear tecum uniri in Sacramento nec unquam a te separari.

Devotio erga Sanctissimum. Sacramentale signum.

Pr. 1. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum*. Matth. XIII, 11.

Pr. 2. Ut documenta Sacramento contenta salubriter percipiam, cum devotionis augmento.

Quomodo Christus sub speciebus sacramentalibus absconditus imaginem exhibeat I. Ecclesiæ, II. hominis christiani, III. vitæ a christiano gerendæ.

I P. IMAGO ECCLESIÆ. — Sacramentum altaris duplici constat parte, una visibili et altera invisibili. Quod visibile apparet, sunt species panis et vini, alimenti communis ac inanimis...at sub illo velamine latet vita: videlicet Christus Dominus, qui ipsa vita est : *Ego sum resurrectio et vita...* Joan. 11.

Hæc est imago Ecclesiæ, quæ Christi corpus mysticum vocatur. Ecclesia enim visibilis est in sua hierarchia, quæ constat Romano Pontifice, Episcopis et inferioribus ministris... visibilis quoque in omnibus fidelibus, qui ut oves Pastoribus obediunt... visibilis deinde in suis sacramentis, quæ in ritibus externis consistunt... visibilis demum in suo cultu, qui sacrificio, officiis publicis et cantu per orbem celebratur...

Hoc autem velut visibile corpus atque communis et humana species, invisibili spiritu animatur : subest enim in hierarchicis Pastoribus divina missio, divina potestas, et oculo fidei spectabilis ipsa persona Christi, dicentis : *Qui vos audit me audit...* Luc. 10. — Subest in sacramentis divina gratia, quæ externa ritu producitur et animam sanctificat... — Subest in cultu divino angelorum concentus et ipsius Christi præsentia, dicentis : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum...* Matth. 18.

Vide, anima mea, an Ecclesiam Dei ejusque visibilem in mundo speciem ita oculo fidei intuearis?... O bone Jesu, illumina oculos meos fide vivida, ut spiritum ac vitam in Ecclesia tua absconditum sub externo velamine videam ac reverear.

II P. IMAGO HOMINIS CHRISTIANI. — Eadem hostia sacra, quæ sub mortua specie vitam continet, hominem repræsentat christianum, in hac mortali vita degentem.

Christi enim discipulus, baptismo regeneratus, fidei illuminatus atque thesauro divinæ gratiæ ditatus, vere est, non nomine tantum sed re, filius Dei... extrinsecus tamen nihil differt ab aliis hominibus ; nec minimus radius internæ claritatis ejus emicat... *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus...* I Joan. 3.

Etsi extrinsecus signo crucis, obedientia Pastoribus, et participatione sacramentorum dignoscitur... nullatenus tamen vita gratiæ in ipso abscondita, oculis corporeis appa-
II Cor. 4. ret... *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus...*

Licet habeat jus ad regnum cœlorum, et maneat ipsum corona gloriæ, beatitudo æterna omnibus bonis cumulata... in hoc mundo tamen miseriis sicut reliqui est obnoxius... imo miserabilior videtur quam filii hujus sæculi, quia bona ejus non sunt præsentia sed futura... *Si in hac vita tan-*
Cor. 15. *tum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus...*

Da mihi, Domine Jesu, sanctos tuos, pauperes ac despectos in hoc mundo discipulos, non oculo carnis, sed oculo spiritus intueri... ut sub vili ac mortali eorum specie perspiciam characterem baptismalem, signaculum filiorum Dei, vitam gratiæ, pacem conscientiæ et gaudium spei in tribulationibus... atque sub cruce et spinis, unctionem Spiritus sancti absconditam...

III P. IMAGO VITÆ CHRISTIANÆ. — Hæc in observatione mandatorum consistit... in adimpletione divinæ voluntatis... in obligationibus cujusque status constanter implendis... in laboribus, tribulationibus quibuscumque fortiter sustinendis... Contexitur actionibus rebusque externa specie communibus, et quæ sæpe viles, imo mundanis oculis contemptibiles ac stultæ videntur.., et vero, sub hoc velamine abjecto, si fidei oculo transspicitur, divina quæque et pretiosissima resplendent... In officiis quibuslibet adimplendis, in laboribus, in tribulationibus latet divina voluntas... sanctissima, sapientissima atque optima semper
Joan. 8. voluntas Domini, ut ab homine impleatur... *Quæ placita sunt ei facio semper...*

Officia cuique secundum statum incumbentia, cruces, eventus quilibet in vita christiana aut sacerdotali occurrentes, quasi velum sunt, Dei manum, Dei voluntatem... ac merita vitæ æternæ pretiosissima abscondens...

Utinam hæc semper oculo fidei intueamur ! Da nobis, o Jesu, in divino Sacramento haurire hunc fidei et charitatis
II Cor. 10. spiritum, ut in carne viventes *non secundum carnem ambulemus ac militemus.*

———3 ℰ———

Devotio erga Sanctissimum. Symbolum charitatis.

—

Pr. 1. *Deus charitas est : et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* I Joan. IV, 16.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo Dominus in Sacramento doceat me charitatem, simulque in charitatis exercitio convalescam.

Sacramentales species symbolum exhibent, I. charitatis beneficæ, II. charitatis unificæ, III. charitatis patientis.

I P. CHARITAS BENEFICA. — Quatenus Eucharistiæ sacramentum per modum cibi et potus accipitur, symbolum exhibet charitatis beneficæ. Sicut enim corporalis alimonia in bonum comedentis consumitur, ita charitas omnia sua, adeoque se ipsam consumit in bonum aliorum... Charitas scilicet minus in affectibus consistit et in verbis, quam in operibus... quibus amans amato sua communicat bona, eaque pro amato sacrificat : videlicet bona fortunæ... corporis... honoris... imo ipsam vitam...

Nonne hæc omnia Christus Dominus pro nobis dedit atque consumpsit ?... nimirum, in vita sua mortali, animam suam ponens pro ovibus suis... imo in vita sua Eucharistica semetipsum tradens in perpetuam victimam pro nobis et in quotidianam alimoniam animarum nostrarum... quasi excedens ultimum terminum charitatis quem statuerat, dicens : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis...* Joan. 15.

Nonne ita charitate consumptus est Præcursor Domini, qui propterea vocatur *lucerna ardens et lucens*, id est lucendo semetipsam consumens ? Joan. 5.

Nonne sic omnes Sancti vitam suam in gloriam Dei et in proximorum salutem consumpserunt ?

Nonne similiter ego, sacerdos, Deo consecratus, igne charitatis et zeli me consumere debeo, omnia dando... sacrificando pro fratribus, pro ovibus meis ?... *Zelus domus tuæ comedit me ?* Joan. 2.

Dignare, Domine, ignem hunc charitatis accendere in corde meo...

II P. CHARITAS UNIFICA. — Alius charitatis effectus est unio cordium,quam Dominus inter discipulos suos regnare vult, sicut existit inter personas sanctissimæ Trinitatis :
Joan. 17. *Ut sint unum sicut et nos unum sumus*... Jam vero et hujusmodi charitatis figuram Sacramentum continet. Sicut enim multa grana frumenti coadunantur ad conficiendum
I Cor. 10. unum panem, ita *nos unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*... Hinc intelligimus quomodo, ex mente Domini, uniti esse debeamus inter nos et cum Domino Deo nostro...

Inter nos : id est cum superioribus, cum confratribus et cooperatoribus, cum subditis et magistratibus... unionem servare nos oportet sanctam... unionem obedientiæ,
Philipp. 2. unionem mentis, linguæ, operationis... *Idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes*...

Cum Deo uniti manemus per orationem, per fidem vividam, per devotionem erga Sanctissimum, per conformitatem cum divina voluntate...

Fac, Domine Jesu, me unum esse tecum in charitate perpetua.

III P. CHARITAS PATIENS. — Primaria in hoc mundo cha-
Cor. 13. ritatis proprietas patientia est, dicente Apostolo : *Charitas patiens est, benigna est*... cujus iterum symbolum exhibet panis et vinum Eucharisticum. Non enim sine confractione atque elisione frumenti, non sine aqua et igne conficitur panis... nec sine pressura et calcatione uvarum habetur vinum... Similiter sine patientia et sacrificio non datur unio nec beneficentia charitatis...

Eph. 5. Nonne sic passus est Christus ex charitate ? *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*... Sic passus est et quasi uva divina in torculari pressus, tempore vitæ mortalis... sic adhuc, etsi realiter jam non attingitur, injurias hominum tolerat in corpore Eucharistico...

Nonne sic et nos laborare, pati et mori debemus ex charitate erga Deum... et erga proximos ?...

Hanc charitatem patientem exercere debeo in vita privata : incommoda quælibet, tædia, defectusque proximi tolerando... et in ministerio publico, quæcumque occurrant

impedimenta vincendo per patientiam charitatis... *Vince in bono malum...* Rom. 12.

An hanc patientiam habeo ?... Instanter eam petam a Jesu Eucharistico, rogans, ut mihi charitatem illam patientem largiatur quam ipsemet exercuit et nobis in Eucharistica materia voluit figurare.

Devotio erga Sanctissimum. Symbolum humilitatis.

Pr. 1. *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Luc. XXII, 27.

Pr. 2. Ut intelligam documenta humilitatis quæ nobis in Sacramento tradit Dominus, eaque opere implere valeam.

Docet nos in Eucharistia Dominus, I. quomodo humilitas fugiat honorem ; II. quomodo acceptet humiliationem ; III. quomodo a Deo exaltetur.

I P. HONORIS FUGA. — Species panis et vini quas Christus in Sacramento induit, velamen sunt, omnem ejus gloriam, totamque personam ejus ita abscondens, ut nulla re, nullaque parte sui, Dominus manifestetur. Cum speciem quamlibet aliam induere potuisset, sive luminis, sive imaginis... apparet ibi quasi panis, sine gloria, imo sine vita... quo doceat nos humilitatem.

Apparet spoliatus sua gloria, quia humilitatis virtute homo sese exuere debet omni excellentia illa, quam sibi falso atque immerito arrogat. Etenim nonne sibi tribuit vel innocentiam, vel exiguum reatum... cum sit oculis Dei miserrimus peccator ?... Inspiciatur filius prodigus, ab optimo patre stolide digressus, luxuriis coinquinatus, omnibus bonis nudatus, in turpem servitutem delapsus et siliquis cupiens satiari porcorum... en vera imago uniuscujusque nostrum, ab ipso Christo Domino nobis proposita... Quis ergo sibi aliquid honoris deberi existimabit ? Vel quis unquam dicere audebit : Quomodo hoc aut illud gravamen ego merui ?...

Perperam quoque homo arrogat sibi laudem de talentis
1 Cor. 4. naturæ vel gratiæ... cum omnia sint dona Dei. *Quid habes*, inquit Apostolus, *quod non accepisti?* Si autem accepisti, quid *gloriaris quasi non acceperis ?...*

Perperam demum locum appetit altiorem, cum ipsi locus
Luc. 14. novissimus debeatur. *Quum invitatus fueris ad nuptias*, dicit Dominus, *vade, recumbe in novissimo loco...*

O humillime Jesu, doce me obscuritatem et humiliationem amare... doce me quærere semper humiliorem locum et omnibus subesse...

II P. HUMILIATIONIS TOLERATIO. — Nonne Dominus humiliationes extremas in Sacramento patitur?... Quid? ipse Rex regum in medio populi sui residere dignatur, ut omnes ad eum libere possint accedere... et ecce plerique homines ne respiciunt quidem ad ipsum... pauci adeunt... multi indifferentia, tepiditate, injuriis etiam affligunt!... Quæ cuncta patitur benignissimus Jesus sine querela...

Patitur, inquam, non realiter, sed virtualiter, quatenus ex parte hominum injuriæ ipsi vere inferuntur... et ipsemet eas, dum Sacramentum institueret vere acceptavit...

Hac autem humiliatione sua Dominus docet nos, si eum imitari velimus, necessarium esse ut humiliationes quaslibet libenter acceptemus... atque patienter toleremus injurias omnes... et in omni eventu contrario dicamus:
Act. 5. *Pejora merui...* imitati Apostolos, *qui ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

O humilline Jesu, da mihi humilitatem Cordis tui, ut gaudeam humiliari et contemni pro te...

III P. HUMILITATIS FRUCTUS. — Humilitate sua Christus Dominus maximam sibi et Patri suo gloriam procurat. Nonne in hoc humilitatis Sacramento innumeras animas lucratur et sanctificat?... Nonne hic ab Ecclesia sancta et ab omnibus per orbem fidelibus servis suis laudatur et exaltatur... Ut et nos discamus quales et quam pretiosi sint humilitatis fructus.

Pet. 5. *Humilibus* enim *Deus dat gratiam...* ad vincendas facile omnes tentationes... ad virtutes omnes excolendas, nominatim castitatem.

Humiles Deus exaltat... non tantum in futuro sæculo,

verum etiam non raro in præsenti. *Qui* enim *sese humiliat*, inquit Dominus, *exaltabitur*... Nonne et ipse Christus, Rex humilitatis, propter humiliationes suas exaltatus est ? *Exinanivit* enim *et humiliavit semetipsum Dominus Jesus... propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen...* Matth. 23. Philipp. 2.

Humiles Deus assumit in instrumenta, ut magna operetur. *Infirma mundi, et ignobilia, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus...* I Cor. 1.

O dulcissime Jesu, in Sacramento abscondite et quasi exinanite pro me, per tuam ineffabilem humiliationem, doce me, quæso, hæç tua exempla humilitatis imitari...

Devotio erga Sanctissimum. Transsubstantiatio.

Pr. 1. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras... Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi.* II Cor. VI, 14, 16.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo Sacramenti virtute similes efficiamur Christo, utque hujusmodi transformationem experiri merear.

Per Eucharistiæ efficaciam transfiguratur homo christianus in exemplar suum Christum : I. In Christum innocentem; II. In Christum patientem ; III. In Christum resurgentem.

I P. TRANSFIGURATIO IN CHRISTUM INNOCENTEM.— Quemadmodum in consecratione sacramentali, panis et vinum vere quoad substantiam convertuntur in corpus et sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus ; ita nos spiritualiter, et vario modo in Christi similitudinem transformari debemus... *Quos enim præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui...* Hæc porro transformatio magna parte per virtutem Sacramenti efficitur... Rom. 8.

Imprimis autem transfigurandus est homo in Christum

1 Pet. 2. innocentem, *qui peccatum non fecit, nec inventus est*
Coloss. 3. *dolus in ore ejus...* Propterea necesse est peccata deponere
vitiaque resecare... *Exspoliantes vos veterem hominem*
Ephes. 4. *cum actibus suis, et induentes novum... qui secundum*
Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis... Et
hoc quidem non absque mortificatione peragitur : nam
Galat. 5. *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis*
et concupiscentiis suis...

Deinde necesse est induere Christi splendorem internum, qui in gratia sanctificante consistit. Gratia enim sanctifi-
2 Pet. 1. cans, *qua efficimur divinæ consortes naturæ*, animam exornat divino quodam splendore, quem Dominus Jesus aliquatenus in persona sua spectabilem fecit cum transfiguraretur coram tribus discipulis... Hæc est illa vestis nuptialis, indumentum justitiæ, quo anima ornata tota pulchra efficitur oculis Dei... *Quam pulchra es, amica*
Cantic. 4. *mea, quam pulchra es!...*

Oportet demum induere Christi virtutes... tum internas, tum externas... Internæ porro omnes in spiritu charitatis consistunt, quo Christus Dominus vivebat, et quo etiam-
Galat. 2. num vivit in suis discipulis : *Vivit in me Christus...* Externæ Christi virtutes sunt modestia, patientia, charitas, quibus bonum exemplum datur et ædificatio proximis...

Concede mihi, Domine Jesu, per virtutem gratiæ et Sacramenti ita in te transformari, ut cum Apostolo dicere pos-
1 Cor. 11. sim : *Imitatores mei estote sicut et ego Christi...*

II P. TRANSFIGURATIO IN CHRISTUM PATIENTEM.— Hæc nova cum Christo similitudo obtinetur per labores... per afflictiones internas... per afflictictiones etiam et perpessiones externas.

Nonne Christus Dominus in laboribus vixit a juventute
Joan. 9. sua? *Me oportet operari*, inquiebat, *opera ejus qui misit me donec dies est...* scilicet quamdiu dies vitæ perdurat.

Nonne Dominus multa atque acerba passus est in anima... hominum ingratitudinem, dolorem ob offensiones divinæ Majestatis, ob ruinam tot animarum... tædia,
Matth. 27. angustias animæ... *Deus meus, ut quid dereliquisti me ?*

Nonne Dominus externe et in corpore est acerbissima
Thren. 1. passus, adeo ut *vir dolorum* a propheta vocetur?... *O vos*

omnes qui transitis per viam vitæ, *attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus...*

O Domine Jesu, da mihi quoque conformem fieri imaginis tuæ dolorosæ, et aliquatenus cum Apostolo *stigmata* Galat. 6. *tua in corpore meo portare...*

III P. TRANSFIGURATIO IN CHRISTUM RESURGENTEM. — *Si complantati facti sumus similitudini mortis Christi,* Rom. 6. *simul et resurrectionis erimus...* Si videlicet similes fuerimus Christo passo et crucifixo, similes erimus et gloriose resurgenti... Porro resurrectio gloriosa datur *prima* et Apoc. 20. *secunda.*

Resurrectio prima est solius animæ justæ, ubi carnis vinculo soluta, cœlum gloriosa ingreditur...

Resurrectio secunda erit in novissimo die, quando Christus Dominus *reformabit corpus humilitatis nostræ, con-* Philipp. 3. *figuratum corpori claritatis suæ... — Charisimi,* inquit S. Joannes, *nunc filii Dei sumus, et nondum ap-* I Joan. 3. *paruit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus...*

Da mihi, Domine Jesu, penitus exuere veterem hominem, cum vitiis ac peccatis, cum verbis et operibus terrenis... ut induam te, hominem cœlestem... atque ita me tua gratia in te transforma, ut alter Christus sim et appaream.

Devotio ergo Sanctissimum. Symbolum Ecclesiæ.

Pr. 1. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Psalm. 127.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo convivium Eucharisticum repræsentet Ecclesiam, atque hinc novo Ecclesiæ amore exardescam.

Eucharistica mensa figurat I. Ecclesiam terrestrem; II. Ecclesiam cœlestem.

I P. ECCLESIA TERRESTRIS. — Sacrum Eucharistiæ convivium, ad quod conveniunt omnes Christi discipuli,

perpetua renovatio est ultimæ Cœnæ, qua Christus Dominus cum duodecim apostolis, sicut pater cum filiis, pascha manducavit... *Facio pascha cum discipulis meis*... — Hæc autem cœna Ecclesiam repræsentat, tanquam familiam sanctam, in paterna domo feliciter sustentatam.

Matth. 26.

Ecclesia vera est familia, cujus Pater Christus... Nemo enim tam Pater quam amantissimus ille Jesus, qui in cruce nos suo sanguine genuit... in sacra communione nos propria substantia nutrit... nos amat etiamsi fuerimus ingrati filii, aberrantes et prodigi... Nonne semetipsum depinxit in persona patris illius, quem in parabola tam misericordem ostendit erga ingratum filium ?...

Familia sancta, cujus Mater, illa Sponsa Christi, ab ipso constituta hierarchia sacra... vera utique Mater, quæ Baptismo nos genuit, doctrina et sacramentis aluit... a qua omnia tenemus... Eadem amantissima Mater, cui unusquisque nostrum est instar pretiosæ *drachmæ*, *quam accensa lucerna quærit mulier*... et inventam tanto gaudio reponit in thesauro...

Luc. 15.

Familia sancta, cujus filii sunt fideles omnes... Vere filii Dei... *filii et hæredes*... inter se et cum Patre suo, Christo, adunati, sicut membra cum capite in uno corpore sunt conjuncti...

Rom. 8.

An hoc unionis spiritu sum animatus ?...An ex toto corde Ecclesiam amo ?... An Pater, Mater et fratres omnes in hac sacra familia mihi sunt charissimi ?...

Ecclesia est familia felicissima, optime sustentata. Omnes enim Ecclesiæ filii desiderabilia quæque in paterna domo inveniunt... alimentum doctrinæ ac sacramentorum... armaturam gratiæ et roboris ad pugnandum usque ad consummatam victoriam... gaudium et pacem...

Sin autem domum relinquant, a paterna mensa abstineant... mox utique fiunt filii prodigi ac miserrimi...

Da mihi, Domine Jesu, una eademque dilectione te tuamque Sponsam Ecclesiam amare... mensæque tuæ paternæ semper quam sanctissime accumbere et ministrare...

II P. ECCLESIA CŒLESTIS. — Ecclesiam suam gloriosam ac beatam exhibet ipse Christus Dominus tanquam cœtum filiorum, paternæ mensæ accumbentium. *Ego*, inquit,

dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo... Luc. 22.

Jam vero hanc familiam gloriosam ac beatam, in paterna domo æterna felicitate satiatam, figurant Eucharisticæ epulæ.

Illius cœlestis familiæ Pater est ipse Deus, et Christus... Quem Patrem omnes appellamus jure ac merito : *Pater noster qui es in cœlis...* quem facie ad faciem videbimus sicut pueri parentes in terra, omnium bonorum ejus participes... Matth. 6.

Mater ejusdem gloriosæ familiæ Beatissima Virgo est... quæ omnes electos ineffabili amore excipiet... Qualis et quanta Mater !...

Fratres autem et sorores sunt angeli... sancti sanctæque omnes, qui inde ab exordio mundi vixerunt... Quales quantæque personæ, a quibus ut fratres cœlesti dilectione excipiemur, quibuscum conversari dabitur in æternum !...

Grandis illa familia etiam in terra spectabitur, in novissimo die... *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, et cum Pastore ac Patre suo Christo ad cœlestes nuptias introibunt... Matth. 13.

Illic autem satiabuntur omnibus bonis... *Satiabor cum apparuerit gloria tua...* Psalm. 16.

Satiabuntur in intellectu, pura veritate... satiabuntur cognitione, quoniam aperientur oculis eorum mysteria Dei... et mirabilia operum ejus in cœlo et in terra...

Satiabuntur in corde, amore divino, qui omnem hujus vitæ filialem ac maternam dilectionem suavitate superabit...

Satiabuntur in sensibus... videntes pulchritudinem, claritatem Dei, Christi, sanctorum, quam sol et luna mirantur... audientes *cantica nova* et *voces quasi citharœdorum citharizantium in citharis suis...* Apoc. 14.

O Domine Jesu, qui dixisti : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis ;* da mihi in Sacramento tuo æternas dulcedines prægustare... Matth. 5

Devotio erga Sanctissimum. Exempla.

Pr. 1. *Venite ad me omnes... et discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Matth. XI, 29.

Pr. 2. Ut divini Magistri in Eucharistia exempla sancte intuear et efficaciter imitari valeam.

Etsi verborum sonitu minime loquatur, exemplo tamen suo tacite divinus Magister virtutes docet præclarissimas : præsertim, I. charitatem, II. humilitatem, III. patientiam et mortificationem.

I. P. EXEMPLUM CHARITATIS. — Nonne Dominus in hoc Sacramento exemplum nobis præbet charitatis puræ et undequaque perfectæ, adeo quidem ut ipse totus hic charitas esse videatur?...

Exemplum charitatis beneficæ : donans, largiens omnia quæ habet... non solum gratias... sed et semetipsum prodigens in cibum fidelibus... — Deinde exercens ibi omnia opera misericordiæ erga animas esurientes et sitientes... pauperes ac nudas... ægrotas et afflictas... — Demum illa omnia charitatis opera exequitur gratis omnino : quid enim inde emolumenti percipit?...

Exemplum charitatis patientis. Nonne in Sacramento patitur, etsi absque actuali sensu doloris, omnem ingratitudinem ex parte hominum, indifferentiam, oblivionem, negligentiam et sacrilegia?... Quid ab impiis et peccatoribus?... Quid a piis quoque fidelibus?... Quid a sacerdotibus, et fortassis a me ipso?.. *Illud*, inquiebat famulæ suæ B. Margaritæ, *mihi accidit amarius, quod non paucæ animæ mihi consecratæ mœstitia me affligunt, nedum consolentur*... Idem fere conquerebatur olim per prophetam :
Psalm. 54. *Si inimicus homo maledixisset mihi, sustinuissem utique*... — Quæ omnia tolerat cum amore Dominus, non uno die, nec uno anno ; sed omni tempore...

Exemplum charitatis unificæ et pacificæ. Nonne omnes congregat, coadunat ad mensam suam in osculo pacis?... ut discamus omnia propter unionem cordium facere et sacrificare...

Da mihi, Domine Jesu, per virtutem Sacramenti, eumdem charitatis spiritum... et exempla tua erga fratres meos imitari.

II P. EXEMPLUM HUMILITATIS. — Nonne similiter præbet Dominus in Sacramento exemplum humilitatis perfectæ?... humilitatis nimirum descendentis... latentis... obedientis?...

Nonne ille Rex gloriæ, qui de cœlo descendit in hæc infima... in præsepium... in sepulchrum... hic per sacramenta descendit in humillima tabernacula, in obscura ægrotantium tuguria... et quod profundius est, in peccatorum corda impurissima?...

Nonne ille Filius Dei, qui absconditus vixit in Nazareth, et divinitatis gloriam occultavit in mortali vita... idem in Sacramento abscondit ipsam humanitatem, manetque nobiscum quasi in tenebris et silentio mortis?... Quæ tamen tenebræ sunt et silentium sublimissimæ humilitatis...

Nonne idem qui *semetipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*... in altari obedit voci hominis, descendens de cœlo et in Sacramento remanens cujusvis sacerdotis verbo?... Majus sane miraculum quam quod operatus est Josue, quando *stetit sol in medio cœli... obediente Domino voci hominis*... Philipp. 2. Josue. 10.

Utinam, o humillime Jesu, hæc exempla valeam imitari!

III P. EXEMPLUM PATIENTIÆ ET MORTIFICATIONIS. — Perfectum quoque hic exhibet Dominus exemplum patientiæ et mortificationis christianæ: mortificationis sensuum... mortificationis affectuum seu passionum.

Christus Dominus in Sacramento caret omni sensibili oblectatione... caret illis recreationibus, colloquiis externis quæ homines tantopere appetunt... ut discamus pro amore ejus ab omni nos inordinatione custodire in oculis... in auribus... in lingua... in gustu...

Dominus in suo Tabernaculo solitarius manens, rebus externis velut mortuus, nihilominus est plenissime beatus... ut intelligamus alia dari oblectamenta quam externa... nec felicitatem nostram a sensibus esse repetendam...

In corde Christi Eucharistici nihil reperias quod inordinatum sit... omnes affectus vindictæ, zeli, imo compassionis erga tot miseros, subordinati sunt charitati perfectæ, quæ simpliciter voluntati divinæ inhæret... ut discamus affectus nostros refrenare, eosque subjicere humilitati, charitati ac voluntati divinæ...

Quam perfecta sunt, Domine Jesu, quam sublimia, quamque lucida exempla tua !... Da mihi ea semper præ oculis habere, omnemque operam in iis imitandis impendere.

Devotio erga Sanctissimum. Cultus.

Pr. 1. *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* Psalm. 23.

Pr. 2. Ut intelligam quanta cultus pompa debeatur Sanctissimo, utque novo zelo Eucharistiæ glorificandæ cor meum inflammetur.

I. Divino Sacramento debetur cultus supremus ; II. debetur cultus internus simul et externus.

I P. CULTUS SUPREMUS. — Nonne sanctissimæ Eucharistiæ debetur cultus idem quem omnis creatura debet Deo ac Domino nostro Jesu Christo ?... qui *solus Sanctus, solus Altissimus cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris...*

An forte quia in Sacramento propter nos inglorius, ideo minus glorificandus ?... aut quia tam familiariter nobiscum agere dignatur, minor ei laus tribuenda ?... vel quia a multis contemnitur, idcirco minus a fidelibus est honorandus ?... Imo, nonne propterea majore laude, benedictione et exaltatione dignus ?...

In die Palmarum benedictionibus ei acclamarunt pueri Hebræorum, tanquam Filio David, venienti in nomine Domini... nos autem scientes, hunc Filium David esse verum Filium Dei, qui pro nobis mortuus est, quanto magis ei acclamare debemus et dicere : *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem... Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.*

Apoc. 5.

Scimus enim Jesum nostrum, Agnum Dei pro nobis immolatum, esse verum Deum... æqualem Deo Patri suo, cum quo et cum Spiritu sancto simul adorandus est et conglorificandus... adeoque eum esse Majestatis infinitæ,

omnique laudatione superiorem... *Glorificantes Dominum*, ait Sapiens, *quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude...* Eccli. 43.

Dic igitur, anima mea, et canta cum Ecclesia :

Lauda, Sion, Salvatorem, lauda ducem et pastorem, in hymnis et canticis.

Quantum potes tantum aude : quia major omni laude : nec laudare sufficis...

II P. CULTUS INTERNUS ET EXTERNUS. — Debetur Christo Eucharistico cultus internus : quia *Deus spiritus est, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare...* Joan. 4. Debetur et cultus externus, quia Ecclesia societas humana est, quæ humano atque externo ritu, secundum naturam suam, Deum colere tenetur... Cultus internus anima est, externus vero velut corpus...

1° Cultus autem internus in actibus internis consistit... fidei imprimis, atque adorationis... fiduciæ et imprecationis... amoris et oblationis... Qui quidem interni actus apte enuntiantur variis Ecclesiæ precibus et hymnis, quales sunt sequentes :

Adoro te supplex, latens Deitas : quæ sub his figuris vere latitas ! Tibi se cor meum totum subjicit : quia te contemplans totum deficit... Ave Jesu ! Pastor fidelium : adauge fidem omnium in te credentium.

Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui : et antiquum documentum novo cedat ritui. Præstet fides supplementum sensuum defectui...

Tales quoque sunt illæ laudes quas audivit Joannes in Ecclesia cœlesti : *Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno... Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Apoc. 7.

An ego hoc spiritu interno devotionis erga Sanctissimum sum animatus ? O Domine Jesu, adauge mihi fidem... fidem, inquam, vividam, quæ omnis devotionis radix est et fundamentum : da mihi digne sacra tua Mysteria venerari, præsertim in missæ sacrificio... in adoratione publica... et in privata visitatione Sanctissimi...

2° Cultus quoque publicus magno zelo a me secerdote promovendus est... ratione Christi, qui eodem tam dignus est... ratione fidelium qui hoc devotionis incitamento indigent... ratione mei, qui cultum divinum teneor digne celebrare, et meo in hac re zelo ac studio meritum mihi magnum comparabo...

Practice autem zelus iste exercetur in curanda templi fabrica, in ejusdem ornatu, in supellectili, vestimentis, in altaris munditie, in luminarium splendore...

Eodem spectat officiorum solemnitas, cantus jucundus ac vere pius, omnesque ritus ac cæremoniæ cum dignitate perficiendæ... solemnes laudes ac benedictiones Sanctissimi, adorationes perpetuæ idoneæque conciones, et pompa in processionibus...

Imo ad cultum divini Sacramenti non parum confert pius comitatus in deferendo Viatico ad infirmos...

An hæc omnia cordi habeo quantum vera pietas atque amor erga Jesum, sacramentalem Hospitem nostrum, requirit ?...

Reple, o Domine Jesu, animam meam, totamque Ecclesiam tuam, fide et devotionis spiritu : ut ubique per orbem terrarum digne glorificetur sanctissimum Sacramentum, et coram ipso, in ore et corde fidelium *sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.*

Devotio erga Sanctissimum. Christi persona.

Pr. 1. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hebr. IV, 16.

Pr. 2. Ut cognoscam omnia bona mihi a Jesu Eucharistico oblata, et sancte accedere discam ad thronum gratiæ ejus.

Dominus Jesus in Sacramento velut in throno gratiæ et misericordiæ sedens, personam agit, I. patris, II. magistri, III. amici.

I P. EST PATER. — In Sacramento suo Christus Dominus

non gerit personam judicis : *non* remanet nobiscum in mundo *ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*...

Non judex est, sed pater : filios suos omnes ad se vocans, omnes et singulos pro suis cujusque necessitatibus juvare paratus...

Vocat filios prodigos, ut derelinquant viam suam... et revertantur ad patrem. Qui si surgere voluerint et ad eum venire, corde vere contrito et humiliato dicentes : *Pater,* Luc. 15 *peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus*... summa benignitate excipientur...

An ego me filium prodigum, uti vere sum, agnosco ?... An omni fiducia Jesum adeo, dicens : Pater, peccavi... miserere mei secundum magnam misericordiam tuam ?...

Vocat filios infirmos, ut eos sanitati restituat. Dum in terris ageret, omnes homines, infirmitate qualibet corporali laborantes, modo ad ipsum accederent vel eum tangerent, benignissime sanabat : *Quotquot tangebant eum, salvi* Marc. 6. *fiebant*... Quanto magis liberabit filios ab infirmitatibus animæ, a superbia, ab iracundia... dummodo eum tangant vivida fide ac fiducia ?...

Vocat filios fideles, ferventes, amantes, ut eos locupletet omnibus bonis... *Transite ad me omnes qui concupiscitis* Eccli. 24. *me, et a generationibus* (fructibus) *meis implemini... Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum*...

Quomodo autem Patrem hunc adire debemus ? Nonne in sacrificio missæ ?... in ferventi communione... vel visitatione Sanctissimi ?...

Da mihi, Domine Jesu, non minore fide ac fiducia venire ad te in Sacramento, quam in vita tua mortali veniebant ad te homines ut sanarentur a languoribus suis...

II P. EST MAGISTER.— Quanta bonitate, quanta sapientia docebat olim sive turbas in littore maris, sive discipulos in monte... sive privatim etiam accedentes ad eum personas, ut mulierem Samaritanam, ut Nicodemum, ut Mariam in castello Bethaniæ !... Idem semper divinus Magister est... *Magister vester unus est Christus*... Matth. 23.

In tabernaculo suo, velut in mystica quadam cathedra perpetuo sedet, ut accedentes ad se discipulos erudiat...

doceatque mysteria regni cœlorum, præsertim humilitatis
Marc. 10. et crucis... *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus,*
Luc. 14. *non intrabit in illud... Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.*

Docet nos omnigenas virtutes... eas præsertim quarum exemplum præbet in vita sua Eucharistica...

Docet animas, scholam suam frequentantes, interioris vitæ arcana...

Quomodo autem talis Magister audiendus? Assiduitate
Prov. 9. opus est, humilitate et recollectione... *Si quis est parvulus*
Oseæ. 2. *veniat ad me... ducam animam in solitudinem et loquar ad cor ejus...*

O divine Magister, Sapientia incarnata, admitte me in scholam tuam et doce me : da mihi intellectum ut vivam...
Psalm. 93. *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum!*

III P. EST AMICUS. — Si verus amicus thesaurus est vitæ, si absque amico non potest bene vivi in hoc mundo, quanta cum gratiarum actione adeundus est Jesus, nobiscum in hoc exilio manens !... Ipse enim amicus verus et perfectus... dulcissimus et fidelis...

Kemp. II,7. Dilectio creaturæ, inquit Kempensis, fallax et instabilis; dilectio Jesu, fidelis et perseverabilis... qui, omnibus recedentibus, te non relinquet, nec patietur in fine perire.

Amicus verus hic adest, undequaque perfectus, super omnes amabilis... Quis est, o anima mea, similis illi? Nonne te intime cognoscit, scrutans corda et renes Deus tuus ?... Nonne te amat tenerrime, sicut pastor oviculam, sicut mater infantulum ?... Nonne omni fiducia potes effundere
Psalm. 102. coram illo cor tuum ?... *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum...*

Amicus ipse, qui ineffabili ac cœlesti conversatione familiares suos consolatur... eosque felicitatis suæ facit participes...

O Beatissima Virgo, impetra mihi devotionis gratiam, ut ad Jesum tuum in Sacramento quam proxime accedere possim... Per te, o Mater, accessum habeam ad Filium.

Devotio erga Sanctissimum. Visitatio,

Pr. 1. *Infirmus fui et in carcere : et non visitastis me.* Matth. xxv, 43.

Pr. 2. Ut intelligam quanta res sit visitare Sanctissimum, et hoc devotionis officium discam implere quam ferventissime.

I. Quare sanctissimum Sacramentum a fidelibus et præsertim a sacerdotibus visitandum? II. Quomodo cum fructu hujusmodi visitatio instituenda ?

I P. MOTIVA. — Sanctissimum Sacramentum, vel Jesum in sacramento suo nobiscum habitantem visitare, nihil est aliud quam ecclesiam adire, ut aliquantisper ibi Dominum adoremus ; quemadmodum fere homines adire solent amicos, ut eis sua præstent obsequia, ut eos consolentur vel consolationem ab eis accipiant...

Inter pietatis exercitia nullum, inquit S. Alphonsus, Deo est gratius hominique salubrius, quam Jesum in suo Sacramento adorare... Visit. SS. introd.

Quid enimvero est æquius?... Si rex terrenus ex amore erga pauperrimos subditos, inter eos residere vellet, ut eos omni hora ad se venientes excipere et juvare præsto esset ; quanto ardore adiretur?... An fieri posset ut illi homines erga talem principem incurii, obliviosi, contumeliosi essent?... Et si hoc modo se gererent, num quid indignius, turpius atque insanius excogitari posset?...

At vero, nonne Rex gloriæ nobiscum habitat in Tabernaculo?... Quid ergo decet nos erga ipsum præstare?... O anima mea, si credis hic vere adesse in medio populi sui Sanctum Israël, quid censes de hominum neglectu, frigiditate, irreverentia, absentia?... Quid de tot sacerdotum tepiditate?... Quid dicis de te?... Nonne hic misere verum est verbum Præcursoris : *Medius vestrum stetit quem vos nescitis?...* et illud : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit...* et istud quod loquitur ipse Christus per os prophetæ : *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ...* Joan. 1. Ibid. Psalm. 68.

Gloriabatur olim populus Israël quod Deum haberet tam familiariter appropinquantem sibi... At vero non nisi umbram habebat familiaritatis tuæ, o Jesu, nobiscum... o Emmanuël noster!... Nos vere tanquam filios diligis et tractas
Isaï. 1. ut pater; at conqueri cogeris: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me...*

Quid ergo decet me facere?... me sacerdotem?...

Alterum motivum est ineffabile bonum, quod in visitatione Sanctissimi continetur. Etenim nonne ibi invenitur ipse Dominus Jesus?... non aliqua res sacra, quæ ad ipsum pertinuit, ut ipsius vestis, fragmentum crucis, vel etiam spelunca in qua natus, domuncula Nazareth in qua vixit, sepulcrum ex quo resurrexit... sed ipsemet Jesus in propria sua persona...

Beati sane Magi, beati Apostoli, primique discipuli, quibus datum fuit eum adorare... An nos minus beati, si fidem habuerimus?... Nonne animabus piis tabernaculum eucha-
Apoc. 21. risticum est paradisus?... *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis...* Nonne Christi fideles, imprimisque ministri ejus, hujusce paradisi angeli esse debent... circumdantes assidue thronum ejus, nec inde discedentes nisi ut jussa ejus exequantur?...

Beati sane omnes olim Christi coævi homines, qui in
Matth. 11. necessitatibus suis eum adire poterant dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego refiriam vos...* Nos autem num quid minus habemus?

Luc. 10. Beata sane Maria illa soror Marthæ, *quæ sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius...* At vero, an non mihi similis offertur gratia?...

Psalm. 83. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini...*

II P. METHODUS. — Ante omnia, aptæ seligantur horæ, quibus quotidie divinus Hospes visitetur... removeaturque prætextus et excusatio defectus temporis... Non enim deerit tempus si fuerit ordo, nec inutilibus colloquiis horarum partes et spatia disperdantur...

Matth. 23. Præ oculis habeatur verbum Domini: *Hæc oportuit facere, et illa non omittere...*

Ubi autem Dominum visitaturus templum ingrederis, aut adoraturus ante thronum ejus genua flectis, elice im-

primis actum fidei vividissimæ de reali præsentia ejus ; Jesumque oculo fidei aspice, benigno vultu intuentem te... aspice, inquam, anima mea, Jesum tuum, quasi absque sacramentali velamine tibi adesset ; statimque adora dicens : *Adoro te supplex latens Deitas...* Deinde quacumque oratione vel laude eum alloquere, omni reverentia, simplicitate et fiducia... *Cum simplicibus sermocinatio ejus...* Prov. 3.

Accedens ad Jesum, eum intuere modo ut Regem omnipotentem et modo ut Patrem amantissimum... nunc ut medicum, consolatorem, aut pastorem... nunc ut benefactorem divitem, vel ut magistrum ac consiliarium... sæpissime ut amicum divinum, qui aperit tibi Cor suum... ut exemplar et fontem sanctitatis...

O amantissime Jesu, adauge in me devotionis spiritum : *Oro fiat illud quod tam sitio... Unam petii a Domino,* Psalm. 2. *hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ : ut videam voluptatem Domini et visitem templum ejus.*

De sanctissimo Corde Jesu. Cultus excellentia.

Pr. 1. Spectare oculo mentis Dominum in Eucharistia Cor suum pandentem, et dicentem : Ecce Cor meum quod tantopere homines dilexit, tamque parum a multis diligitur... Nunc autem, in omnes qui illud coluerint, divitias gratiarum suarum effundet.

Pr. 2. Ut cognoscam amabilitatem et thesauros sanctissimi Cordis, illudque divinum Cor perfecta devotione honorem.

Plura sunt motiva sanctissimum Cor Jesu speciali obsequio colendi : I. voluntas ipsius Domini ; II. excellentia objecti ; III. fructus pretiosi.

I P. DOMINI VOLUNTAS. — Hanc suam voluntatem Christus Dominus Ecclesiæ suæ signis et prodigiis manifestavit, usus ministerio humilis famulæ suæ B. Margaritæ Mariæ,

cui semeptipsum spectabilem ostendit... Si hæc tua voluntas, o dulcissime Jesu, nonne eam toto cordis affectu amplectar?...

Quemadmodum coluntur sanctissima sua vulnera, ita voluit Cor suum peculiari cultu honorari... atque hoc cultu singulariter delectari se significavit...

Et re quidem vera, nonne sicut respectu vulnerum, ita respectu Cordis Jesu dantur motiva cultus specialis? Nonne istud divinum Cor ab ipso Domino exhibetur ut sedes piarum affectionum, quas vult mutuari a nobis?... Nonne cor in ipsa sacra Scriptura sumitur pro symbolo amoris?... Nonne per hoc symbolum immensæ charitatis Jesu vehementer fideles ad omne bonum moventur?...

Quod si hæc Domini voluntas fideles omnes ad devotionem erga sanctissimum Cor excitare debet,quanto magis me sacerdotem?... Nonne ejusdem propagatorem ac ducem me esse decet?... Et quoniam eam inter fideles diffundere aut fovere non potero nisi ipsemet ea sim animatus, nonne debeo omnem adhibere diligentiam, ut saluberrimum hunc cultum intelligam, amem et practice exerceam?...

O Domine Jesu, qui tanto amore nobis divitias Cordis tui aperire dignatus es, et ejusdem Cordis tui cultu tantopere delectaris; da mihi cultus hujus spiritum, ut ipsemet Cor tuum devotissime colam et a meis subditis colendum procurem.

II P. EXCELLENTIA OBJECTI. — Objectum aliud non est quam Cor Jesu, quod in cruce lancea transfixum est, nunc autem in divino pectore Domini vivum existit... Cor,inquam, illud vivum, tum *in se* spectatum, tum prout est *amoris Christi symbolum*.

Quo divino Corde quid potest dari excellentius? Nonne
Coloss. 2. sedes est divinitatis?... *In quo*, dicit Apostolus, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*...

Nonne arca est sanctitatis, longe præstantior arca veteris Testamenti in qua lex Domini asservabatur... *Scriptum*
Psalm. 39. *est de me ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei*...

Nonne fons est ineffabilis largitatis?... Ex Corde enim Domini et ex immenso amore ejus, omnia in nos beneficia promanarunt...

O Domine Jesu, quid Corde tuo divinius? quid sanctius? quid amabilius?... Quis enarrabit quomodo dilexeris me, et etiamnum diligas ?... *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me*... Quis tam amantem non redamet?... Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui... Galat. 2.

III P. FRUCTUS. — Fructus hujus devotionis uberrimi, ad duos principales reduci possunt. Sunt autem hi, primo, consolatio vera, in omni tribulatione nostra... Est enim Cor Jesu cor amici veri, perfecti... qui potest et vult omnibus nostris necessitatibus mederi...

Secundo, sanctificatio cordis nostri, quod sanctissimum Cor Jesu sibi simile reddit, et *in eamdem sui imaginem transformat*... II Cor. 3.

Hi effectus seu fructus peculiaribus nituntur promissis, quibus Dominus favores, Cordis sui cultoribus destinatos, singillatim explicare dignatus est. Sunt autem numero novem, nimirum : Quæcumque gratiæ cuique secundum statum ac vocationem necessariæ. — Pax in familiis. — Consolatio in tribulationibus. — Refugium certum toto tempore vitæ et in morte. — Benedictio in negotiis ac cœptis. — Peccatoribus conversio, tepidis fervor, ferventibus progressus. — Benedictio loci ubi SS. Cordis imago peculiariter coletur. — Sacerdotibus, gratia movendi corda. — Zelatoribus SS. Cordis, prædestinatio : *Nomen eorum inscribetur*, inquit Dominus, *in Corde meo, nec unquam delebitur*.

Concede mihi, dulcissime Jesu, ita Cor tuum colere, ejusque cultum promovere, ut effectum promissionum tuarum sentire merear...

De SS. Corde Jesu. Devotionis motiva.

Pr. 1. Spectare Jesum in altaris Sacramento, pandentem nobis Cor suum amore flagrans et dicentem : *Venite ad me omnes*... Matth. XI, 28.

Pr. 2. Ut cognoscam divitias Cordis Jesu, deque ejus plenitudine abundantius accipiam.

« Jesum ei acceptus sit, asseveranter dico, nemo foret, « qui cultum hujusmodi non omni diligentia Domino « præstaret.

« De iis vero qui in animarum ministerio occupantur, ex « ore divini Magistri cognovi, si et ipsi Cor ejus coluerint... « et ab aliis late colendum procuraverint... fore, ut mira « potiantur arte corda peccatorum vel durissima mol- « liendi. »

In fine, ferventi oratione petatur gratia perfectæ devotionis erga SS. Cor Jesu.

De SS. Corde Jesu. Amabilitas.

Pr. 1. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Cant. 1, 15.

Pr. 2. Ut amabilitatem Jesu ejusque amantissimi Cordis contemplando, magis magisque ipsius amore inardescam.

I. Quam sit amabile SS. Cor Jesu. II. Quomodo illa amabilitas oculis nostris manifestetur.

I P. AMABILITAS INTERNA. — Inter omnes filios hominum, nullus speciosior surrexit aut amabilior Christo
Psalm. 44. Jesu, vero Filio Dei incarnato, qui merito vocatur *speciosus forma præ filiis hominum, cui diffusa est gratia*
Matth. 3. *in labiis suis...* ipse *Filius Patris dilectus in quo sibi complacuit...*

Omnis pulchritudo quæ in hoc mundo resplendet, coram amabilitate Jesu evanescit, sicut splendor stellarum in conspectu solis...

Duplex in aliqua persona distinguitur amabilitas : externa una, quæ in gratia oris et pulchritudine corporis consistit... altera interna quæ pulchritudo moralis est et ex virtutibus oritur, quæque est longe præstantior... Atqui, nonne utraque in Dei Filio, præsertim post resurrectionem suam corporaliter glorificato, summa est ?...

Quis pulchritudinem ac majestatem enarrabit Regis gloriæ, quam curia cœlestis miratur ?...

At quis intelliget amabilitatem longe majorem Cordis illius? *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter...* et *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondíti...* Omnesque amabilissimæ virtutes : innocentia .. pietas... humilitas... patientia et præsertim charitas... Coloss. 2. Ibid.

Nonne sensus nobiles ac generosi cordis, præsertim si cum sapientia mentis conjungantur, hominem maxime amabilem reddunt? At vero quis homo nobilitate, generositate cordis cum Filio Dei comparari possit?...

Quæ quidem Cordis ejus amabilitas symbolis illis mirabiliter exprimitur, quæ Dominus famulæ suæ B. Margaritæ Mariæ ostendit : videlicet lumine, cruce, corona spinea, flammisque, Cor suum insignientibus...

Quid amabilius corde amante? Nonne qui amari se videt ad redamandum movetur? Jam vero en homo, non communis, sed nobilis, sed Filius Dei qui amat me, et quidem amore tenerrimo, ardentissimo, generosissimo ac prosus gratuito... *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me...* Galat. 2.

Cor dulce, cor amabile! amore nostri saucium, amore nostri languidum... in corde regnes omnium...

II P. AMABILITATIS MANIFESTATIO. — Immensa Cordis hujus charitas, sanctitas, atque virtutum ejus pulchritudo, in tota vita Domini manifestatur ac resplendet.

Si spectatur vita ejus abscondita, quam suavis apparet infans in Bethlehem, pro me in stabulo natus, pro me factus parvulus, pauperculus!...

Quam amabilis, in domuncula Nazareth et in officina S. Joseph, divinus adolescentulus, pro me factus obediens... pauper et in laboribus a juventute sua... vili tunica indutus... *crescens et proficiens sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines...* O quam amabilis es, o Jesu! *qui propter me egenus factus es...* Luc. 2. II Cor. 8.

Quod si intueor eum in vita publica, nonne totus est bonitas, charitas, beneficentia, misericordia?... *Venite,* inquit, *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos...* Matth. 11.

Affluunt undique ad eum infirmi, omnigenis languoribus oppressi, et neminem absque solamine dimittit : *Et sana-*

Luc. 6. *bat omnes...* Dum videt miseriam hominum intima commiseratione movetur : *Misereor*, inquit, *super turbam :*
Marc. 8. *quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt...*

Quanta ejus bonitas erga parvulos... erga peccatores, Magdalenam, Samaritanam, mulierem adulteram, Zachæum, Judam, Petrum, Thomam !... Vere Pastor bonus, Pater prodigi...

At quid, si eum inspiciam in vita dolorosa ?...

Quid, si in vita Eucharistica ?...

Cant. 5. O Jesu, tu vere es *dilectus meus, electus ex millibus... candidus et rubicundus, totus desiderabilis...* Ostende mihi divinam pulchritudinem Cordis tui amantissimi, ut rapiar amore, totusque tui desiderio inardescam.

De SS. Corde Jesu. Thesauri.

Pr. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Joan. 1, 16.

Pr. 2. Ut thesauros SS. Cordis Jesu cognoscam, eorumque particeps fieri merear quam copiosissime.

E corde Jesu, in quo omnis gratiæ omniumque bonorum quibus indigemus plenitudo est, præcipue accipere debemus, I. thesauros luminis, II. thesauros consolationis, III. thesauros sanctitatis et virtutum.

I. P. THESAURI LUMINIS INVENIUNTUR IN CORDE JESU. — Non sine causa Cor suum Dominus patefecit clarissimo
Coloss. 2. lumine circumfusum : in ipso enim *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi...* in ipso illa prudentia
Rom. 8. cœlestis, prorsus diversa a prudentia carnis : *Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax...* Prudentia illa pastoralis, quæ nihil intendit nisi bonum ovium ; quæ ita oves amat ut suimet obliviscatur, ut omnia eis det, omnia, ipsam vitam earum causa sacri-
Joan. 10. ficet... *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus*

suis... Hæc, ut patet, cœlestis prudentia tota fundatur in fide, in fiducia et charitate... ejusque fons est Jesus, Verbum incarnatum, lumen de lumine, et *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*... Joan. 1.

Nonne ego hac cœlesti prudentia indigeo ?... Accede ergo ad Eum, anima mea, et illuminaberis...

Indigeo quoque lumine, ut intelligam Scripturas... ut apte docere possim populum... ut videam semper absque illusione vanitatem honorum et bonorum hujus mundi, et excellentiam rerum æternarum... ut detegam fraudes inimici... et dirigere possim animas pœnitentium in via virtutis et perfectionis... Atqui, si volo veraciter illuminari, adeundum mihi Cor Jesu : *Dilatabit*, inquit, *Cor meum sinus suos, ut thesauros suos in sibi supplicantes effundat*.

Ad te venio, o Jesu, ut illumines tenebras meas...

II P. THESAURI CONSOLATIONIS. — Omnis homo in hac lacrymarum valle consolatione indiget : multis enim opprimitur miseriis... sive in corpore, sive in anima... sive in honore... sive in bonis externis... sive in amicis et cordis affectibus... Opus est amico et consolatore : et recte Kempensis ait : *Sine amico non potes bene vivere*... addit autem : *et si Jesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis et desolatus*... Jesus enim est ille amicus fidelis et verus de quo Sapiens : *Qui invenit illum, invenit thesaurum. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis : et qui metuunt Dominum invenient illum*... Kemp. II, 8. Eccli. 6.

Invenient illum scilicet in Jesu, qui solus conditiones possidet amici perfecti : videlicet ut intelligat amici afflictiones ac necessitates... ut eum juvare possit... ut illud velit amantissime... Nonne hæc in Jesu et in Corde ejus plenissime invenimus?

Utique, o Jesu, Cor tuum est cor illud amicum, omni consolatione plenum, mihi præsertim sacerdoti tam necessarium... Ad te confugio, *o Deus totius consolationis, qui consolaris nos in omni tribulatione nostra ; ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo*... II Cor. 1.

Scilicet consolatur nos Dominus ostendendo nobis Cor suum amans, patiens et glorificatum... Utinam, o anima mea, has consolationes percipere valeas !...

Matth. 11. III P. THESAURI VIRTUTUM.—*Discite a me*, inquit Dominus, *quia mitis sum et humilis corde*... Humilitas illa et mansuetudo, quæ non est nisi charitas patiens... omnes prorsus virtutes repræsentat, quarum Cor Jesu exemplar et fons est... Omnes itaque virtutes christianas et sacerdotales : puritatem, pietatem... fidem, humilitatem ac detestationem de peccatis... fiduciam et charitatem... fortitudinem et spiritum sacrificii, a divino Magistro discere debemus : ipse eas nobis in Corde suo tanquam in speculo ostendit, simulque gratiam largitur ut eas imitemur...

Nunquam oblivioni dandum illud, quod famulæ suæ B. Margaritæ Mariæ, conquerenti aliquando de voluntatis suæ infirmitate, respondit : *Si debilis tua voluntas, cur eam non roboras virtute Cordis mei ?...*

Adibo ergo, o Jesu dulcissime, *cum fiducia ad* Cor
Hebr. 4. tuum divinum, verum *thronum gratiæ, ut misericordiam consequar, et gratiam inveniam in auxilio opportuno.*

De SS. Corde Jesu. Sanctificatio animarum.

Pr. 1. *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem.* Zachar. XIII, 1.

Pr. 2. Ut divitias Cordis Jesu magis cognoscam, et ex hoc thesauro depromam sacerdotalem sanctitatem.

Duplici actu nobis Cor Jesu sanctitatem communicat : I. monstrando viam, II. largiendo gratiam.

I P. VIAM INDICAT. — Qandoquidem ipsa sanctitas in charitate sita est, sanctitatis via illa erit quæ ducit ad charitatem. Jam vero hæc in Corde Domini significatur spinea corona et cruce, passionis symbolis, quæ nobis peccatoribus simul humilitatem, pœnitentiam et mortificationem prædicant...

Humiliter nostra peccata debemus agnoscere, pro quibus

Christus passus est... eaque ex corde detestari, et quibuslibet pœnis libenter expiare... Insuper ad acquirendas virtutes, nobis vim inferre, laboresque et incommoda constanter tolerare nos oportet... quæ omnia ad charitatem ducunt, et universim *mortificatio* christiana vocari possunt.

Hanc instrumenta passionis in Domini Corde posita significant, imo proclamant, clarissima quadam voce dicentia : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,* Matth. 16. *et tollat crucem suam et sequatur me...* En via, en conditio, en pons transeundus, en porta augusta qua intrandum est ad vitam...

At non in hoc difficultas jacet ut via cognoscatur : est enim manifesta satis ; id vero arduum videtur, ut in illa constanter ambulemus... Humanæ namque infirmitati mortificationis via formidolosa et quasi impossibilis apparet... Non tamen est quod terreamur ; quandoquidem non solum via ostenditur nobis ; sed simul animus offertur a Domino et robur, ad eam strenue percurrendam...

O Domine Jesu, fac ut ex divini Cordis tui documentis bene intelligam, crucem ac mortificationem et generosam sui victoriam veram esse et unicam ad sanctitatem viam ; utque eam ingrediar cum fiducia, vestigia sequens tua et sanctorum...

II P. GRATIAM LARGITUR. — Paulus ex persecutore in apostolum mutatus, hanc sui conversionem, non suis viribus, sed gratiæ tribuit, dicens : *Gratia Dei sum id quod* 1 Cor. 15 *sum... Omnia possum in eo qui me confortat...* Hanc Philipp. 4. gratiam si habuero, nonne similiter omnia potero ?...

Jam vero gratia illa pretiosa fluit e Corde Salvatoris : quam qui susceperit, ita juvabitur, ut crucem Domini facile portet, et brevi tempore cor novum, Cordi Jesu simillimum nanciscatur.

Adeundum ergo cum fiducia Cor Jesu, verus ille *fons patens domui David et habitantibus Jerusalem...* Hic Zachar. 13. omnis vitæ ac vigoris spiritualis plenitudo et abyssus : abyssus humilitatis, abyssus mortificationis, abyssus pietatis, abyssus orationis, abyssus fidei, fiduciæ, charitatis... Quid ergo tibi deest, o anima mea ? Quid quæris vel exoptas ? an humilitatem ? an spiritum orationis ? an fortitudinem in temetipso vincendo ?... Accede, et *hauri aquas in gaudio de*

Isai. 12. *fontibus Salvatoris*... et repleberis virtute ac spiritu Do-
Isai. 58. mini : *et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ*...

Cur ergo pauperes manent multi et languentes spiritu ?
Jerem. 2. Nonne quia ad fontem vitæ non accedunt ?... *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*...

An tu quoque, anima mea, oblata tibi bona respues ? Nonne potius suavissimis Domini invitationibus obsequeris ?
Isai. 55. *Venite*, inquit, *omnes sitientes ad aquas : et qui non habetis argentum, properate, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac*...

Ut autem illas aquas gratiæ e Corde Jesu hauriamus, unum requiritur, ut simus *sitientes*... *Venite*, inquit, *si-*
Joan. 7. *tientes*... Et in Evangelio : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat*... Sitis porro est sanctum ardensque desiderium....

O Domine, tu ipse mihi hanc beatam sitim immitte, ut dicere possim cum propheta : *Quemadmodum desiderat*
Psalm. 41. *cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*...

De SS. Corde Jesu. Sanctificatio sacerdotis.

Pr. 1. *Inspice et fac secundum exemplar.* Exod. xxv, 40.

Pr. 2. Ut mysterium Cordis Jesu penitius intelligam, et ex hoc beato fonte hauriam sacerdotalem sanctitatem.

In Corde Jesu invenitur, I. sanctitatis sacerdotalis forma ; II. ejusdem artificium ; III. ejusdem principium.

I P. FORMA. — Sanctitatis sacerdotalis *forma*, id est exemplar perfectum, nonne in Corde Salvatoris exhibetur,
Psalm. 9. Sacerdotis magni, cui juravit Pater : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ?*... Sacerdos utique ipse est per excellentiam, undequaque perfectus, et secundum cor Dei Patris... Proinde Cor ejus est cor

eminenter sacerdotale, omnisque sacerdotalis perfectionis norma... cui quanto magis cor suum quis conformaverit, tanto perfectior sacerdos erit.

Sacerdotalis sanctitas in Corde Jesu cernitur velut in imagine. Etenim in illo Corde, luminis, vulnerum et flammarum symbolis insignito... quasi in tabula brevi depicta sanctitas unico intuitu videtur : eodem fere modo ac vasta quædam regio, cum fluminibus et montibus, brevi imagine delineata conspici solet...

Eadem sanctitas spectari potest in divino Corde velut in paradiso. In ipso enim virtutes omnes quæ sanctitatem constituunt, quasi in horto spirituali simul collectæ florent : puritas et innocentia, pietas, lumen fidei, firmissima fiducia, fortitudo ac patientia et flamma charitatis...

Item spectabilis est velut in arca Fœderis sanctissima, in qua nihil profani, sed omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi : nullum peccatum, nullus affectus pravus, nulla malevolentia, vel amaritudo, vel superbia, vel ambitio, vel cupiditas, vel invidia, vel sensualitas, aliusve minus ordinatus sensus... sed omnis humilitas et charitas inhabitat...

Concede mihi, Domine Jesu, huic formæ ac imagini divinæ cor meum assimilare...

II P. ARTIFICIUM. — Sanctitatis artificium appellamus methodum, artem, qua sanctitas acquirenda est. Quod quidem artificium et quasi sanctificationis secretum in Corde Jesu latet, fere ut artificium mecanicum in horologio. Quamdiu horologium ejusque motus mirifice ordinatus, extrinsecus tantum consideratur, non plane artificium intelligitur ; si vero apertum fuerit et spectetur intrinsecus, unico fere intuitu cernitur rei explicatio, et quasi verbum ac solutio ænigmatis subito accipitur... Similiter in Corde Christi Domini explicatio panditur sanctitatis.

Ibi enim spiritualis vitæ constitutiva aperiuntur : quomodo scilicet omnis sanctitas, ac virtutum complexio universa, in tribus velut constitutivis contineatur. Hæc sunt : *puritas, humilitas* et *charitas*... quæ tribus symbolis, lumine nimirum, apparatu Dominicæ passionis, et flammis, quibus insignitur divinum Cor, demonstrantur.

Utinam illa tria possideam !... Propterea, o Cor Jesu, ad te venio...

III P. PRINCIPIUM. — Sanctitatis principium, illud primum mobile, ex quo omnis operatio sancta... illa virtus una, quæ sit reliquarum radix in Corde Jesu, est charitas...

Hæc virtus principalis ac regia ita in Corde Domini regnat, ut nihil in hac sanctitatis sede, nisi charitas et mera charitas inesse videatur...

Utinam eadem charitas in corde meo regnet ac sola dominetur !... Hoc ipso omnes ibi virtutes nascentur et florebunt... omniaque spiritualia bona affluent mihi...

Esther. 10. Est enim charitas fons vitæ : *Fons parvus qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est...*

Charitas est radix sancta, ex qua virtutes reliquæ oriuntur. Vel etiam, arbor vitæ vocari possit, plantata in medio paradisi, omnigenos fructus producens, id est virtutes diversas : nimirum patientiam, benignitatem, pietatem, fortitudinem, humilitatem, pacem, gaudium... quæ omnia mirabili varietate ex una stirpe charitatis generantur...

Charitas est sol animarum. Quemadmodum sol innumeros radios in mundum emittit, lumen simul et calorem vivificum in universam naturam diffundens ; ita una eademque charitas omnes sanctimoniæ effectus in anima...

Sap. 7. et in Ecclesia operatur. . Quæ *unica* est et *multiplex*... quæ uno quasi spiritu simul fidem, fiduciam, zelum, omnemque virtutem spirat...

Charitas thesaurus est, quem qui invenit dives est satis... margarita est, pretiosa, viva et vivifica, in qua omnes thesauri divitiarum, pulchritudinis et gloriæ, fortitudinis et potentiæ, suavitatis et delectamenti, scientiæ et sapientiæ simul continentur...

Sap. 7. O divina charitas ! *O candor lucis æternæ ! O emanatio claritatis Dei et imago bonitatis illius !...* Quis mihi det ut inveniam te?... O Cor Jesu, charitatis plenitudo, ad te venio supplex...

———3 8———

De SS. Corde Jesu. Cultus.

Pr. 1. Spectare oculo mentis Dominum Jesum, apparentem famulæ suæ B.Margaritæ et dicentem : *Dilatabit Cor meum sinus suos, ut divini amoris divitias in pios sui cultores effundat.*

Pr. 2. Ut intelligam quomodo SS. Cor Jesu colendum sit, et cultum hunc perfecte præstem ac promoveam.

Triplici modo Cor Domini colendum I. Veneratione imaginis, II. invocatione, III. consolatione.

I P. IMAGO. — Inter omnes sacras imagines, peculiari excellentia SS. Cordis imago insignis est ; ut quæ non ingenio artificis conficta, sed ad ipsius Domini Jesu mentem expressa sit... Repræsentat enim Dominum, qualem sese famulæ suæ, ac per eam Ecclesiæ suæ spectandum exhibuit, quando pectore aperto, in medio lumine Cor suum ostendit, solis instar radios diffundens... cinctum corona spinea, vulnere perforatum, crucem portans... et flammas plurimas emittens ex omni parte...

Quæ quidem viva divinæ imaginis lineamenta omnia loquuntur... omnia intuentis animam mirabiliter movent et inflammant. Loquitur lumen... loquitur passionis apparatus... loquitur ardor flammarum...

Illa ergo imago peculiari modo veneranda est, cum honore præcipuo exponenda... meditanda, fidelibus explicanda frequenter...

Quæ quidem voluntas ipsius Domini est, cum ejusdem imaginis cultui singulares promiserit benedictiones, dicens: *Ubicumque Cordis mei imago peculiaris reverentiæ causa collocabitur, omnigenas adducet benedictiones.*

Da mihi, Domine Jesu, imaginem Cordis tui intelligere, dignoque cultu venerari, et venerandam populo tuo proponere...

II P. INVOCATIO. — Invocandum, exorandum omnique benedictione laudandum est Cor Jesu præcipue in venerabili Eucharistiæ sacramento... ubi in sanctissimo pectore

Jesu Christi realiter præsentis, Cor illud divinum amore flagrans existit...

Igitur in visitatione Sanctissimi, in Missæ sacrificio, in quacumque adoratione, fidei oculo ad sanctuarium Cordis Domini penetrandum est... et tunc loquendum... loquendum ex corde ad Cor ejus...

Porro ad Cor Domini loquendum est, orando cum humilitate, cum fide vivida et fiducia magna... Ei commendanda sunt omnia: præsertim vero conversio peccatorum... et quæcumque opera hunc in finem suscepta vel suscipienda...

Cordi Jesu aperire debeo cor meum totum, omnique
Isaï. 12. fiducia in sinum amici divini effundere... *Ecce Deus Salvator meus! fiducialiter agam, et non timebo...*

A Corde Jesu dona cœlestia pretiosissima quæque petenda sunt... quæ omnia in hoc uno continentur, ut cor nostrum divino Cordi Jesu conforme fiat, ejusque spiritu atque igne repleatur...

O Jesu amantissime, fac me virum, fac me sacerdotem
Act. 13. *secundum Cor tuum, qui perficiam omnes voluntates tuas...* Muta et transforma cor meum, idque a spiritu mundano et amore proprio purificatum, humilitate et charitate tua implere digneris... Esto consolatio mea in omni tribulatione...

III P. CONSOLATIO. — Non solum a SS. Corde consolationem accipere, sed vicissim ipsi consolationem præstare debemus... videlicet visitando sanctissimum Sacramentum, ferventer Domino serviendo, procurando conversionem peccatorum, pauperes et afflictos consolando.

Amici visitatio magno solamini est amico, præsertim cum hic in carcere vel in infirmitate detinetur... Nonne Jesus meus in Sacramento est amore captivus... amore
Thren. 1. vulneratus et languidus?... An *non erit qui consoletur eum ex omnibus charis ejus?...*

Consolabor Cor Domini mei, si ipsi cum fervore deservio, et pietate in Missæ sacrifio, omnibusque excercitiis spiritualibus tot fidelium ac sacerdotum tepiditatem compensare contendo... si ipsi pro tot injuriis a peccatoribus illatis satisfactionem offero...

Et quoniam doloris ac fletus ejus causa est peccatum :

Videns civitatem flevit super illam... consolabor eum peccatores quærendo, lucrando, expiando in sacro Tribunali... Luc. 19.

Solamen Domino est ipsum solatium pauperum ac miserabilium personarum... Ipse enim dolet cum dolentibus, patitur in afflictis membris suis : *Esurivi enim et dedistis mihi manducare.* Matth. 25.

O dulcissime Jesu, tu ipse reple cor meum miseratione tua, charitate tua, pietate et zelo tuo... ut possim tibi debitas gratasque consolationes afferre.

De SS. Corde Jesu. Contemplatio.

Pr. 1. *Nos omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.* II Cor. III, 18.

Pr. 2. Ut Cor Domini sancte contemplari discam, ejusque imaginem in me ad vivum exprimere.

Contemplandum SS. Cor, I. in suis symbolis ; II. in vita Domini.

I P. SYMBOLA. — Cor Jesu, quale ab ipso Domino Ecclesiæ est ostensum, lumine, vulnere, spinis, cruce et flammis ornatum, Verbi incarnati expressio est plenissima... Omnia enim illa symbola loquuntur, et quidem unum verbum loquuntur, in quo uno sunt omnia... Quod verbum non aliud est quam *charitas, immolatio, effusio charitatis...*

Quod si propius sacra symbola inspectemus, 1° *lumen* in quo tanquam in oceano SS. Cor videtur immersum, indicat divinam gratiam... puritatem animæ... scientiam et illuminationem spiritus... gloriam SS. Cordis, juxta illud : *Humiliavit semetipsum, propter quod et Deus exaltavit illum...* Quam gloriam etiam aliquando participandi spem habent, qui Cordi Domini humiliato, patienti... fuerint conformes... Philipp. 2.

2° *Vulnus* lanceæ significat vulnus amoris... vulnus

ingratitudinis inflictum a peccatoribus... ostium sanctuarii et sanctificationis... ostium asyli apertum... ostium fontis... dolorem intimum et compunctionem de peccatis...

3° *Corona spinea*, non florida, non aurea, symbolum est contemptus mundi... humilitatis... paupertatis... obedientiæ ac veræ sapientiæ... veræ potestatis... veræ celsitudinis ac gloriæ.

4° *Crux* in corde plantata, designat omne sacrificium, labores, dolores, abnegationem et mortificationem omnem... seu, ut uno verbo cuncta complectamur, crux in corde est *amor crucis* et alimentum charitatis : *Nullum enim lignum aptius est ad ignem divini amoris nutriendum ligno sanctæ crucis...*

S. Ignat.

5° *Ignis et flamma* est ardentissimus Domini erga Patrem et erga nos amor... zelus salutis animarum... symbolum potentiæ, suavis simul et fortis : *Nihil enim tam durum est ac ferreum, quod non amoris igne vincatur...* Item, ignis devotionis ac fervoris... Præterea, divina fides quæ in spem ac orationem, et in charitatem exardescit... Demum ignis ille, ignis est cœlestis, beneficus ac mirabilis divinæ charitatis...

S. August.

Hunc ignem, quæso, Domine Jesu, in pectore meo accende, *quem venisti mittere in terram, optasque vehementer accendi...*

Luc. 12.

II P. IN VITA DOMINI. — *Ex corde vita procedit...* Spectentur itaque sensus Cordis Jesu, primo in vita ejus mortali, dum jacet in præsepio, dum exulat in Ægypto.. dum laborat in Nazareth... dum prædicat... dum orat... dum infirmorum corporales, aut peccatorum spirituales miserias intuetur... dum ignominiam, calumnias, et dolores omnigenos ab ingratis hominibus patitur...

Prov. 4.

Spectetur Cor Jesu in vita sua eucharistica : Christi perpetua immolatio in sacrificio Missæ, ejusque commoratio nobiscum in Sacramento, effectus est ineffabilis charitatis. Quinam ergo ibi sunt sensus Cordis ejus ?... Quid vult, quidve dicit hominibus in Sacramento, dum a tot sæculis generationes et generationes ante se præterire videt ?... Quid, dum inde aspicit miseros peccatores ?... Quid, dum ante pedes suos videt fideles tepidos ?... Quid, dum videt justos ?... Quid, dum videt me ?... Quid

tacitus clamat? Nonne illa suavissima verba, tam parum intellecta : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ?...* Matth. 11.

Spectetur Cor Jesu in vita sua mystica, seu in vita Sanctorum suorum... Quidquid enim sanctitatis in Ecclesia est, in omne a Corde Jesus tanquam lux a sole descendit : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus...* Joan. 1.

In Sanctis, quasi in totidem speculis, aliquid de fulgore divini Cordis resplendet : in apostolis zelus, in martyribus fortitudo, in confessoribus abstinentia, in virginibus puritas... in Xaverio labor, in Vincentio charitas, in Salesio suavitas... in singulis quasi scintilla ex incendio, quasi guttula ex oceano Cordis Filii Dei delapsa cernitur...

In omnibus ergo Sanctis imago Cordis Jesu, sicut in aqua limpida imago solis, resplendet...

O Cor divinum, Cor sacrosanctum, Cor amabile ! sic tu in me resplendeas... Fiat oculus meus simplex, fiat cor meum immaculatum, ut et videre te, et imaginem tuam in me referre possim...

De SS Corde Jesu. Praxis, obstacula cultus.

Pr. 1. *Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* II Cor. III, 18.

Pr. 2. Ut intime intelligam eminentem devotionem erga Cor Jesu, eamque studiose colam atque promoveam in populo.

I. Quomodo practice SS. Cor Jesu colendum sit. II. Quænam obstacula hanc devotionem impediant.

I P. PRAXIS. — Duplici modo Cor Jesu colendum est : in se ipso videlicet et in sua imagine, et quidem vario obsequiorum genere.

Colendum SS. Cor Jesu in se ipso, quale vivum existit

perpetua renovatio est ultimæ Cœnæ, qua Christus Dominus cum duodecim apostolis, sicut pater cum filiis, pascha manducavit... *Facio pascha cum discipulis meis*... — Hæc autem cœna Ecclesiam repræsentat, tanquam familiam sanctam, in paterna domo feliciter sustentatam.

Matth. 26.

Ecclesia vera est familia, cujus Pater Christus... Nemo enim tam Pater quam amantissimus ille Jesus, qui in cruce nos suo sanguine genuit... in sacra communione nos propria substantia nutrit... nos amat etiamsi fuerimus ingrati filii, aberrantes et prodigi... Nonne semetipsum depinxit in persona patris illius, quem in parabola tam misericordem ostendit erga ingratum filium ?...

Familia sancta, cujus Mater, illa Sponsa Christi, ab ipso constituta hierarchia sacra... vera utique Mater, quæ Baptismo nos genuit, doctrina et sacramentis aluit... a qua omnia tenemus... Eadem amantissima Mater, cui unusquisque nostrum est instar pretiosæ *drachmæ*, *quam accensa lucerna quærit mulier*... et inventam tanto gaudio reponit in thesauro...

Luc. 15.

Familia sancta, cujus filii sunt fideles omnes... Vere filii Dei... *filii et hæredes*... inter se et cum Patre suo, Christo, adunati, sicut membra cum capite in uno corpore sunt conjuncti...

Rom. 8.

An hoc unionis spiritu sum animatus ?...An ex toto corde Ecclesiam amo ?... An Pater, Mater et fratres omnes in hac sacra familia mihi sunt charissimi ?...

Ecclesia est familia felicissima, optime sustentata. Omnes enim Ecclesiæ filii desiderabilia quæque in paterna domo inveniunt... alimentum doctrinæ ac sacramentorum... armaturam gratiæ et roboris ad pugnandum usque ad consummatam victoriam... gaudium et pacem...

Sin autem domum relinquant, a paterna mensa abstineant... mox utique fiunt filii prodigi ac miserrimi...

Da mihi, Domine Jesu, una eademque dilectione te tuamque Sponsam Ecclesiam amare... mensæque tuæ paternæ semper quam sanctissime accumbere et ministrare...

II P. ECCLESIA CŒLESTIS. — Ecclesiam suam gloriosam ac beatam exhibet ipse Christus Dominus tanquam cœtum filiorum, paternæ mensæ accumbentium. *Ego*, inquit,

dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo... Luc. 22.

Jam vero hanc familiam gloriosam ac beatam, in paterna domo æterna felicitate satiatam, figurant Eucharisticæ epulæ.

Illius cœlestis familiæ Pater est ipse Deus, et Christus... Quem Patrem omnes appellamus jure ac merito : *Pater noster qui es in cœlis...* quem facie ad faciem videbimus sicut pueri parentes in terra, omnium bonorum ejus participes... Matth. 6.

Mater ejusdem gloriosæ familiæ Beatissima Virgo est... quæ omnes electos ineffabili amore excipiet... Qualis et quanta Mater !...

Fratres autem et sorores sunt angeli... sancti sanctæque omnes, qui inde ab exordio mundi vixerunt... Quales quantæque personæ, a quibus ut fratres cœlesti dilectione excipiemur, quibuscum conversari dabitur in æternum !...

Grandis illa familia etiam in terra spectabitur, in novissimo die... *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, et cum Pastore ac Patre suo Christo ad cœlestes nuptias introibunt... Matth. 13.

Illic autem satiabuntur omnibus bonis... *Satiabor cum apparuerit gloria tua...* Psalm. 16.

Satiabuntur in intellectu, pura veritate... satiabuntur cognitione, quoniam aperientur oculis corum mysteria Dei... et mirabilia operum ejus in cœlo et in terra...

Satiabuntur in corde, amore divino, qui omnem hujus vitæ filialem ac maternam dilectionem suavitate superabit...

Satiabuntur in sensibus... videntes pulchritudinem, claritatem Dei, Christi, sanctorum, quam sol et luna mirantur... audientes *cantica nova* et *voces quasi citharœdorum citharizantium in citharis suis...* Apoc. 14.

O Domine Jesu, qui dixisti : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis ;* da mihi in Sacramento tuo æternas dulcedines prægustare... Matth. 5

externa quævis et humana talenta... Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora dimanare ad propositum nobis finem salutis animorum oportet...

An orationi adjungo vigilantiam? An vigilo in cogitationes et phantasiam?... in cor meum et affectus?... in linguam et verba?... in opera et gressus?... An vigilo in sensus externos omnes?... An ita vigilo, ut statim quod peccaminosum est repellam?... An vigilantiam exerceo ope examinis conscientiæ quotidiani?...

Quid hic emendandum, ut SS. Cordi Jesu complaceam?...

Matth. 11. II P. FIDUCIALIS ACCESSUS. — *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos?...* Patet autem accessus ad Jesum præcipue in Sacramento altaris, ubi vocat me, ubi eum visitare possum et alloqui familiariter... Quoties eum visito?... Qua fiducia ipsi necessitates meas aperio?... An ita ad eum confugio, ut adjuvari ab eo merear, ut vere reficiat me?... An nunquam fiduciam amitto?...

O dulcissime Jesu, quam parum hactenus misericordiæ tuæ verba intellexi, quibus me, me præsertim sacerdotem ac ministrum tuum, ad te invitas!... Quam tepide, quam frigide tecum in Sacramento colloqui consuevi!... Da mihi, quæso, scintillam Cordis tui, ut ferventer et cum omni fiducia ac familiaritate tecum agere discam et conversari.

Joan1.15,7. III P. UNIO FRATERNA. — *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos... Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos...* Quæ mea charitas? An patiens, mansueta?... An universalis?... æqualis erga omnes?... etiam erga rudiores, molestos, inimicos?... An diligo proximum corde et mente... lingua et manu?... An sollicitus sum servare unionem, et quæcumque unioni sanctæ adversantur studiose averto?... O Cor Jesu, flagrans amore nostri, inflamma corda nostra divino tuo igne, ut nos invicem diligamus, sicut tu nos diligis...

Joan. 17. IV P. SANCTIFICATIO MEA. — *Pater, sanctifica eos in veritate... Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate...* An juxta exempla Domini, sanctificationi ac perfectioni sacerdotali me impendo?...

Porro, ut cum divina gratia ad mei sanctificationem debite cooperer, tria requiruntur : 1° allaborare me oportet in impugnando et minuendo quotidie vitia mea et defectus ; 2° conari perfectius indies implere officia et opera quælibet peragere ; 3° magis magisque amare Deum et æterna bona nobis a Deo proposita... adeoque magis magisque oratione rebusque divinis delectari... Cor Jesu, sanctitatis exemplar, sanctifica cor meum secundum imaginem et similitudinem tuam.

V P. ZELUS ERGA ALIOS. — *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?...* Petit itaque Dominus ut quoad possum, corda inflammem igne amoris ejus. Id autem quomodo efficacius efficiam quam promovendo devotionem sanctissimi Cordis Jesu?... Quis enim tam amantem Dominum cognoscens ac videns non redamet?... Quid hactenus feci pro cultu SS. Cordis?... Quid in posterum faciam?... Luc. 12.

O Domine Jesu, Cor meum, quæso, imprimis igne tuo inflamma, ut eodem igne accendere possim corda aliorum.

O Cor amoris victima,
Cœli perenne gaudium, Liturg.
Mortalium solatium,
Mortalium spes ultima!...
Cor dulce, cor amabile,
Amore nostri saucium...
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

De devotione erga B. Virginem.

Pr. 1. Spectare oculis mentis summum Pontificem et una cum ipso universalem Christi Ecclesiam, ad pedes Beatissimæ Virginis prostratam et dicentem : *Salve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra salve!*

Pr. 2. Ut rite intelligam quid sit in Ecclesia Dei

devotio erga B. Virginem, eaque devotione sim animatus sicut sacerdotem decet.

I. Cur B. Virgo colenda ? II. Qualis ei cultus tribuendus ? III. Quibus actibus præstandus ?

I P. MOTIVA. — Plurima sane motiva Christi fideles, adeoque præcipue sacerdotes Ecclesiæ urgent, ut imprimis et præ omnibus Angelis ac Sanctis, Christi Matrem venerentur.

1° Amor Dei : nihil enim gratius possumus facere divinæ Majestati, nec melius ei amorem nostrum monstrare, quam amando et colendo hanc Virginem ac Dominam benedictam... quippe quæ ob eminentem supra omnes sanctitatem, præ omnibus aliis creaturis, angelicis et humanis, Deo sit dilecta...

2° Amor Christi. Si enim diligimus Dominum Jesum Christum, non possumus non enixe colere ejus Matrem, quam ipse tantopere diligit, vultque a nobis amari et coli... Ah ! Domine Jesu, si de pauperibus loquens, dicebas : *Mihi fecistis*... quid, ubi de tua Matre agitur ?...

3° Amor ac zelus animarum, tum meæ, tum fidelium... Ut Mater nostra amantissima, potentissima, maxima nobis beneficia præstat : continue pro nobis orans... sollicita de bono nostro, Deo, etiam antequam petamus, nostras ostendit necessitates : prout patuit in Cana : *Vinum non habent*... Est valde potens ad impetranda nobis quæ petit, uti iterum in Cana videmus... Atque hinc colligitur quod S. Anselmus docet, veram intimamque erga B. Virginem devotionem signum esse prædestinationis. Animabus enim sibi devotis impetrat omnia eaque efficacia salutis auxilia... Remedia demum omnibus nostris necessitatibus ac periculis suppeditat tanta certitudine, ut S. Bernardus dicere non dubitaverit : *Ille, o Virgo beata, tuas laudes sileat, qui te fideliter invocatam, senserit sibi in necessitatibus defuisse*...

Joan. 2.

Serm. de Assumpt.

4° Hujusmodi devotionis suavitas... Gustate et videte quoniam suavis est Domina nostra... merito *Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra* vocatur...

Quanta est mea erga B. Virginem devotio ?... Ab ipsa petam ut me adjuvet in eadem devotione sancte proficere.

II P. QUALIS CULTUS. — Beatissimam Virginem colere debeo, sicut eam colit sancta Mater Ecclesia, cultu prorsus singulari. Exhibet enim Mariæ venerationem quamdam, quæ propter excellentiam super venerationem Sanctorum, *hyperdulia* dicitur... Cultum scilicet tribuit Mariæ singularem ratione ejus singularis dignitatis...

Cognomina quoque ei dare consuevit, quæ alias sunt solius Dei propria, ut *Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra... cœli porta...* quæ verificat ipsa, non per se, sed per potentissimam intercessionem... Sic etiam ab ipsa petuntur quæ alias concedere solius Dei est : ut *solvat vincla reis, proferat lumen cæcis, mala nostra pellat, Jesum post hanc vitam ostendat nobis...* Quæ verba ego devotissime in sensu Ecclesiæ adhibebo.

Præterea tot templa in honorem Virginis dedicata, tot imagines fidelium veneratione propositæ, tot festa instituta, tot congregationes ac religiosi ordines ad Mariam glorificandam erecti... Ecclesiæ pietatem demonstrant.

His addantur ejusdem Ecclesiæ recursus ad Mariam in suis necessitatibus, memoriaque in officiis sacris frequentissima... Nonne dedicat singulis hebdomadis in honorem ipsius diem sabbati, proprio ei officio et missa constitutis? Imo singulis diebus disponit officium proprium ejusdem Virginis, concessis indulgentiis iis qui illud legerint ; et officio majori Ecclesiæ ad omnes horas, præmittit salutationem angelicam, eique propria antiphona ejusdem Virginis finem imponit...

Accedit demum recitatio *Angelus* ter de die, ad signum campanæ, et usus tam vulgatus tamque commendatus sacratissimi Rosarii...

O Domine, reple me, quæso, hoc Ecclesiæ devotissimo erga B. Mariam Virginem spiritu.

III P. EXERCITIUM. — Ad cultum debitum B. Virgini præstandum plures actus pertinent : quotidianas nempe preces in ejus honorem, sive in officio divino, sive extra illud, devote recitare... Partem saltem tertiam Rosarii singulis diebus Mariæ tanquam debitum tributum persolvere... Mariana festa, mensemque Marianum omni solemnitate ac pietate celebrare... his aliisque mediis, ut exhortationibus, spargendis libris, imaginibus, rosariis,

canticisque devotionem tam salutarem promovere... Mariæ vitam, exempla, gloriam meditari atque in ejus imitationem incumbere : quippe quæ nobis cum Apostolo
1 Cor. 11. clamet : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi...*

In fine, Jesum orabo, ut ignem devotionis erga sanctissimam suam Matrem in me accendat... et ipsam Matrem ut eamdem gratiam mihi impetret... O amantissima Mater quæ in spirituali domo Jacob, id est in Ecclesia habitas, et
Eccli. 24. *in electis mittis radicem*, mitte, quæso, radicem veræ devotionis in anima mea, ut merear te perfecte amare, tibique ut Dominæ servire, tuasque virtutes imitari.

De speciali devotione erga Beatam Virginem Mariam.

Pr. 1. Audire de ore Christi morientis : *Ecce mater tua, ecce filius tuus.* Joan. XIX, 27, 26.

Pr. 2. Ut intelligam qualis devotio B. Mariæ Virgini debeatur, eamque devotionem ipsi quam dignissime præstem.

I. Quid nomine cultus peculiaris intelligendum ? II. Quare hunc Mariæ Virgini debeo ? III. Quomodo præstabo ?

I P. CULTUS PECULIARIS NOTIO.—Devotio seu cultus peculiaris B. Mariæ Virginis, omnino differt a cultu quem reliquis Dei Sanctis atque Angelis exhibemus. Nonne ita ab Ecclesia intelligitur ac præstatur ?...

Nonne cæteri Sancti amici sunt Dei ac servi glorificati ?... *Euge*, inquit, *serve bone*... Maria autem est Dei Mater...
1 Pet. 2. Hebr. 1. Nonne omnes Sancti sunt *gens sancta*, populus Dei gloriosus, *populus acquisitionis ?*... Angeli autem omnes *administratorii spiritus ?*... Maria vero Regina cœlorum ?...

Reliqui Sancti, nonne sunt fratres nostri, Maria autem Mater nostra est ?...

Propterea igitur, quia singulares habet titulos, Matris ac Reginæ, ut Mater ac Regina peculiari reverentia, amore, fiducia, laude ac invocatione colenda est...

Jam vero an Mariam sic colere studeo ?... An ei in templo cordis mei altare eminentius dedicavi ?...

III P. MOTIVA.—Ut B. Mariam Virginem peculiari devotione colamus, motiva considerari possunt ex parte Christi, ex parte ipsius Virginis et ex parte nostra.

1° Quid Christo Domino gratius esse potest, quam ut devotissime colamus ejus matrem ?... Nonne Cor Jesu cor filiale per excellentiam ?... Nonne igitur cultu ac laudibus matri suæ exhibitis mirifice delectatur ?... Ipse scilicet in matre honoratur ; et hic a fortiori valent verba quæ dixit : *Quod fecistis fratribus meis, mihi fecistis...* Matth. 25.

2° Ex parte Mariæ, occurrit ratio sanctitatis eminentioris. *Gratia plena !...* Quis hanc plenitudinem mensurabit ?... Si itaque sanctus quilibet colendus quia gradum aliquem gratiæ possidet, quid dicendum de illa benedicta cui Deus omnes dedit gradus ? *Quantum potes tantum aude, quia major omni laude !...* O vere benedicta in mulieribus !...

Occurrit deinde ratio maternitatis divinæ. Quis hanc ineffabilem dignitatem intelliget ?... O sancta Dei genitrix ! *Quibus te laudibus efferam nescio : quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti !...*

Occurrit tertio ratio majestatis regiæ. Nonne Maria Virgo Regina est sicut Christus est Rex, cœli nempe et terræ ?... *Astitit regina a dextris tuis...* Ps. 44.

Exaltata est super choros angelorum ad cœlestia regna... Jam vero si reddere tenemur quod cuique debemus, *cui honorem, honorem*, quid tantæ tribuendum majestati ?... Rom. 13.

3° Si motiva consideremus ex parte nostra, nonne Maria mater nostra est, nosque ejus auxilio indigemus ?

Mater mea ! Hoc enim verbo efficaci : *Ecce mater tua,* Joan. 19. facta est divinitus mater mihi, et maternis erga me sensibus repleta... Si mater mea terrestris me parvulum cognovit... amavit... curavit... quanto melius mater illa cœlestis ?... Si bona mater in terra, quærit filio suo et procurat quantum potest, educationem, vitæ statum... quanto magis illa mater melior et potentior ?... — Quod si effectus non sentiam materni amoris Mariæ erga me, nonne impedimentum est ex parte mea, quia non sicut ipsa est mater ego sum filius ejus ?... *Si quis est parvulus, veniat ad me...* Prov. 9.

Nonne indigeo matre, consolatrice in afflictionibus... adjutrice in laboribus pro salute animarum exantlandis ?... nonne auxiliatrice in pugnis ac periculis... protectrice in servanda castitate ?...

O Domine Jesu, da mihi aliquid de filiali tuo affectu erga Matrem tuam... O Maria, præsta mihi amorem filialem, qui materno tuo erga me amori respondeat...

III P. PRAXIS. — Devotionem erga B. Virginem exercere debeo interne et externe. Interne quidem, corde filiali... Quantum olim, cum essem infantulus, habebam erga matrem in terris amorem... quantam fiduciam ?... An eosdem gero sensus erga matrem meam cœlestem ?... Si eosdem duntaxat et non majores, non sufficit... Oportet ut sim parvulus erga Mariam : *Si quis est parvulus, veniat ad me...*

Externe quoque devotionem exhibere debeo, per laudes et invocationem, præsertim recitando Rosarium... per imitationem puritatis ejus, et amoris erga corpus Eucharisticum Christi... per prædicationem et propagationem cultus ejus...

In fine fiat oratio ad Jesum, ad S. Joseph, ad ipsam Virginem ut impensæ erga eam devotionis gratia petatur.

De B. Virgine Conjunctio Mariæ cum Jesu.

Pr. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.* Apoc. XII, 1.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo in mysterio regni cœlorum Maria cum Jesu conjuncta sit, et inde erga B. Virginem devotione crescam.

I. B. Virgo cum Christo in opere redemptionis est consociata. II. Sicut Christus est nobis Pater, ita Maria Mater. III. Sicut Christus Rex, ita Maria Regina.

I P. MARIA COREDEMPTRIX. — Voluit misericordissimus ac sapientissimus Deus, ut, sicut perditio nostra a viro et femina originem duxit... ita ab alio viro et femina repararetur... a viro quidem præcipue tanquam a capite et unico

Mediatore nostro, Patreque futuri sæculi ; a Matre autem ejus, tanquam coadjutrice in opere Redemptionis... adeo ut et hic verum sit verbum istud : *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi...* Gen. 2.

Fuit autem Maria coadjutrix, non tantum quia peperit deditque nobis Salvatorem, et quia deinde particeps fuit passionis ac mortis ejus salutiferæ... sed etiam quia posita est in Ecclesia ejus ut dispensatrix gratiarum et magna hominum adjutrix ad salutem... *Hæc est voluntas ejus, qui omnia voluit nos habere per Mariam.* S. Bern.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum nobis dando Salvatorem, Patrem simul et Matrem daret... Sic Ecclesiam suam, mundum spiritualem, creavit, ut in firmamento ejus poneret luminare majus et luminare minus : Jesum, justitiæ solem, et Mariam, justitiæ speculum, ac, velut lunam plenam in diebus suis... deinde stellas, omnes nempe Sanctos...

Gratias tibi, Domine, quod tam magnifice creaveris Ecclesiam tuam... et quod una cum Jesu dederis nobis Mariam Matrem ejus...

II P. MARIA MATER NOSTRA. — Mariam nobis, Christi discipulis, Matrem esse, universa Ecclesia clamat, omnes Sancti crediderunt... ipsaque Virgo sese monstrare non desinit...Atque verbum illud : *Ecce mater tua*, spiritualiter id significare quis Ecclesiæ filius dubitaverit ?... Utique, o benedicta Mater Jesu, tu vere nobis in Matrem data es a Filio... tu verbo ejus *efficaci*, non nomine sed re, corde et animo, intimisque visceribus facta es Mater nostra... Quare cum S. Stanislao exultans exclamo : *Mater Dei est mater mea !...*

Est autem Mater erga unumquemque nostrum corde et officio... Vera ac bona mater filium suum cognoscit, amat, eique educationem et omne bonum, præsertim vero optimum vitæ statum satagit procurare... Atqui hæc omnia eminenter atque excellentissima ratione perficit Maria : dummodo ejus filii suam Matrem agnoscant ejusque beneficia recipere velint...

O Maria, dulcissima Mater, respice filios tuos, pauperes ac gementes... ne projicias me, indignum nimis filiolum, a facie tua....

III P. MARIA REGINA. — Illa scilicet regina est Maria
Psalm. 44. quæ *astitit a dextris tuis*, o Rex gloriæ Christe, *in vestitu deaurato, circumdata varietate...*

Regina utique, non quales reginæ hujus sæculi, quæ pereunt... sed qualis Christus est Rex... Ipse vere constitutus est Rex a Deo Patre, Rex sæculorum immortalis,
Luc. 1. cujus *regni non erit finis...* cujus *thronus sicut sol*
Psalm. 88. *in conspectu Dei, et sicut luna perfecta in æternum...* Christus scilicet Rex permanet sicut sol, Maria sicut luna
Eccli. 50. ejus splendore refulgens: *Sicut luna plena in diebus suis*, nunquam deficiens, sed *perfecta in æternum.*

O Regina cœli, lætare... et ora pro nobis Deum.

Quodnam autem talis Reginæ regnum? quisve regius ornatus?...

Regnum Mariæ est regnum ipsius Christi... nimirum mundus universus... cœlum et terra... Ecclesia Dei, quæ regnum cœlorum vocatur: Ecclesia militans... et Ecclesia triumphans...

Militantis Ecclesiæ Maria est Auxiliatrix potentissima...
Cant. 6. hostibus *terribilis ut castrorum acies ordinata*...cunctas hæreses interimens... et caput serpentis, quod in secta massonica latet, immaculato pede conterens... Quod autem facit pro corpore Ecclesiæ, idem pro singulis membris...

Triumphantis Ecclesiæ Maria est Regina gloriæ, super omnes gloriosos supernæ civitatis cives... et super omnem sanctitatem eorum, immensa celsitudine elevata... Sicut splendentium ordinum angelorum, patriarcharum, omniumque Sanctorum Regina est... ita Regina humilitatis,
Prov. 31. patientiæ, charitatis, omnisque sanctitatis... *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.*

Ornatum ejus regium quis intelliget?... Immensi thesauri gratiæ ac meritorum ejus mutati sunt in thesauros gloriæ et pulchritudinis... sicut plena gratiæ, ita gloriæ plenissima...

O gloriosa Domina, excelsa super sidera... tu Regina
Judic. 9. nostra es, simulque amantissima Mater: *Dominare nostri, tu et filius tuus.*

De B. Virgine. Electio et privilegia.

—

Pr. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.* Ephes. I, 4.

Pr. 2. Ut Mariæ magnitudinem considerando, erga tantam Dominam reverentia crescam et devotione.

I. Quomodo Maria electa sit a Deo. II. Quomodo consequenter privilegiis ditata.

I P. MARIÆ ELECTIO. — Postquam in æternitate sua decrevit misericordissimus Deus Filium suum de femina nasciturum, ut, sicut per virum et mulierem humanum genus perierat, ita per alia vero et per alia repararetur... utque Filius Dei frater noster esset, ejusque mater fieret mater nostra et advocata... ab æterno quoque eam elegit feminam quæ Filii sui mater esset futura...

Inter innumeras autem feminas, quas in sua omnipotentia vidit, oculos in hanc Virginem gratiose conjecit, adhuc in humilitate nihili absconditam... Hanc electionem fuisse prorsus gratuitam, summa humilitate ac gratitudine ipsa semper agnovit: *Respexit*, inquiens, *humilitatem*, nihilum, *ancillæ suæ*...

Gaudeo, Virgo sanctissima, et congratulor, quod Dominus respexerit te, te eligere ac præeligere dignatus sit...

Porro in hac electione ad maternitatem divinam continebantur privilegia, magnalia gratiæ ac gloriæ, quæ talem Matrem decerent... — Vere Maria est *electa ut sol*... unica Cant. 6. nempe et excellentiæ singularis in donis gratiæ... præ omnibus electa *ut esset sancta... et immaculata... in* Ephes. 1. *conspectu ejus... in charitate*... ut quemadmodum Filius futurus erat *Sanctus sanctorum*, ita Mater *Sancta sanctarum* esset, sanctitate superans omnes creaturas...

Quæ omnia ab infinita charitate, qua eam SS. Trinitas præ cæteris dilexit, profluxerunt. Pater eam donis cumulavit eo quod Filii sui mater esset futura; Filius, quod sua mater; Spiritus sanctus, quod in ea incarnationem esset operaturus...

O Virgo sanctissima, adjuva me, vocatum quoque a

Deo ut in conspectu ejus sanctus sim et sine macula... et fac, ut sicut tu vocationi tuæ perfecte respondisti, ita
1 Pet. 1. ego meæ respondeam, *utque per bona opera certam meam vocationem et electionem faciam.*

II P. PRIVILEGIA. — Prælectam Virginem iis privilegiis ac gratiis ornatam creavit, quibus par erat Dei Matrem ornari ac ditari.

Primum privilegium immaculatæ conceptionis fuit, quo præservata est immunis ab originali peccato. Cæteros quidem Adæ posteros divina misericordia erexit a lapsu ; Mariam, quod præstantius est, prævenit ne laberetur... ceteris, velut astris extinctis restituit lumen ; Mariam, electam, ut solem, creavit in splendore gratiæ... quo similior esset Mater Filio, qui, utpote Deus lux est et tenebræ in eo non sunt ullæ...

O Fili Dei, gratias tibi ago, quod Matrem tuam feceris *speculum sine macula*, in quo Sol justitiæ resplendeat... Utinam illud speculum intuens, et ego ejusdem puritatis sim particeps !...

Secundum privilegium fuit immunitas a fomite peccati, id est, a rebellione carnis adversus spiritum, quæ in nobis ex peccato originali consequitur, estque tot gemituum causa... O Virgo beata, impetra mihi, quæso, interioris meæ pugnæ moderationem, quo aliqua saltem pacis ac felicitatis tuæ parte frui mihi liceat...

Tertium privilegium, singularis confirmatio in gratia, qua toto vitæ tempore Maria nullum admiserit actuale peccatum... Dominus scilicet singulari providentia ipsi assistebat, ut non solum peccatum vitaret vel levissimum... sed etiam ut nihil faceret quod minus esset perfectum ; semperque illud opus eligeret quod cæteris melius pulchriusque judicaret... singulis suis actionibus excellentem imprimens illam perfectionem, qua triumphans in cœlo insignitur Ecclesia.

O Deus, qui tam mirabiliter *sanctificasti tabernaculum*
Psalm. 45. *tuum, qui mansisti in medio ejus ut non commoveretur et adjuvisti eam mane diluculo*, eam præveniens in omnibus quæ ageret... me quoque gratia tua prævenire digneris, ut nihil irrepat in operibus quod tibi displiceat...

Quartum privilegium, plenitudo gratiæ, in ipso conceptionis momento Mariæ concessa : tanta scilicet jam tunc gratiæ, charitatis, cæterarumque virtutum ac donorum Spiritus sancti abundantia fuit repleta, ut omnes Angelos Sanctosque superaret... quo digna esset Dei Mater... dignaque Sanctorum omnium Regina... *tanto melior angelis* Hebr 1. ac sanctis *effecta, quanto differentius præ illis nomen* erat acceptura...

O Angeli sancti, jam nunc in ipsa Conceptione sua vestram Reginam veneramini... O Angelorum Regina, jam nunc te angelicis verbis saluto : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus...* Ora quæso, Domina, pro me peccatore.

De B. Virgine. Immaculata conceptio.

Pr. 1. *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum.* Gen. III, 15.

Pr. 2. Ut mysterium immaculatæ Conceptions considerando ac rite venerando, in devotione crescam erga B. Virginem.

Considerandum mysterium istud, I. respectu ipsius Virginis immaculatæ ; II. respectu nostri.

I P. RESPECTU VIRGINIS. — Inter omnia sua privilegia, immaculatæ Conceptionis gratia Mariæ carissima est... qua ita gloriatur, ut voluerit hoc quasi novo nomine appellari, in apparitione Lapurdensi dicens : *Ego sum Conceptio immaculata...* hoc simul vocabulo innuens, in illa prima gratia tanquam in semine totam suam magnitudinem contineri...

Voluntatem Beatissimæ Virginis ejusque Filii esse, ut Immaculata Conceptio, hisce præsertim ultimis temporibus, in Ecclesia præcipuo cultu honoretur, satis patet ex proclamatione dogmatis per Bullam *Ineffabilis Deus ;* ex solemnitate festi diei VIII decembris, et ex insolitis illis apparitionibus, quas miracula tam illustria subsecuta sunt...

Nec immerito istud privilegium Mariæ carum : si enim Virgo est domus aurea, Verbo incarnato destinata, hujusce domus fundamentum est immaculata Conceptio... Si arbor vitæ ac sanctitatis, ejus radix est gratia immaculatæ Conceptionis...

Conceptionis suæ gratia Mariæ pretiosior ipsa Maternitate sua divina. Maternitatis enim dignitas, utut sublimis, non est, per se, nisi gratia *gratis data ;* immaculata Conceptio vero, gratia *gratum faciens*, qua Virgo *tota pulchra* apparuit oculis Altissimi, qua *sola et sine exemplo placuit Domino nostro Jesu Christo*...

Cantic. 4. Offic. Cant. 2.

Immaculatæ conceptionis mysterium, quod *lilio inter spinas* repræsentari solet, consistit in singulari Dei beneficio, quo B. Virgo, non sicut cæteri Adæ posteri in peccato originali sit concepta, sed in sanctificante gratia... In quo continentur duo : exclusio tenebrarum peccati, et infusio luminis gratiæ simul cum infusione animæ... triumphus de peccato et ornatus gratiæ ac sanctitatis... — Victoria de peccato figuratur symbolo *mulieris quæ conterit caput serpentis*... gratia vero ac sanctitas originalis, indumento lucido, de quo Joannes : *Signum magnum apparuit in cœlo : Mulier amicta sole*...

Gen. 3. Apoc. 12.

Hæc itaque fundamentalis gratia Mariæ contulit suam oculis Dei pulchritudinem, fuitque principium sanctitatis et gloriæ ejus...

Gratias ago tibi, Deus, pro excellentissima ista Virginis redemptione... tibique, o immaculata Mater congratulor... Fac, obsecro, ut nos, tanquam veri filii tui, te aliquatenus imitemur...

II P. RESPECTU NOSTRI. — Immaculata Conceptio omnibus quidem fidelibus, at præcipue sacerdotibus esse debet causa lætitiæ... et peculiare objectum devotionis... An solemnitas diei VIII decembris mihi singulariter cordi est?... Quo quidem Immaculatæ Virginis honorandæ studio quid spiritui Ecclesiæ conformius esse potest?... aut quid magis gratum Virgini Filioque ejus?...

Idem mysterium nobis fons est sanctificationis et victoriæ... cum juxta Dei consilia, immaculata Virgo nos adjuvare debeat ad vincendum peccatum... et ad exornandas animas nostras virtutibus, quibus Matri nostræ similes efficiamur...

Adjuvat autem ad triumphum Ecclesiam universam, quæ propterea cantat : *Gaude Maria Virgo : tu cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo...* Adjuvat præsertim Ecclesiam ut triumphet de secta moderna *Muratorum* et *Naturalistarum...*

Adjuvat singulos fideles ut triumphum referant de omni peccato, deque universis hostibus animæ.

Debemus triumphare de peccato jam commisso, per expiationem ac pœnitentiam... de peccato autem futuro, per resistentiam victricem... In utroque nos adjuvat Maria.

Porro ut rite peccato passionibusque pravis resistamus, necesse est cum Virgine immaculata *conterere serpentis caput :* hoc est, oportet 1° vincere superbiam, omnis peccati principium... 2° impugnare vitium dominans... 3° vitia radicitus extirpare, non vero aliquatenus reprimere... 4° principiis obstare, et tentationem quamlibet, statim a primo initio præfocare...

Adjuvat quoque Virgo immaculata, ut exemplo suo animas nostras exornemus virtutibus... inter quas duæ in ipsa illustrius effulgent, humilitas nimirum et charitas...

Humilitate meruit ut usque ad culmen sanctitatis et gloriæ eveheretur : *Qui enim se humiliat exaltabitur...* charitate autem Filio suo facta est simillima : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam...* Cantic.

O Virgo immaculata, Mater plena gratiæ, adjuva me in conterendo capite serpentis, in acquirenda magna conscientiæ puritate... adjuva quoque me, ut vestem Innocentiæ candidam exornem virtutum varietate, iis præsertim quæ tibi præplacent, humilitate et charitate...

De B. Virgine. Nativitas et nomen.

Pr. 1. *Nativitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.* Offic. Nativ. B. M. V.

Pr. 2. Ut cum Ecclesia de nativitate B. Mariæ

Virginis gaudeam, ejusque dulcissimum nomen mihi semper sit in labiis et in corde.

I. De nativitate Mariæ. II. De Mariæ nomine.

I P. NATIVITAS. — Ut Ecclesia cantat, nativitas B. Mariæ Virginis gaudium universo mundo annuntiavit... *Universo mundo*, id est Deo, angelis et hominibus...

Imprimis gaudium fuit SS. Trinitati, cum in lucem editam vidit infantulam adeo sibi charam, per quam tam magna operari decreverat mysteria...

Quare credere fas est, Deum mox angelis in cœlo, justis in terra, Patribus in limbo... revelasse jam ortam esse auroram, ex qua prodiret Sol justitiæ... natam scilicet Matrem futuram Salvatoris... Ingens sane lætitiæ causa, iis præsertim, qui tenebras cognoscebant quibus obvolutus jacebat orbis terrarum... Erant enim tenebræ super universam fere terram : tenebræ ignorantiæ et errorum, tenebræ iniquitatis et vitiorum, tenebræ luctus ac desperationis... Quia totus mundus veluti tenebricosus carcer erat diabolicæ servitutis... Jam vero Mariæ nativitas velut primus radius est illius Lucis *quæ in tenebris lucet*...

Joan. 1.

Luc. 1.

In Joannis Baptistæ nativitate *multi gavisi sunt*, eo quod velut phosphorus esset et præcursor futurus Christi : nonne oportuit ut multo plures gauderent in nativitate Virginis, quæ futura esset Salvatoris Mater, Regina cœlorum, ac, melius quam Eva, *Mater cunctorum viventium*...

Gen. 3.

Sicut Joannis, ita Mariæ nativitas celebratur ut sancta... Fuit sancta, non solum quod ratione immaculatæ conceptionis Virgo in lucem prodiit gratiæ splendoribus ornata ; verum etiam quia gratiam quam nascens afferebat, omnibus vitæ actionibus, cum rationis usu peragendis, auctura erat... Porro sancta hæc infantula rationis usum nacta est circa tertium ætatis annum, antequam in templo præsentaretur... vel, ut alii probabilius censent, eumdem habuit ab utero matris, sicut S. Joannes Baptista, speciali privilegio...

Congratulabor SS. Trinitati, quod ei nata sit talis filia mater, sponsa... congratulabor angelis, quod talis nata regina... mihi ipsi, quod nata Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes mea omnis...

Si Mariæ nativitas gaudium attulit mundo, similiter ejus devotio, ubi in anima oritur, magnam ei affert lætitiam, eo quod certum sit pignus secuturi mox Christi, salutem ipsi allaturi... O Virgo benedicta, quæ Dei jussu *in electis* ejus ad cœlum *mittis radices*... tam altas, quæso, in anima mea mitte devotionis et imitationis tuæ radices, ut æternæ prædestinationis per te pignus accipiam. Eccli. 24.

II P. MARIÆ NOMEN. — Divinitus nomen *Mariæ* parentibus fuisse revelatum, pie creditur, non minus quam *Joannis Baptistæ;* Deumque hoc imprimis nomen ideo elegisse quod, variis linguis varias significationes habens, ad hujus infantulæ excellentias manifestandas præ aliis nominibus erat accommodatum.

MARIA enim *maris stellam*, — *amaritudinis mare*, — *dominam* aut *exaltatam*, — *illustratam* aut *illustrantem*, — *populi* quoque *magistram* significat... quæ omnia in hac Virgine vera reperiuntur. Ipsa enim est maris stella, lux, solatium, ductrix, ad cœlum navigantibus... Est *mare* gratiarum, at non absque amaritudine crucis... — Est *Domina* et *exaltata*, quia appetitionum suarum et sensuum eminenter fuit domina... item, quia Domina angelorum... imo, quia Domina quodammodo ipsius Dei, quippe cui Deus-Homo subditus esse voluit... — Recte dicitur *illustrata* seu *illustrans :* quia insigne sapientiæ lumen accepit, non sibi tantum, sed ut alios etiam illustraret... — ideoque et apostolorum et totius populi christiani facta est *Magistra*...

O sacratissima Virgo, tuum sicut Filii tui nomen *oleum est effusum*, quod corda illuminat, confortat, sanat et exhilarat. Effunde larga manu pretiosum hoc oleum in me, ut sancti tui nominis invocatione ac virtute, per omnes viæ ac vitæ hujus varietates ad portum salutis perveniam. Cant. 1.

De B. Virgine. Præsentatio.

Pr. 1. Spectare Beatam Mariam, Virginem adhuc puellulam, in templo prostratam, dum trimula sese Domino in perpetuam famulam dedicat.

Pr. 2. Ut pietatem ac devotionem tenellæ Virginis intelligam, ejusque efficiar particeps et imitator.

I. Dei inspiratio. II. Parentum pietas. III. Mariæ devotio.

I P. INSPIRATIO. — Dei inspiratione peculiari factum est, ut a parentibus suis Maria, benedictionis filia, cum tenellæ adhuc esset ætatis, trium ut creditur annorum, in templo sit præsentata atque oblata... Quæ oblatio eo tendebat, ut puellula in domo Dei divino obsequio dicaretur, et cum aliis ejusdem instituti virginibus in sanctis operibus occuparetur.

Divina Majestas, cum Mariam sibi elegisset tanquam sanctuarium vivum in quo Verbum caro fieret, et templum in quo habitaret... paterna quadam providentia, et peculiari Spiritus sancti motione, eam ex mundi strepitu extraxit et adduxit in templum suum, ut a teneris annis in conspectu Domini viveret seque totam ejus amori ac voluntati dedicaret. Quapropter locutus est cordi ejus verba illa
Psalm. 44. psalmi : *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui : et concupiscet Rex decorem tuum...* Audivit Maria vocem Dei sui, vidit et agnovit beneficium ejus, inclinavit aurem suam ad obediendum ; oblita est populi sui ac proximorum atque sodalium ; paternæque domui valedixit, ut cœlesti Patri qui eam filiam suam compellabat, penitus adhæreret... Interne scilicet illuminata, intellexit quam pulchrum quamque bonum sit Deo unice vivere, eique omnes cordis affectus, totamque existentiàm dedicare... Hæc gratia vocationis est ad religiosam perfectionem, cujus prima inter feminas Maria Virgo vexillum protulit...

Quantam hic Maria acceperit a Deo gratiam, agnoscat homo ille præ cæteris beatus, quem Spiritus sanctus permovit, ut mundi vanitatibus ac periculis se expediens, omnibusque renuntians, Deo suam vitam devoveat !... Quantam ego, gratia sanctæ vocationis donatus, tibi, Domine, gratitudinem debeo !...

II P. PARENTUM PIETAS. — Deinde sanctorum Joachim et Annæ, B. Virginis parentum pietas est perpendenda : qui, quoniam justi erant, tantum abest ut piis filiolæ suæ votis ac precibus repugnarent... ut potius, divinam vocationem

facile agnoscentes, in Domino sint gavisi, et unicam atque charissimam suam prolem, quam a Domino acceperant, eidem libentissime redderent... felices se existimantes quod dignaretur Deus filiam suam ad suum obsequium vocare...

Hoc exemplo discam magno spiritus fervore unicam, animæque meæ prædilectam voluntatem, primumque ejus affectum, qui est amor, Deo offerre,.. ut nihil velim quod Deus nolit, idque omne ac solum amem quod ipse diligit... omniaque promptissime faciam quod a me voluerit postulare...

III P. MARIÆ DEVOTIO. — Statim ac parentes suis votis acquieverunt, ut pie credendum est, gaudio exultans benedicta puella, Davidicum illud usurpavit : *Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus...* Psalm.121. Moxque quindecim templi gradus conscendit, mente sibi proponens, per omnes virtutum gradus ad perfectionem contendere, illud præ oculis habens : *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator : ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion...* Psalm. 83.

O felix infantula ! conscende gradus omnes domus Domini, ascende prima... ut post te imitatorum agmina trahas in omnem altitudinem sanctitatis... *Trahe nos Virgo immaculata: post te curremus in odorem unguentorum tuorum...* In offic.

Ingressa templum, Deum prostrata humillime adoravit, seseque ei obtulit in obsequium perpetuum... non ad tempus, sed quantum in se esset, ut toto vitæ spatio in domo sancta sua Domino deserviret... *Ecce, Domine, ancilla tua minima... respice humilitatem meam, meque in perpetuum obsequium tuum admittere digneris... In simplicitate cordis mei læta offero tibi universa... Tua sum ego, salvam me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi...* I Paral.29. Psalm.118.

Quam gratum Deo holocaustum !...

Fac, quæso, sanctissima Virgo, ut imitatus exemplum

tuum, me Deo offeram ac consecrem in servum perpetuum, cum certo animi decreto, numquam ab ejus servitio recedendi.

De B. Virgine. Vita in templo. Desponsatio.

Pr. 1. *Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum.* Ps. LI.

Pr. 2. Ut sancta Virginis exempla intuendo, eadem discam pro meo modulo imitari.

I. Mariæ vita in templo. II. Mariæ desponsatio.

I P. MARIA IN TEMPLO. — Ut ætate, ita spiritu ac gratia crescebat adolescentula Virgo, coram Deo et hominibus... Cum omnibus enim Spiritus sancti gratiis cooperabatur, studens *in omnibus suis operibus præcellens esse*... Eadem vero opera perficiebat intentione purissima, charitate ardentissima, discretione, cura, constantiaque perfecta, donec singula ad finem perduceret... Admirabantur angeli et homines... Deus autem in filia sua dilecta complacebat...

Eccli. 33.

Utinam te, o Virgo, possim a longe imitari !...

Dies ejus erant pleni, nec ullam temporis particulam perdebat... partim spiritualibus exercitiis, partim externis occupationibus tempus expendens...Exercitia pietatis erant sacra lectio... et vocalis vel mentalis oratio...

Divinæ Scripturæ libros magna animi sui voluptate legebat ac scrutabatur, Deo ejus mentem illustrante ut eos intelligeret... Inde ad meditationem transibat, conferens in corde suo quæ legisset ; qua *in meditatione exardescebat ignis* divinæ charitatis in anima ejus... Alio tempore, vel psalmos canebat, vel ferventi supplicatione a Deo dona petebat non sibi solum, sed sociis suis totique populo...

Ex oratione, ceu ex monte thuris descendens, in operibus manuum, in lana et lino... serviens templo, cultus ornatui, sociarumque commodis, sese occupabat... ita tamen laborans, ut externis actionibus orationem conjun-

geret. Quare dictum est de ipsa : *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*... Quanta mihi, o Virgo, in his exemplis dedisti !... Cantic. 4.

Tunc quoque oblationem novam Deo obtulit, perpetuæ virginitatis votum... Ad quod speciali Spiritus sancti instinctu inducta est : quo intelligens quam pulchra esset oculis Dei castitas, quamque acceptabile virginitatis votum... simulque amore Dei flagrans ac desiderio ipsum solum sponsum habendi, ut non haberet aliam cogitationem, nisi *quomodo placeret Deo*... prima omnium, priusquam Christus illud Evangelicum consilium daret, perpetuæ virginitatis voto sese Deo obstrinxit atque consecravit...

In ea tum impletum est illud : *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus* (voto nempe, velut sera)... hortus profecto cœlesti sponso gratus, qui in eo *fontem* aquarum viventium aperuit, eumque divina protectione velut sigillo *signavit* et munivit... Cant. 4.

Hinc castitatis amorem petam, Virginisque præsidium implorabo... *Virgo singularis, inter omnes mitis ! nos culpis solutos mites fac et castos*...

II P. DESPONSATIO. — Appropinquante Incarnationis tempore, divina revelatione factum est, *ut desponsaretur Maria viro justo, cui nomen Joseph, de domo David.* Cumque certissima esset Virgo nullum propterea se castitatis periculum subituram, sponsum accipere non repugnavit... Matth. 1. Luc. 1.

Voluit autem Deus Filii sui matrem viro desponderi et conjugem habere, 1° ut virginalis partus simulque Incarnationis mysterium, ad certum tempus celaretur ; 2° ut sic Dei genitricis honori consuleret ; 3° ut adjutorem Virgini in necessitatibus ac peregrinationibus daret, et Filio Patrem nutritium ; 4° ut hac etiam occasione B. Joseph ad sublimem quamdam dignitatem exaltaret... — Gratias tibi, cœlestis Pater, ob suavem quam de famulis tuis geris providentiam...

Mirabor quoque Virginis obedientiam, quæ ut divinam voluntatem cognovit, libenter vitæ rationem acceptavit, a qua maxime abhorrebat... mirabor et fiduciam ejus in Deo circa castitatis suæ custodiam...

Cum non ignoraret Virgo adventum Christi Redemptoris instare, inflammatis desideriis, longe ardentius quam patriarchæ et prophetæ ad Deum suspirabat... Accendebat autem desideria Mariæ zelus, utroque actu suo, amoris videlicet Dei et proximi... — Quanto magis diligebat Deum, tanto ardentius cupiebat eum videre *Hominem* factum, et audire... Videre quoque exoptabat ejus futuram matrem Virginem... et huic ancillari... ut ipsam Mariam revelasse cuidam devotæ suæ famulæ narrat S. Bonaventura. *Suppliciter*, inquit, *Dominum orabam, ut viderem dies Virginis illius, quæ paritura esset Filium Dei; ut non gustarem mortem priusquam oculi mei eam contemplari, os meum eam laudare, manus ei servire, pedes ejus nutui obedire, genuaque flecti possent ad Filium Dei in brachiis ejus adorandum...*

Meditat.de vit.Christi.

Aliunde, cum videret Maria hominum peccata et tot jacturam animarum, zelo accensa appellabat Salvatorem...

Tantumque valuit ejus oratio ut meruerit Verbi incarnationem accelerari...

O virgineæ orationis efficacia!... O virgo sacrata, ora, quæso, pro me...

De B. Maria Virgine. Gaudia et dolores.

Pr. 1. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Psalm. XCIII.

Pr. 2. Ut dolores ac gaudia B. Virginis considerando, ejus virtutes in utrisque circumstantiis discam imitari.

I. Mariæ gaudia. II. Mariæ dolores.

I P. GAUDIA. — Vita B. Virginis, sicut omnium fere hominum, sua gaudia habuit et suos dolores... Porro gaudia quæ sanctissima Jesu Mater experta est, non fuerunt gaudia hujus mundi, vana plerumque aut peccaminosa... sed gaudia sancta, quæ Deus servis suis in hoc mundo cer-

tis intervallis concedere solet, quæque etiam consolationes vocantur seu visitationes divinæ...

Consolationes hujusmodi distinguuntur ab illa bonæ conscientiæ pace, ab illa requie interna, qua gaudet omni tempore anima justa... et de qua dicit Apostolus : *Gaudete in Domino semper*... Phil. 4

Jam vero consolationes B. Mariæ Virginis, quibus peculiari modo exultavit sanctissima ejus anima, recensentur sequentes :

Annuntiatio, qua summo gaudio desideratum Salvatorem tandem venire cognovit... imo eumdem in suo virginali utero concepit...

Visitatio, qua cum S. Elisabeth *exultavit in Deo salutari suo : quia*, ut ipsa dicebat, *respexit humilitatem ancillæ suæ*... Luc. 1.

Nativitas, quando oculis contemplata est mirum infantulum, cujus magnitudinen noverat...

Præsentatio Jesu in templo, ubi Simeonem et Annam vidit, agnoscentes divinitus in humillimo infante Redemptorem mundi ac lumen omnium populorum...

Inventio in templo, ubi post summas animæ anxietates, amissum inveniens Jesum, ineffabili consolatione perfusa est...

Resurrectio, quando desolatione ac lacrymis immersa, apparente sibi Filio gloriose redivivo, paradisi gaudiis est recreata...

Spiritus sancti adventus, quando vidit fructum passionis Filii, et incipientem conversionem mundi...

O Maria ! tibi congratulor... Fac me quoque sancte gaudere tecum, et consolationum tuarum fieri participem.

II P. DOLORES. — Devotio erga *septem*, seu immensos *dolores* B. Mariæ Virginis, huic Matri dolorosæ, ejusque Filio tam grata est, ut ad eam propagandam religiosum ordinem nomine *Servorum* B. Virginis, suscitaverit, et fidelibus eam colentibus, via revelationis, pretiosissimas promiserit gratias... Ex altera parte, eadem devotio est spiritui Ecclesiæ tam consentanea, ut hierarchica auctoritas festum instituerit sub titulo *Septem Dolorum* B. Mariæ Virginis, idque bis in anno præscripserit celebrandum...

Cur autem B. Virgo tot debuit experiri dolores, cum

nullam culpam haberet expiandam?... Nonne ut similis esset Filio suo patienti?... ut Regina esset martyrum?... ut immensis cumularetur meritis?... ut nobis omnibus exemplum daret perfectæ patientiæ?... consolatrixque fieret omnium afflictorum?...

Præcipui autem dolores Virginis recensentur septem :

Simeonis prophetia, qua Filio reservatæ persecutiones, ipsi vero Matri doloris gladius est annuntiatus : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius...* Luc. 2.

Fuga in Ægyptum, quando ad surripiendum puerum furori Herodis, cum eodem tenello, de nocte, mediaque hieme, longinquum exilium petere coacta est...

Amissio Jesu duodecennis, quando maxima amaritudine vidit se Jesu suo orbatam, eamque cum animæ angustiis quæsivit : *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te...* Luc. 2.

Occursus Jesu in die passionis, ubi in platea Jerusalem Filium vidit cruce onustum, spinis coronatum...

Crucifixio Jesu, quando vidit dulcissimum Filium, quem sciebat esse Regem gloriæ, crudeliter in crucis altari extensum, clavisque affixum... ibique in tormentis morientem...

Depositio de cruce, ubi exanime corpus Jesu in brachiis excepit...

Sepultura, quando idem charissimum corpus, e brachiis suis sublatum, vidit includi in monumento...

O Maria, quis amantissimi Cordis tui dolores intelligat? Merito sane compatiens tibi, Ecclesia sic tuas celebrat ærumnas : *Stabat Mater dolorosa juxta crucem lacrymosa, dum pendebat Filius... O quam tristis et afflicta fuit illa benedicta Mater Unigeniti!... Eia Mater, fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam. Fac ut ardeat cor meum in amando Christum Deum ut sibi complaceam...* Liturg.

De B. Maria Virgine. Convictus cum Jesu.

Pr. 1. Spectare in domo Nazareth amabilissimum puerum Jesum, dum oculis sublatis Patrem

cœlestem precatur ; et juxta ipsum Joseph et Mariam, qui genibus flexis faciem ejus contemplantes, tacite dicunt : *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Cantic. VI, 2.

Pr. 2. Ut intelligam sublimem Mariæ cum Jesu convictum ac suavissimum commercium, atque hinc hauriam devotionis incrementum erga Matrem et Filium.

Mariæ cum Jesu commercium, I. in infantia ; II. in adolescentia ; III. in vita publica.

I P. MARIA CUM JESU INFANTE. — Quis enarrabit, quis intelliget, quomodo Maria divinum puerum aspiceret, qui sub Matris oculis *crescebat et confortabatur plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo !...* Cognoscebat enim eum, quem ex ore angeli didicerat esse *Filium Altissimi...* eumque oculo interno magis quam externo intuebatur... O Beatissima mater, quanta admiratione, quanta reverentia, quanto amore tuum Jesum contemplabaris !... Luc. 2. Ibid. 1.

Quomodo curam ejus agebat pia mater?... Quanto amore ei alimenta præparabat, atque ministrabat panem vel potum ? Quanta reverentia ac sollicitudine vestimenta ejus curabat et lectulum !...

Ubi infantili voce cœpit quædam verba proferre, sciens Virgo ea verba esse Dei sui, quomodo audiebat et conservabat in corde suo !...

Ubi cœpit parvis manibus laborare, faciens mirabili gratia quod pater ipsi vel mater reverenter injungebat, quanta eum admiratione Maria contemplabatur !... An poterat a tam amabili filio avellere oculos ?...

Ubi ineffabili amore ac reverentia suam matrem alloquebatur, ejus mandata petens ut obediret, dicens : *O Mater mea quid me vis facere ?* Ipsa agnoscens Deum suum, in corde respondebat : *Ego tibi debeo obedire, et tu vis esse subditus mihi !* Atque in hoc sensu vix non procidebat ad pedes pueri sui... At Jesus hæsitanti dicebat quod postmodum Præcursori : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Matth. 3.

At ubi Jesus divina prorsus pietate, sublatis in cœlum

oculis, parvisque manibus junctis, orabat... quanta admiratione, quantaque reverentia eum intuebatur, ipsamet mater Filio oranti sese consocians!

Aliquando vidit sanctissimum puerum incommodis, dolore affectum, rebus necessariis privatum, præsertim in Ægypto; fame, siti, æstu, frigore, fatigatione afflictum, nec tamen ullo gemitu conquerentem... O quanto tunc dolore afficiebatur tenerrima parens! Quomodo ipsa jejunabat ut nihil Filiolo deesset!...

At quando blandus arridensque Puer matrem suam amplectebatur ambobus brachiolis stringens, *et osculabatur osculo oris sui*, quæ fuerint sanctæ cordis tui deliciæ, o Maria, nullus intellectus capere sufficit... Et ubi dixit tibi : *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum... Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce...*

Cant. 1.

Cant. 4.

II P. MARIA IN ADOLESCENTIA JESU. — Ubi attigit Jesus tuus ætatem duodecim annorum, quales et quantæ quamque sanctæ fuerint gratiæ ejus oculis tuis, o Maria, tu sola enarrare posses... Atque inde incomprehensibilis dolor tuus de amisso, atque lætitia de recuperato hoc thesauro in Jerusalem... Tu vidisti, tu sola intelligis id quod, a te sane acceptum, narrat Lucas : *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines...*

Luc. 2.

Vidisti et oculis secuta es ejus modestiam semper majorem, ejus pietatem, obedientiam, temperantiam, abstinentiam... omnesque amabilissimas virtutes... Vidisti adolescentem divinum, velut *olivam fructiferam* crescentem... quasi hortum irriguum, cujus non marcescunt flores, *sicut fontem aquarum, cujus non deficient aquæ...* At quo sensu, quo affectu, eum aspiciebas, vili operimento opificis præcinctum, labori incumbentem, sudore manantem... facie tamen cœleste gaudium præferentem?... Vidisti ejus erga externos, etiam dyscolos, humanitatem : *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur... nec inventus est dolus in ore ejus...* Nonne recordabaris Isaïæ verba : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus?...*

Psalm. 51.

Isaï. 58.

I Pet. 2.

Matth. 12.

III P. MARIA IN VITA JESU PUBLICA. — Considerari hic potest quomodo Virgo secuta sit Jesum, regnum Dei evangelizantem, sicut una de minimis inter discipulos... Minus enim jam eum ut suum filium aspicit, quam ut Dominum ac Magistrum... O quam vere Beata proclamatur Mater! non tam quia lacte eum nutrivit uberum, quam eo quod tam perfecte *audit verbum Dei et custodit illud*... — Dein perpendatur quomodo sequatur eum Mater incomparabilis usque ad crucem... et concludatur meditatio oratione ad Jesum et ad Mariam... Luc. 11.

De B. Maria Virgine. Post ascensionem.

Pr. 1. Spectare Virginem sanctissimam, inter primos christianos effulgentem tanquam exemplar totius christianæ justitiæ, et tacite dicentem : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* I Cor. XI, 1.

Pr. 2. Ut Matris meæ vitam, *speculum justitiæ*, sancte intuear, eamque a longe saltem valeam imitari.

I. Quomodo Maria duxerit vitam communem. II. Quomodo impleverit officia cuncta vitæ christianæ.

I P. MARIÆ VITA COMMUNIS. — B. Virgo Domina nostra, post ascensionem Filii, non se recepit in desertum sicut Magdalena ; sed, sicut ipse Jesus, vitam elegit communem inter Christi fideles...

Hac in re, ut in omnibus, ductum sequebatur Spiritus sancti, qui volebat Matrem Dei manere cum discipulis, eosque præsentia sua consolari... atque juvare exemplo...

Porro vita illa communis B. Virginis facile intelligitur fuisse, sicut Filii, perfectissima, et viva expressio evangelicæ legis... atque consiliorum... — adeo ut nascens Ecclesia a Maria didicerit servare, tum officia communia vitæ christianæ... — tum perfectionem illam, quæ etiam consilia evangelica servanda includit...

Nonne et ego imprimis, sacerdos Domini, servare debeo

omnia quæcumque mandavit Dominus, quæque teneor servanda docere fidelibus? Nonne exemplo omnibus præire?... Nonne, ratione vocationis, longius procedere, et ultra vitam irreprehensibilem ad perfectionem tendere me decet?... Tu, quæso, Virgo, apostolici ac sacerdotalis ordinis Regina, precibus tuis adjuva me, ut et ego inter
1 Cor. 11. fideles dicere possim : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

II P. OFFICIA CHRISTIANÆ VITÆ. — Quam perfecte legem Christi custodiret Maria, inde collige quod tam pie *servaret*
Luc. 2. *omnia ejus verba, perpetuo conferens ea in corde suo.*
Psalm. 39. Cum Filio suo sane dicere poterat : *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei...*

Ab omni specie peccati declinans, quidquid divinæ legi contrarium esset, quasi naturaliter abhorrebat, hoc Spi-
Psalm. 118. ritus sancti sensu animata : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum...*

Officia autem christiani hominis omnia, respectu Dei... respectu proximi... et respectu status sui, quam sancte, quam constanter implevit !...

Quanta fide, reverentia et pietate orabat Jesu Mater !... quamque assidua erat in orando !... Omni tempore utique
Luc. 18. ac loco implens illud Filii sui verbum : *Quia oportet semper orare et non deficere...*

Semper in præsentia Dei ambulans, omniaque opera in conspectu Dei perficiens, frequentissime, etiam cum laboraret manibus, corde vel labiis orabat... ejus quippe *con-*
Philipp. 3. *versatio erat in cœlis...*

O Virgo Beata ! gaudeo et exulto, quod videam te tam intime cum Dilecto tuo conjunctam, lumine Spiritus sancti gratiisque perfusam, cœlestibusque deliciis affluentem...
Psalm. 93. Et merito quidem *post multitudinem dolorum tuorum in corde tuo, consolationes Dei lætificaverunt animam tuam...* Communica, quæso, Domina, servo tuo vel guttulam
Ps. 118. abundantiæ tuæ, ut *dilatato corde viam mandatorum Domini decurram.*

At quomodo sanctissima Virgo quotidie sacrificio Missæ intererat?... Postquam sacrificio cruento in Calvario adstiterat, illud cum Filio suo, sacerdote ac victima, in summis

angustiis offerens ; qua fide, qua animi conjunctione cum eodem Filio, invisibili sacerdote ac victima, nunc idem offert incruentum !... O Virgo Mater, fac me devotionis tuæ in Missæ sacrificio participem.

Et quomodo quotidie communicabat ?... Ita profecto Filium suum in SS. Sacramento suscipiebat, ita cum ipso sese invisibiliter uniebat ac delectabatur, ut in ejus amore colliquescens, unionis cum ipso in visione beatifica delicias prægustaret... In singulis porro communionibus, ob eximiam suam fidei ac desiderii dispositionem, augmentum gratiæ recipiebat tantum, quantum nulla lingua sufficiat declarare...

O suavissima Virgo, dulcissima Mater, ex animo lætor quod videam gaudium illud ineffabile, quo in Filii tui incarnatione fuisti cœlitus perfusa, tibi quotidie in sacra communione renovari ; dum eumdem sacramentaliter condis in tuo pectore, quem tunc in utero concepisti !... Per eumdem Filium tuum oro te supplex, ut dispositionem mihi impetres tuæ similem... per quam similiter Sacramenti fructuum efficiar particeps.

De B. Maria Virgine. Consilia evangelica.

Pr. 1 *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me.* Matth. XIX, 21.

Pr. 2. Ut intelligam quam perfecte Domina nostra servaverit consilia evangelica, utque in eadem observatione vestigia ejus sequi contendam.

I. Quomodo Maria servaverit evangelicam paupertatem ; II. obedientiam; III. castitatem.

I P. EVANGELICA PAUPERTAS. — Non aliter profecto ac Filius suus de paupertate ac divitiarum contemptu sentire potuit Jesu Mater... Quapropter paupertatis voto in perpetuum se obstrinxit... non tunc solum cum primi fideles magno numero voluntariam paupertatem sectabantur, sed, ut magis certum videtur, dudum ante mortem Domini.

Nonne spectatrix fuerat paupertatis Jesu, in stabulo, in Nazareth, in vita publica ?... Nonne ex ore ejus audierat præconia paupertatis ?... Semper itaque præ oculis habens paupertatem Filii Dei, et in corde suo conferens ejus verba:

Matth.5,19. *Beati pauperes spiritu... Vende quæ habes et da pauperibus...* omni possessione abdicata, vivebat ex eleemosyna, quam apostoli fidelibus, et nominatim viduis *divi-*

Act.4 et 6. *debant, singulis prout cuique opus erat...* melius quam

1 Tim. 6. Paulus, contenta habere *alimenta et quibus tegeretur...* Nam memoria tenens fel et acetum, ac nuditatem Filii Dei in cruce, o Virgo, quanta erat tua frugalitas!...quanta vestimentorum modestia et vilitas !... Quantum abhorrebas ab omni specie lautitiæ vel fastus !... Vere pauper spiritu, majores semper cupiebas paupertatis effectus experiri...

O Domina mea et Mater, impetra mihi eodem paupertatis spiritu animari...

II P. OBEDIENTIA. — Noverat quoque Maria quid Filius Dei de obedientia sentiret : viderat Dominum mundi, Sapientiam incarnatam, subditum sibi et S. Josepho ; viderat eum obedientem usque ad mortem... Quam perfecte exemplum illud secuta est !... Quomodo obedivit sanctissimo Sponso suo Joseph ?... Nonne omnes obedientia superavit sanctas illas mulieres, quas S. Petrus in exemplum citat, et exhibet ut animam suam ornantes in conspectu Dei, potius quam externam faciem... *sperantes in Deo, sub-*

I Pet. 3. *jectas propriis viris? sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans...*

Nonne obedientiæ spiritum manifestat, illud Virgini familiare nomen *ancillæ Domini ?...*

Nonne inter fideles primam se exhibuit in servandis religiose Petri, aliorumque apostolorum statutis ?... Memor

Matth. 12. sane hujus Filii sui sententiæ : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est...* ut se Filio suo veram matrem exhiberet, quam perfectissime voluntatem Patris implebat obediendo iis, quos Dei Filius suo loco reliquerat...

O Virgo celsissima, gaudeo quod videam te Christi Matrem esse duplici titulo... remanet, ut tertio modo ejusdem Mater fias, eum videlicet in corde meo spiritualiter gignendo, ut semper vivat in me, per obedientiæ spiritum...

III P. CASTITAS.— De castitate Mariæ Virginis, quæ humana vel angelica lingua digne loquetur ?... Ipsa Dei Ecclesia suam hic impotentiam confitetur : *Sancta*, inquit, *et immaculata Mariæ Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio : quia per te Redemptorem nostrum suscepimus Dominum nostrum... Sola sine exemplo placuisti Domino...* Offic. purit. B. M. V.

Peculiari Spiritus sancti illustratione ab infantia cognovit ineffabilem castitatis pulchritudinem, ejusque cœlestibus illecebris capta, a tenerrimis annis eam Deo vovit servandam... votumque servavit ea mentis corporisque munditie, quæ angelorum puritatem superaret.

Beata Maria tantæ exstitit puritatis, ut Mater Domini esse meretur... dignum scilicet Filii Dei habitaculum.. quæque de Spiritu sancto concipiens, ex virginea sua substantia Dei Filium gigneret incarnatum... Hæc est quam Ecclesia vocat Mariæ *virginitatem fecundam...* In offic.

Deum hujusmodi decebat nativitas, inquit S. Bernardus, *qua non nisi de virgine nasceretur. Talis congruebat et virgini partus, ut non pareret nisi Deum...* Homil. super *Missus.*

O Virgo singularis ! non tantum mirabilis es oculis nostris...sed et imitanda...Regina materque es virginum...virginitatis vexillum in mundo præferens : *Adducentur Regi virgines post eam : proximæ ejus*, ei addictæ ac devotæ animæ, *afferentur tibi*, o Rex, castitate sua conspectu tuo dignæ... Protege, quæso, Maria, et ab omni labe custodi famulos tuos, qui sub tuum præsidium confugimus. Psalm. 44.

De B. Maria Virgine. Virtutes ejus.

Pr. 1. *Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Apoc. XII, 1.

Pr. 2. Ut in Maria tanquam in speculo justitiæ omnigenas virtutes perspiciam imitandas.

I. Mariæ virtutes spectatæ generatim ; II. spectatæ in particulari.

I. P. GENERATIM. — Merito Maria vocatur *speculum*

justitiæ, quia sol justitiæ Christus, cum omnibus virtutum radiis in ea refulget... et ex altera parte, quia nos, Mariæ filii, in eam conjicere oculos debemus, ut videamus quod
De Virgin. l. 2. imitemur... *Sit vobis*, inquit S. Ambrosius, *tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis* plenæ atque omnigenæ...

Exod. 25. Merito Virgo *Fœderis arca* vocatur, quæ olim ex *lignis setim compacta* incorruptibilibus, *deaurata erat auro mundissimo intus et foris*... sic enim ipsa incorruptibilem suam castitatem pretiosis virtutibus, tam internis quam externis exornavit... adeo ut, juxta Apostolum, eminenter
1 Cor. 7. *sancta esset corpore et spiritu*...

O Mater mea et exemplum, impetra mihi tuam corporis et spiritus sanctitatem imitari...

II. P. IN PARTICULARI.— In secundo libro De virginibus, S. Ambrosius varias in B. Virgine ostendit virtutes imitandas, quas ad castitatis custodiam refert. Prima, cœlestis quædam *modestia*. Hæc in omnibus externis motibus sanctissime moderatis, in aspectu, incessu et modo loquendi ita elucebat, ut externus corporis habitus speculum esset internæ sanctitatis... speculum, inquam, in quo velut splendor quidam divinitatis apparere videbatur...

Secunda, *silentium* prudentia plenum. Quoniam multum Virgo loquebatur cum Deo, ideo rarum habebat sermonem cum hominibus... et tunc solum, quando id necessitas vel charitas postulabat... Nec aliter loquebatur quam verbis paucis, humilitate ac suavitate plenis... ut ex iis constat quæ in Evangeliis referuntur...

Tertia, singularis *temperantia et abstinentia*. Servabat in refectione corporis regulam quamdam cœlestem, quam referens S. Ambrosius: *Cibus*, inquit, *plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret*... Nec dubium quin post Filii ascensionem impleverit quod ipse
Matth. 9. futurum dixerat his verbis: *Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt*... Ipsa ergo plurimum jejunabat... tunc maxime, cum aliquid a Deo pro bono Ecclesiæ petebat, vim faciens per orationem et jejunium...

Quarta, mirabilis *vigilantia*. Ut enim idem S. Ambrosius refert, somno dumtaxat indulgebat Maria tantum, quantum ad vitam sustentandam esset necessarium... Imo, tam unita erat Deo anima ejus, ut etiam sopito corpore cum Deo ageret, juxta illud Canticorum : *Ego dormio, et cor meum vigilat...* Cant. 5.

Quinta, insignis *diligentia*, quam in externis operibus adhibebat, quæ ad cultum Dei... ad gubernationem pauperculæ suæ domus... et commodum proximorum pertinebant... adimplens piissima sollicitudine officia religionis... officia sui status... et officia misericordiæ erga proximum...

Sexta demum, vigilantissima sui *cordis custodia*, de qua Sapiens dicit : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit...* Sensus itaque suos ab omni inordinatione custodiebat, ut cor suum purum servaret Deo suo, cui soli placere cupiebat... *Arbitrum mentis*, ut S. Ambrosius inquit, *solita erat, non homines, sed Deum quærere*, cujus gloriam ut semper respiciebat, ita semper optabat... et quoad poterat procurabat... Prov. 4.

O virgo suprema, cœlestibus spiritibus purior !... gaudeo et mente exulto, quod virginitatis omniumque virtutum sis speculum, totiusque christianæ perfectionis exemplar et magistra... Ora, quæso, pro me supplicibus verbis divinum tuum Filium, ut virtutibus tuis me pauperculum servum tuum exornet... faciatque tui in perfectione christiana imitatorem.

De B. Virgine. Quædam opera sancta.

Pr. 1. *Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* I Pet. II, 3.

Pr. 2. Ut exempla Mariæ intuentes, ad ea sequenda sancto ardore inflammemur, cœlitusque roboremur.

I. Quomodo Maria visitaverit Calvarii montem. II. Quomodo exercuerit zelum animarum. III. Quomodo sustinuerit persecutiones.

I P. VISITATIO CALVARII. — Inter pietatis exercitia, quibus Domina nostra delectabatur, illud sane jucundius ei fuit

ut loca sacra visitaret, in quibus ejus Filius mysteria nostræ redemptionis fuerat operatus... hortum Gethsemani, montem Calvarium, sanctum sepulchrum, montem Olivarum... et sacrum ipsum cœnaculum, ubi Spiritus sanctus fuerat datus sanctissimumque Sacramentum Eucharistiæ institutum... Quanta reverentia ad hæc loca accedebat !... quamque alta contemplatione mysteriorum, quæ in eis gesta fuerant !... Quam mirabiles circa eadem recipiebat illustrationes !... O si potuissem tua, o Virgo, in istis itineribus vestigia sequi !... Et nunc, quæso, duc me tecum, et doce me illa mysteria contemplari... doce me in nostris templis stationes Viæ crucis obire, sicut tu easdem obibas in ipsis mysteriorum locis...

II P. ZELUS ANIMARUM. — Spiritu Filii sui animata, ejusque charitate succensa, Deipara zelum quemdam habebat ardentissimum gloriæ Dei et salutis animarum... sed simul ordinatissimum, quem omnes possumus imitari... Orabat enim nunc pro Evangelii prædicatoribus ... nunc pro ipsis peccatoribus ut eorum corda moverentur... et credere fas est, orationibus ejus non minus quam apostolorum verbis, tantas hominum multitudines ab initio fuisse conversas et in Ecclesiam intrasse... Orabat et pro martyribus, ut Deus eis constantiam daret et victoriam... — Ora quoque pro me, Beatissima Virgo, et *da mihi virtutem contra hostes tuos*, qui sunt hostes animæ meæ...

Animas quoque juvabat mirabili exemplo vitæ suæ, tanquam prædicatione muta, sed efficacissima ad omnem virtutem trahens. Nam splendebat in ea sanctitas et charitas quasi divina ; adeo ut, teste S. Dionysio, nisi fides præpedisset, aspicientes eam Deum existimassent sicut erat Filius ejus.

De div. nomin. c. 3.

Verbis etiam ædificabat apostolos... et evangelistas, ut S. Lucam, cui multa aperuit de mysteriis infantiæ Jesu... Servabat enim omnia illa verba in corde suo...

Consolabatur præterea et devotione inflammabat christianos multos, ad se, etiam ex remotissimis regionibus venientes. Nam, teste S. Ignatio Martyre, omnes cupiebant illam videre, tanquam prodigium quoddam cœlestis sanctitatis...

Epist.1.et2

Verum ulterius progressa est ejus charitas. Nam, ut

idem S. Ignatius refert, itinera nonnulla instituit ut fideles juvaret et consolaretur, qui cupientes ad eam venire non poterant... Ipsamet benignissima Mater adibat eos, ad confirmandos alios in fide, ad erudiendos etiam alios qui fidem nec dum cognoverant. Quanta mihi exempla imitanda !...

III P. PERSECUTIONES. — Eodem semper Ignatio memorante, Maria magnas sustinuit obmurmurationes et persecutiones a Scribis, Pharisæis, iisque omnibus qui ejus Filium oderant... Gaudebat autem eo quod contemptum et contradictiones pro Jesu nomine pateretur... suoque patientiæ exemplo fideles persecutionibus obnoxios mirabiliter animabat... ut et ipsi *irent gaudentes a conspectu concilii : quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Act. 5.

Affligebatur vero ejus anima ob lapsus et peccata quorumdam in fice debilium; nam verius quam Apostolus dicere poterat : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?...* II Cor. 11. peccatorum autem hujusmodi tristi spectaculo non despondebat animum, sed urgebatur ad ferventius orandum et diligentius delinquentium salutem procurandam.

O Virgo suprema, si in partu Filii tui Jesu nullos es perpessa dolores ; in partu filii tui adoptivi, quod est humanum genus, quam acerbe cruciaris !... O Mater, de unoquoque nostrum sollicita, nosque *iterum parturiens*, ora, quæso, et clamare ne cesses, donec formetur Christus in corde meo... donec ipse plene in me vivat, et ego in illo in æternum. Galat. 4.

De B. Maria Virgine. Transitus ex hac vita.

Pr. 1. *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit usque ad perfectam diem.* Prov. VI, 18.

Pr. 2. Ut intelligam quam sancte se præparaverit Virgo Deipara ad assumptionem suam, atque hoc exemplum studeam imitari.

Ante B. Virginis assumptionem tria consideranda : I. culmen sanctitatis ad quod ascendit ; II. desiderium conjunctionis suæ cum Christo ; III. acceptatio mortis.

I P. SANCTITATIS CULMEN.—B. Virgo, inter alias causas, ideo mansit post ascensionem Filii in hoc mundo, ut præstitutum a Deo sanctitatis culmen attingeret. Illud autem culmen ut cognoscamus, considerandum est quomodo benedicta Virgo novos quotidie ascenderet perfectionis gradus... Nam in singulis operibus summam afferebat diligentiam omnemque amoris affectum... Unde fiebat ut unaquaque actione augeret meritum, augeret spirituales suas vires, augeret immensam qua jam flagrabat charitatem... Atque ita charitas, quæ in hac vita certum terminum non habet, in Virgine crescebat quotidie incomprehensibilibus augmentis...

Hinc apparet quam eminenter impleret Domina nostra
Deut. 6. præceptum illud maximum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua :* nam totam se impendebat in amando Deo... Perfectissime item exsequebatur petitionem illam Dominicæ precationis : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra...* eam implens in rebus magnis et parvis, eadem imo majori diligentia ac amore, quam angeli in cœlo...

Cant. 7. O Virgo gloriosa, *filia Principis* supremi, *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis* tot virtutum !... Adjuva me, quæso, ut et ego progrediar quotidie de virtute in virtutem...

II P. DESIDERIUM ASSUMPTIONIS. — Quam inflammata fuerint B. Virginis desideria, in ultimis præsertim vitæ annis, ut transiret de hoc mundo ad Deum ac Filium suum Jesum Christum !... Non ex præsentis vitæ tædio... sed ex puro amore vehementius quam David suspirabat : *Heu*
Psalm. 119 Ps. 41. *mihi ! quia incolatus meus prolongatus est... Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus...*

Existimandum tamen, fuisse in corde Virginis sanctam etiam pugnam inter amorem Dei et amorem proximi, qua-
Philipp. 1. lem sentiebat Apostolus : *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos...*

Summo tunc obedientiæ affectu dixerit,quod postea S. Martinus : *Domine, si adhuc populo tuo sum necessaria, non recuso laborem : fiat voluntas tua...* O Virgo ineffabilis, da mihi exemplo tuo et mortem optare cum lætitia et vitam sustinere cum patientia...

Tandem, ubi cognovit tempus suæ resolutionis instare, novo fervore, totaque in cœlestibus occupata, ad transitum se paravit... et, quemadmodum Filius ejus mortuus est immolatus cruente, ita Mater incruente est immolata, consumpta videlicet igne charitatis...

Imitabor te, Beatissima virgo, præparando me ad mortem, 1° sancto desiderio videndi Deum... 2° resignatione propriæ voluntatis in divinam... 3° operibus perfectioribus et incremento fervoris, ubi sensero imminere discessum...

III P. ACCEPTATIO MORTIS. — Etsi ratione immunitatis ab originali maledicto,Maria morti obnoxia non erat ; voluit tamen Deus Dominus noster eam sicut ceteros homines mori :

1° Ut etiam in hoc non esset Filio suo absimilis...

2° Ut moriendo cumulum suis meritis apponeret, vincendo scilicet naturalem carnis ad moriendum repugnantiam...

3° Ut nobis omnibus præberet sanctæ mortis exemplum...

4° Ut ipsamet mortem experta, eo melius morientibus compateretur et officium advocatæ in hora mortis exerceret...

O sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ...

Maria, Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

De B. Maria Virgine. Mors et funus.

Pr. 1. Spectare B. Virginem in lecto mortis, et Jesum descendentem ad eam, atque cum gaudio

dicentem : *Jam hiems transiit : surge, amica mea, et veni.* Cant. II, 10.

Pr. 2. Ut intelligam quam pretiosa fuerit mors Virginis Matris meæ, et mortem similem consequi merear.

Consideranda, I. ea quæ Mariæ mortem præcesserunt ; II. ipsa mors ; III. funus ejus.

I P. QUÆ PRÆCESSERUNT. — Appropinquante pretiosi transitus die, ut pie meditari licet, missus est Mariæ a Filio suo angelus Gabriel, qui, sicut nuntiaverat ei electionem in matrem Dei, ita gloriosæ ejus migrationis in cœlum nuntium afferret... Qui sane gaudens, hisce usus est verbis: Ave, gratia plena, benedicta propter benedictum fructum ventris tui... Ecce venit hora ut ad Filium tuum ascendas... vocat te, exspectat te ut præmia tibi reddat tuis obsequiis digna... Te exspectant omnes cœli cives, quibus aspectus tuus et præsentia gaudium afferet ineffabile...

Quanto lætitiæ sensu his auditis responderit Maria : Psalm. 121. *Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi !...* Et quanta dein resignatione repetiverit suum pristinum verbum : *Ecce ancilla Domini !...* Duplicem hunc affectum B. Virginis, gaudii nempe et resignationis consequi conabor in illam horam...

Perpendam deinde, peculiari Dei providentia convenisse apostolos, et Mariæ morituræ lacrymabundos circumstetisse... Ipsa vero omnes consolata, maternisque verbis cohortata, pro illis, sicut Filius fecerat, oravit ; magnoque amore eis benedicens, significavit se non relinquere eos orphanos, et advocatam eorum in cœlo futuram... *Non* Joan. 14. et Matth. 28. *relinquam vos orphanos : veniam ad vos... Ecce ego vobiscum sum*, ego cum Filio meo, *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi...* Nunc *vado parare vobis locum...*

O Mater dulcissima, sine te orphani sumus et desolati... at sub alis tuis maternis securi vivimus in terra... O Mater nostra, ascende feliciter, ut præpares nobis locum ; atque ita nos de cœlo protege ut ad te perveniamus, teque cum Filio tuo in æterna gloria fruamur...

II P. IPSA MORS. — Appropinquante jam hora, Christus Dominus, juxta promissionem, qua dixit : *Si abiero et præparavero vobis locum* in cœlo, *iterum venio et accipiam vos ad me ipsum*... descendit, comitantibus angelis, ut benedictam suam Matrem adduceret. Quam blanda verba illi dederit, mens nostra assequi non potest, nisi aliquatenus par ea quæ in Canticis sunt scripta : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni*... Joan. 14. Cant. 4.

Tunc piissima Mater, prius Filium precata ut mœstos discipulos consolaretur suisque benedictionibus impleret; memor mortis Jesu in cruce, ejus pronuntiaverit verba : O *Pater* mi, qua Deus es, et Fili mi, qua es homo, *in manus tuas commendo spiritum meum*... Quam pretiosa in conspectu Domini hæc mors Reginæ Sanctorum !... Luc. 23.

Fuit autem ejus mors pretiosa, 1° quia non tam ex corporis infirmitate quam vehementia amoris, vera charitatis victima, Deipara consumpta est...

2° Mortem subiit sine dolore : particeps fuerat agoniæ Filii in cruce, ideo nunc volente Filio omnis est expers agoniæ...

3° Omnia ejus opera tunc, manifestante illa Deo, ante oculos ejus apparuerunt, ut eam comitarentur et lætitia replerent... Si *beatus servus quem Dominus invenerit vigilantem*, quanto beatior Maria quæ semper vigilavit Domino suo !... O dulcissima Mater, moriatur quoque anima mea morte justorum... fiant *novissima mea tuis similia !* Numer. 23.

III P. FUNUS. — Quod de Christo dixit Isaïas, de Matre ejus intelligi licet : *Et erit sepulchrum ejus gloriosum*... Isaï. 11.

1° ob funeris pompam, quam hinc apostoli et discipuli, inde angeli hymnos concinentes deduxerunt...

2° Ob plurima miracula. Licet enim dum viveret, humilitatis causa, et ut ministris Evangelii hoc munus relinqueret, miracula non fecerit ; post mortem vero voluit Filius ejus eam clarissimis miraculis honorare, sicut reliquos Sanctos honorare consuevit...

3° Ob certam cognitionem et magnum gaudium quæ habuerunt discipuli de Matris suæ gloria et potestate in cœlis...

Gratias tibi, Verbum æternum, pro honore quem bene meritæ Matri tuæ detulisti ; et per eam te supplex oro ut des mihi mortem, ipsius morti similem, qua perveniam ad fruendum te, in societate Mariæ, per sæcula æterna.

De B. Maria Virgine. Assumptio quoad animam.

Pr. 1. Spectare cœlum apertum et exultantes angelos, dum ingreditur a Filio introducta beatissima Virginis Mariæ anima.

Pr. 2. Ut gaudeam et exultem spiritu, ob tantam gloriam ac beatitudinem Dominæ nostræ ac Matris.

I. Ingressus Mariæ in cœlum. II. Ejus coronatio in cœlo.

I P. INGRESSUS. — Statim ac soluta corpore, sanctissima Mariæ anima evolavit in cœlum et intravit in gloriam... pia autem meditatione quosdam hic gradus possumus cogitare. Et primo quidem, in exitu corporis ruit in amplexum Jesu adstantis,cum ineffabili Matris Filiique gaudio...Quanto tunc animi affectu dixit illud Sponsæ : *Inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam !...* — O Virgo beata, impetra mihi ita puram animam emittere,ut statim in amplexum divini Sponsi excipi mereatur.

Cant. 3.

Secundo considerandus est comitatus angelorum, assumptionem Reginæ suæ celebrantium, ejusque magnitudinem... Inter quos ego in spiritu me commiscens, ejus quoque triumphum celebrabo, verbis utens Hebræorum Judith laudantium : O Virgo gloriosissima, *tu gloria Jerusalem*, tam militantis quam triumphantis... *tu lætitia Israël*, populi nempe sancti, servorum Dei, sive fide adhuc, sive jam in lumine gloriæ te contemplantium... *quia fecisti viriliter, eo quod castitatem amaveris; et ideo eris benedicta in æternum*, et per te benedicti quos tu protexeris...

Judith. 15.

Hos inter angelorum choros, ipsa sui Filii manu deducta cœlum empyreum ingressa est, cum ineffabili omnium

supernorum civium, imo ipsius Trinitatis gaudio... Pater enim æternus aspectu Filiæ dilectissimæ, Filius suæ Matris, Spiritus sanctus Sponsæ delectabatur... O quam læta exceptio, quam suavia pacis oscula, et quam jucunda trium Personarum alloquia!... silentio hæc et admiratione venerabor, quæ cogitatione assequi nequaquam possum... Atque hinc desiderium concipiam Matrem meam in cœlum sequendi, et jam nunc cum ipsa mente in cœlestibus habitandi...

Porro quanta gloria animæ Virginis data sit, quis enarrabit? Si justis omnibus datur *mensura bona ac supereffluens*... si *eadem mensura qua mensi fuerimus remetietur nobis*... quid datum Mariæ, quæ in amando Deo eique serviendo mensuram limitatam nunquam habuit?... Solus profecto Deus qui reddidit et Virgo quæ accepit, hanc remunerationem assequi possunt... Nobis sufficit dicere, Christi Matrem pleno sensu verba hæc usurpare potuisse : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*... Luc. 6. Psalm.116.

Satiata est plane intellectu ac visione... corde et amore... potata de torrente deliciarum tam copiose, ut ejus comparatione angeli magna siti premi videantur...

Nonne tunc memor Filius quod sibi toties potum dederit lactis uberum... memor et amaritudinum quas pro ipso et cum ipso gustavit... *abstersit omnem lacrymam ab oculis ejus?*... Apoc. 21.

O Virgo gloriosissima, gaudeo de tanta tua beatitudine, qua nunc cum Filio, quem usque ad crucem secuta es, frueris in cœlo... Adjuva me, ut et ego vestigia tua premere valeam...

II P. CORONATIO. — Elevata est Maria super choros angelorum... sedere eam fecit Filius ejus ad suam dexteram, melius quam Salomon suam matrem Bethsabee... et super omnes cœlites glorificavit. Nam quo est gloriosius nomen *Matris* quam servi, eo altior thronus...— Gaudeo, o angelorum Regina,de celsitudine tua,de veste gloriæ, deaurata, variegata...Respice,Mater misericordiæ,nuditatem meam... III Reg. 2.

Deinde fuit Virgo coronis a SS. Trinitate decorata... potestatis nempe, sapientiæ,charitatis... *in capite ejus diademata multa*... — Quanta admiratione eam viderunt angeli et sancti omnes !... Apoc. 19.

Præterea, coronata est triplici aureola : virginitatis, martyrii et magisterii... nam Virgo virginum... Martyr... et Magistra... quæ ipsos magistros, evangelistas et apostolos docuit.

Apoc. 12. Ultimo, coronata *stellis duodecim*, quæ significant virtutes omnes, quæ in variis sanctorum ordinibus resplendent : nempe patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, doctorum, sacerdotum, eremitarum, cœnobitarum, virginum, viduarum, sanctorumque conjugatorum... Summo enim gradu possedit conjugatorum fidelitatem atque concordiam, et sic de cæteris...

O Maria, quam immense omnes Sanctos transcendis !...

Prov. 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas...* Vere beatam te dicere possunt omnes generationes...

O Advocata piissima, ora pro me, ut et ego sim *gau-*

Phil. 4. *dium tuum et corona tua...* tecum curram in stadio hujus vitæ, et in agone decertem ita, ut æternam coronam merear obtinere.

De B. Maria Virgine. Assumptio corporalis.

Pr. 1. Spectare Deiparam Virginem, inter angelorum legiones cœlum conscendentem, et elevatis oculis suum hymnum cantantem : *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1, 46.

Pr. 2. Ut gaudeam et exultem in Deo Salvatore cum gloriosa ac benedicta Domina nostra.

Consideranda, I. incorruptio virginei corporis; II. ejus resurrectio ; III. ejus in cœlum assumptio.

I P. INCORRUPTIO. — Virginis corpus speciali privilegio immune fuit a corruptione sepulchri, quæ pœna originalis culpæ Adæ filiis inflicta est. Ad immaculatam quippe

Genes. 3. Dei Matrem non pertinuit istud : *Quia pulvis es et in pulperem reverteris...*

Hujus privilegii tres fuerunt rationes :

1° Virginalis ejus ac supereminens puritas. Decebat enim ut corporis adeo puri intregritas per totam æternitatem ab omni corruptione servaretur illæsa...

2° Puritas ac sanctitas animæ, quam nullus culpæ vermiculus attigit. Decebat enim ut corpus, habitaculum ac instrumentum tam sanctæ animæ, a vermibus non attingeretur ; essetque particeps conditionis ejus de quo scriptum est : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem...* Psalm. 15.

3° Honor ipsius Christi. Decebat enim ut caro Matris, ex qua Christi caro incorruptibilis fuerat desumpta, et ipsa corruptionem non videret...

4° Dignitas Mariæ. Decebat enim ut privilegium incorruptionis, quod non paucis Sanctis concessum est, Sanctorum Dominæ non denegaretur...

O Sanctissima Mater Jesu, arca novi Fœderis, de lignis setim incorruptibilibus compacta, gaudeo de tuæ carnis purissimæ incorruptibilitate... Impetra mihi, quæso, ut anima mea sit ab omni corruptione culpæ libera... sic enim fiet ut et corpus meum suo tempore a corruptione liberetur quam meruit ob culpam...

II P. RESURRECTIO.— Ut fert Ecclesiæ traditio, corpus B. Virginis tertia die prodiit e sepulchro redivivum et glorificatum, vi omnipotentiæ Filii sui, qui voluit, tempus generalis resurrectionis præveniendo, suam Matrem, sicut semetipsum, tertia die resuscitare...

Cujus privilegii plures perpendi possunt causæ: 1° Christus Dominus resuscitavit Matrem, ut expleret naturale desiderium, quo sanctissima Mariæ anima, sicut cæteræ animæ, ad conjunctionem cum corpore ferebatur...

2° Quia corpus et anima Beatissimæ Virginis semper fuerant perfecte conjuncta ad complendam Dei voluntatem, decebat ut quam primum iterum unirentur ad Deum eadem conjunctione laudandum in æternum...

3o Consentaneum rationi videtur, ut etiam in hoc Maria esset Filio suo similis, et sicut ipse corporaliter jam sederet in cœlo...

4° Corporalis Mariæ præsentia in aula cœlesti requirebatur, ut cum omni proprietate ei conservaretur nomen *Matris Dei:* quod nomen proprie non competit soli animæ,

sed animæ corporisque composito... Item ut posset in cœlo plene perfungi officio Matris et advocatæ, placantis indignationem Filii, sicut Filius placat iram Patris : nimirum ostendendo Filio sua ubera, sicut Filius monstrat sua vulnera Patri...

Resuscitavit itaque Christus Matrem tertia die. Quanta fuit hujus Dominæ ex novo isto beneficio lætitia ! Quanto gaudio affectum corpus, cum se vidit sacratissimæ animæ denuo conjunctum, et per eam quatuor gloriosis dotibus ornatum, claritate et pulchritudine ineffabili, impassibilitate ac immortalitate, agilitate, subtilitate demum quasi spirituali...

Gratias tibi, Christe, pro hoc novo beneficio Matri tuæ collato...

Ex animo gaudens, tibi, o Virgo, congratulor... Intercede pro me. *Ave, gratia plena ! Benedicta tu in mulieribus !*

III P. ASSUMPTIO CORPORIS. — Custodiebant, ut facile intelligit pietas, sepulchrum Mariæ millia angelorum, cœlestes musicas cantantium, et momentum resurrectionis exspectantium ; cum subito adveniens gloriosa anima sanctissimum corpus vita gloriaque replevit... et mox angelorum Regina ascendere cœpit in ulnis splendentium cherubim et seraphim...cum ingentibus gaudii jubilis per omnes cœlos, usque ad empyreum penetrantium... Illic quanta voluptate eam excepit Filius et veram arcam Fœderis introduxit in Sanctum Sanctorum, in locum altissimum templi cœlestis, ibique *coronavit corona ex auro purissimo*, circumdans eam ineffabili claritate, qua omnem cœlestis civitatis splendorem superaret !... Quanta lætitia superni cives Regem Christum et Reginam Matrem, novum solem, novamque lunam mirantur !... Quantum gaudium Filio!... Quantum Matri!.. Et nobis quanta lætitiæ causa !...

Exod. 25.

Surge, anima mea, ingenti gaudio, et ascendens supra te ipsam, oblitaque rerum terrenarum, aspice cœlum, ubi Pater tuus, et Mater tua glorificata... Imitare humilitatem, qua Maria Deo servivit in terra, ut cum ipsa exalteris in cœlo.

De B. M. Virgine. Sacratissimum Rosarium.

Pr. 1. Mente spectetur B. Maria Virgo, prout Lapurdi apparuit pauperi Bernadillæ, manu tenens Rosarium.

Pr. 2. Petere, ut hac meditatione discam sanctum Rosarium magis magisque æstimare, amare et frequentare.

I. Rosarii excellentia, II. fructus, III. praxis.

I P. EXCELLENTIA. — Quam eximia sit et mirabilis hic orandi modus, qui a pluribus sæculis in Ecclesia viguit, inde primum intelligitur, quod contexitur his tribus orationibus : Oratione dominica, Salutatione angelica et doxologia Sanctissimæ Trinitatis. Quid enim his precationibus excellentius ?... Nonne primam nos docuit ipse Dominus, dicens : *Sic vos orabitis : Pater noster...* Matth. 6.

Nonne altera oratio est laus præstantissima Virginis Mariæ, angelico ore, ac nomine Dei prolata... cui adnectitur pulcherrima supplicatio?... *Ave, Maria, gratia plena !...*

Nonne tertia est laus illa supereminens Sanctissimæ Trinitatis, quam indesinenter Ecclesia tanquam summam suæ devotionis significationem usurpat ?...*Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio... et nunc... et semper... et in sæcula sæculorum...*

Cum oratione hac triplici jungitur meditatio mysteriorum. Sunt autem hæc mysteria redemptionis nostræ, in quibus Beatissima Virgo Dei Genitrix magnam obtinuit partem : nimirum mysterium incarnationis Filii Dei, ejus passionis, ejusque glorificationis... Nihil Deo gratius quam ut hæc mysteria recolamus... nihilque utilius nobis, cum in iis recolendis nutriatur fides, roboretur spes, inflammetur charitas...

Excellentiam quoque demonstrat ipsum *Rosarii* nomen, quod rosarum coronam significat quam cœlorum Reginæ offerimus... Quid si corporalem hujusmodi coronam e floribus horti confectam Mariæ Virgini dare possemus !... Jam vero, hanc spiritualem majore benevolentia accipit a nobis...

O Beatissima Domina ! quam jucundum nobis hasce gratas tibi laudes offerre !...

Nonne rosarii oratio est facillima, omnibus fidelibus etiam rudibus accommodata ?... quæ non requirit scientiam neque libros... quæ sine ullo apparatu, in tenebris, in itinere, etiam inter laborandum recitari potest... Quam bonus Deus, qui excellentissimam orationem dedit ad captum omnium, etiam minimorum !... *Cum simplicibus sermocinatio ejus...*

Prov. 3.

Commendatur oratio rosarii enixe omnibus fidelibus a sancta Matre Ecclesia, per confraternitatem, per indulgentias, per solemnem festivitatem, per præconium litaniis Lauretanis additum : *Regina sacratissimi Rosarii, ora pro nobis...*

Commendatur quoque locupletissimis indulgentiis... Quantum hinc solamen animabus purgatorii !...

Commendatur exemplo omnium Sanctorum, qui post institutum rosarium vixerunt... exemplo omnium piorum fidelium... imo exemplo, etsi contrario, impiorum, qui ad unum omnes hanc sanctam precationem negligunt vel irrident... — Num exempla ista ego sequor ?... num aliis propono ?...

Commendatur innumeris gratiis etiam miraculosis, quas Deus recitantibus rosarium concessit...

Commendatur demum insigni apparitione Lapurdina, ubi Beatissima Virgo rosarium manu tenens mundo apparuit...

Concede mihi, sanctissima Mater, ut tam acceptam tibi rosarii orationem, ego sicut omnes filii tui, summa devotione amem et frequentem... eamque pie frequentando tibi placeam...

II P. FRUCTUS. — Abundantes sunt et pretiosi fructus sancti rosarii : incrementum scilicet pietatis... fidei, fiduciæ...

Deinde amor erga B. Virginem ejusque Filium... — humilitas, quia oratio hæc reputatur, etsi perperam, rudium et pauperum... — consolatio in omni afflictione... — progressus in virtutem et scientiam Sanctorum, quam docent mysteria gaudiosa, dolorosa, gloriosa... — protectio B. Mariæ Virginis... — confidentia in morte... — demum salus æterna : *Qui me invenerit, inveniet vitam...*

Prov. 8.

III P. PRAXIS. — An devotionem sancti rosarii recte, ut sacerdotem decet exerceo?... prædico?... An rosarium recito quotidie, pie?... An publice, in templo, recitandum curo pie, lente, digne ac minime præcipitanter?... An ut in domibus recitetur commendo?... An coronas seu rosaria gratis distribuo, providens ut omnes suum rosarium habeant?... An interdum mysteria rosarii explico?...

O Beatissima Virgo, quæ recitatione sacratissimi Rosarii tantopere delectaris, doce me, quæso, hanc orationem devote recitare, et eamdem devotionem promovere in populo...

De B. Maria Virgine. Magnificat,

Pr. 1. Spectare Virginem in domo Elisabeth, oculis in cœlum sublatis, Deo benedicentem mirabili cantico: *Magnificat anima mea Dominum...* Luc. 1, 46.

Pr. 2. Ut verba Dominæ nostræ intelligam, iisque sancte humiliter ac fiducialiter Deum laudare discam.

Beatissima Virgo, occasione mysterii Incarnatonis in se adimpleto; Deum glorificat, I. ut laudabilem in se et misericordem erga ipsam, II. ut misericordem erga omnes.

I P. DEUS IN SE ET RESPECTU VIRGINIS. — *Magnificat anima mea Dominum...* anima, inquam, mea tota est in magnificando Deo... His verbis Maria sanctissimam suam animam patefacit... ostendens principale suum officium ac perpetuam occupationem esse Deum magnificare... — Quod omnes Mariæ filii imitari debent, considerando, 1° ad hunc finem se creatos ut Deum laudent... 2° idcirco evitandum quidquid Dei laudationi adversatur... 3° Deum laudandum esse tota hominis vita, directe, vel indirecte... Quam proprie hæc ad me sacerdotem spectant!...

Quomodo autem Deum laudat, et ob quid? *Magnificat*, inquit, anima mea Dominum: magnum proclamo Dominum... Magnus ipse solus et quæcumque ad ipsum perti-

nent ; exigua, quæ terrena et mortalia... Magnus ipse in attributis omnibus... nominatim in bonitate, misericordia, potentia ac sapientia, et fidelitate in promissis... quæ in Incarnatione manifestantur...

Magnificat Deum *anima mea* tota, memoria, intellectu, voluntate... totaque mea substantia : ore et corde...

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari (Salvatore) *meo*. Laudat Deum cum exultatione et ingenti gaudio... Quod gaudium utique sanctum, non habet suum principium in creaturis... neque in se ipsa suaque exaltatione ; sed *in Deo* ejusque amore, ejusque bonitate, qua est Salvator ejus : *In Deo salutari meo*... An sic ego semper gaudeo ?... in Deo nempe et Jesu meo Verbo incarnato?... nec tam in donis Dei, quam in ipso Deo Largitore ?...

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ... his verbis humiliter summaque gratitudine agnoscit exaltationem suam in Matrem Dei... Quæ mera Dei bonitas est ac misericordia, respicientis, non ejus meritum, sed parvitatem, nihilum... O Domine, *respice* quoque *in me et miserere*
Psalm. 24. *mei*...

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Videt oculo prophetico consequentias divini respectus... quas et nos videmus, et cum gaudio, o Mater nostra, celebramus...

Fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus... Immaculatam conceptionem et cuncta sua privilegia hic respiciens tribuit potentiæ ac sanctitati Dei, cui gratitudinem laudis operumque obsequio referet perpetuam .. Nonne et ego dicere debeo : *Fecit mihi magna*... Quamnam autem gratitudinem præsto ?...

II P. DEUS MISERICORS ERGA OMNES. — *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum*. Hæc verba summam spirant fiduciam in Deo ; indicantque motivum fiduciæ nostræ, nec non conditionem ex parte nostra afferendam, ut fiducia non sit inanis. Non mihi tantum, inquit, misericordiam fecit ac facit Dominus ; sed, per adventum ac merita Salvatoris, omnibus prorsus cujusvis temporis hominibus, quantumvis miseris... salus omneque bonum offertur ; dummodo *timere Deum* velint, ejusque mandata servare... Quod pertinet ad justos, qui debent

perseverare... et ad peccatores, qui debent viam pravam relinquere et ad Dei timorem reverti.

Fecit potentiam in brachio suo... Explicat Maria quomodo Deus misericordiam faciat timentibus se : nempe per incarnationem Filii Dei, quod opus est brachii Omnipotentis... Illius autem operis velut summa est, ex una parte, abjectio superborum, potentum ac divitum : quo nomine designantur, qui Deum non timent sed contemnunt... et ex altera, assumptio ac glorificatio timentium Deum, qui dicuntur hic humiles ac egeni...

Hoc, inquit, *fecit :* hæc summatim tota providentia misericordissimi Dei circa humanum genus est, quæ, inchoata in paradiso terrestri, in ultimo judicio consummabitur, ubi plene dispergentur superbi et exaltabuntur humiles... Quam pulchre consonant hæc Mariæ verba cum doctrina Domini : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur !...* Luc. 14.

Dignare, Beatissima Mater, famulum tuum a superbia custodire...

Suscepit Israël puerum suum... in hoc mysterio incarnationis nunc tandem impleto, specialem misericordiam exhibuit Deus Israëli, *recordatus misericordiæ*, cujus visus est ob eorum peccata oblitus... quia de cætero fidelis est in promissis... adeo ut ea *usque in sæcula*, videlicet usque in finem mundi sit impleturus... Quantum fiduciæ fundamentum !... Quanta timentibus Deum causa gaudendi !

Utinam, o Maria, digne semper et in tuo sensu, hoc canticum repetere valeam !... O Verbum incarnatum, cujus inspiratione Virgo, cum adhuc in ejus visceribus lateres, loquebatur, me, quæso, similiter instruas, ut iisdem Matris tuæ verbis, te Patremque tuum, et Spiritum sanctum valeam laudare.

De compassione B. M. Virginis.

Pr. 1. *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus.* Joan. XIX, 25.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo Maria fuerit pas-

sionum Jesu particeps, et ego Matris dolorosæ exemplum secutus, passionem Domini devotissime colam.

I. Quantum Maria cum Jesu passa? II. Quare passa? III. Quomodo illa pertulit? IV. Quomodo animam suam passionis Filii recordatione nutrivit?

I P. MARIÆ COMPASSIO.— Quam maxime fuit Maria dolorum Filii particeps: eorum quæ Jesu pertulit in corpore, in honore, in affectu cordis.

In corpore suo sustinuit Dominus labores ac privationes... dein vincula, flagellationem, coronationem, crucifixionem crudelissimam... nonne hæc pia mater, quæ Jerosolymis aderat, compatiendo persensit?... *Quæ mœrebat et dolebat pia Mater, dum videbat Nati pœnas inclyti...* Liturg.

In honore, quantas perpessus est Jesus injurias et ignominias in domo Caïphæ, in prætorio, in domo Herodis, in Calvario!... Nonne et hæc quasi sibi illata sensit tenerrima Mater?... Imo nonne ipsa ut mater illius Seductoris ab inimicis ejus digito indicabatur, contemnebatur, repellebatur?... *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis ..* Psalm. 21.

In affectu Dominus, ab amicis, a filiis ingratis derelictus, et male mulctatus, quam dolorosissime passus est... Nonne Maria et harum fuit particeps amaritudinum?... Imo, quam crudeliter cruciata est amore suo erga Jesum!... O quantum amabat Jesum! Erat enim Jesus filius ejus, filius unicus, tam amabilis tamque amans... erat simul Deus ejus, summum bonum, summusque benefactor matris suæ... Quantus autem amor tantus dolor in corde amantis... En ille quem Simeon prædixerat, gladius doloris... en quomodo sit Maria Regina martyrum!... O Mater dolorosissima, quis cordis tui tormenta enarrabit?... *Magna est enim velut mare contritio tua...* Thren. 2.

O dulcissima Mater quantos perpessa es dolores! Et ego vix quidquam hactenus pertuli... *Eia Mater, fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam...* Liturg.

II P. QUARE PASSA. — Maria tanta perpessa est, non utique ob suas culpas... sed pro gloria Dei et salute animarum, pro qua et patiebatur Filius... ad augenda quoque

Mariæ merita... et propter exemplum nostrum... Ego autem quare dolores afflictionesque patior vel pati debeo ?...

III P. QUOMODO PASSA ? — Quam sanctissime sane Maria, exemplo Filii sui passa est... Quanta pace animique tranquillitate acerba quælibet toleraverit, quis enarrabit ?... qua resignatione... qua patientia et constantia... qua generositate, cupiens etiam acerbiora sentire... qua demum perseverantia usque in finem ?...

Et ego quomodo, qua impatientia patior leviora, longe duriora promeritus ?... O Mater mea dolorosa, doce me tuam patientiam imitari...

IV P. QUOMODO FILII PASSIONEM RECORDATA ? — Mariam passionis memoriam semper habuisse præ oculis, quis dubitaverit ? Præsertim quod Dominus hanc memoriam discipulis suis recolendam præscripserit, proptereaque sacramentum Eucharisticum instituerit et sacrificium...

Beata itaque Virgo assidua Passionis meditatione... viæ dolorosæ Calvariique visitatione animam suam nutriebat...

Nos autem nonne oportet animam pabulo isto et cibo fortium nutrire ?... Quomodo imaginem Crucifixi veneror et deosculor ?... Quomodo signum crucis efformo ?... Quomodo vestes sacrificii intueor ?... Quomodo sacrificium missæ, quod est sacrificium crucis incruentum celebro ?... Quomodo SS. Cor Jesu, passionis instrumentis insignitum veneror ?... Quomodo viam crucis frequento ?... Quomodo demum prædico passionem Domini ?...

O Beatissima Mater, omni amore, omni suavitate plenissima, impetra mihi respectu passionis Filii tui sensus sanctissimos tui cordis... *Eia Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas cordi mea valide...* Liturg.

De tribus ascetarum classibus.

P. 1. Me sistere coram divina Majestate, ut in ejus conspectu illud eligam, quod in veritate optimum mihi est.

P. 2. Petere efficax desiderium, efficacem amorem perfectionis ac felicitatis meæ.— Vel, quod idem est, petere gratiam ut eligam in ratione vivendi, id quod magis conferat ad gloriam divinæ Majestatis et ad salutem animæ meæ, meamque veram felicitatem.

Ascetem vocamus eum qui in acquirenda christiana virtute ac perfectione se exercet et ad sanctitatem aspirat. Hujusmodi hominum S. Ignatius tres distinguit classes, quæ juxta mentem ejus sequenti modo meditatione considerari possunt: I. Prima classis, homines velleitatis. II. Secunda classis, homines dimidiæ voluntatis. III. Tertia classis, homines voluntatis plenæ atque perfectæ.

I. P. PRIMA CLASSIS, HOMINES VELLEITATIS. — 1° Hujus classis nota characteristica est *velleitas*, puta inane desiderium, cujus formula hæc : *Vult et non vult piger;* symbolum vero, miles in tabula depictus, semper gladio minitans, nunquam feriens... Prov. 13.

2° Homo ad hanc classem pertinens similis est ægroto, qui vult sanari ; sed remedium nullum, neque diætam, neque potionem amaram, neque incisionem vult adhibere...

3° Homo velleitatis est sacerdos, qui vult quidem finem, sed non vult media : ideoque finem non attinget. Scilicet vult finem : cupit enim esse secundum nomen et vocationem suam, vir Dei, perfectus sacerdos Christi : Utinam, inquit corde, utinam essem vir apostolicus !...

At quicumque vere vult finem, vult et media. Adhibenda igitur forent media, quæ sunt : regula seu ordo vitæ, meditatio et examen, mortificatio et labor... vel, aliis verbis : ut sit vir ordinis, vir laboris... At vero, non vult media : vel nullo modo, quia terretur difficultatibus imaginariis, aut quia ex levitate quadam de mediis non cogitat... aut non vult ea nisi modo quodam vago ac generali, nihilque definiendo : sive quoad tempus, sive quoad res, seu opera præstanda. Dicit enim : Faciam : sed postea... Illud autem *postea* nunquam veniet.— Vel dicit : Nunc cœpi : vitabo omnia peccata, implebo omnia officia... Quid autem in particulari facies ? Quænam assumes media ? An ordinem ? an meditationem ?... Non possum, inquit, me istis rebus adstringere... de cætero hæc minime necessaria sunt, nec ullibi præcepta ; sufficit ut Deo serviam...

Itaque finem non attinget. Hæc enim totidem sunt proposita inania ; effectum nullum producent, hominemque miserrimum relinquent... Ecce hujusmodi homo velleitatis moras nectet usque ad mortem... Nihil efficiet... Imo, utinam nihil ! Infernus enim velleitatibus refertus est.

An non sum aliquatenus... an esse vellem hujusmodi homo velleitatis, miserrimus ?... O Domine Jesu, o Beatissima Virgo, a tanto malo libera me.

II. P. SECUNDA CLASSIS, HOMINES DIMIDIÆ VOLUNTATIS.— 1° Hujus classis nota characteristica est *dimidia voluntas:* videlicet voluntas quædam imperfecta et insufficiens, quæ aliqua media vult adhibere, non omnia. — Qui hujusmodi dimidia voluntate procedunt et velut dimidiatim operantur, multum laborare solent, sed parum proficiunt , et ex iis sunt ad quos propheta dicit : *Seminastis multum et intulistis parum... et qui merces congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Agg. 1.

2° Allegoria rem dilucidare potest : nempe possessoris pecuniæ, qui ut affectu inordinato erga eam se liberet, eleemosynas quidem nonnullas vult erogare, non vero totam rem ad Domini pedes deponere ; ejusque committere arbitrio. — Vel ægroti, qui remedia quidem adhibere vult, dummodo non sint amara, nec dolorosa...

3° Si in se spectatur, homo dimidiæ voluntatis est sacerdos, qui vult quidem finem, sed non vult media, nisi quædam sibi placentia, ideoque finem non bene consequetur.

-1)Vult finem: sanctitatem felicitatemque sacerdotalem... ideoque velle deberet media idonea et efficacia, quæ omnes sancti sacerdotes adhibuerunt et adhibent : ordinem, orationem, laborem... At vero,

-2) Non vult media efficacia : sed quædam dumtaxat, genio suo et naturali inclinationi placentia... Vel proposita media accipit quidem, sed cum tacita conditione, quæ fallax est. Dicit enim : Ordinem, meditationem et examen, laboremque assiduum adhibebo ; sed quantum potero, seu dummodo facile possim... Sic loquendo semetipsum fallit dimidia voluntas, vultque duobus dominis servire. Absolute ac sine restrictione dicere deberet cum Apostolo : *Omnia possum in eo qui me confortat...* Philipp. 4.

-3) Non bene finem consequetur. Sic enim agens quam

miserabili successu procedet!... Quantis bonis obicem opponet! Quam tristi mediocritate, vel etiam tepiditate languescet usque ad mortem!... — Petatur a Beatissima Virgine gratia in tantam miseriam non incidendi... vel ex ea eluctandi...

III. P. TERTIA CLASSIS : HOMINES VOLUNTATIS PLENÆ. — 1° Nota characteristica horum est *voluntas plena :* quo nomine intelligitur voluntas absoluta, fortiter ac generose determinata, quæ parata sit omnia media adhibere, dicens :

Act. 9, Psalm. 56. *Domine, quid me vis facere? — Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum...—Omnino, et non ex parte...*

2° Allegorice hujusmodi hominem repræsentat possessor, pecuniam suam deponens ad pedes Domini, ut ipse de ea disponat pro omni voluntate sua... vel ægrotus, dicens medico : Ecce totum quantum me tibi trado ac derelinquo ;

Job. 13. tuus sum : ure, seca... Scio enim te non facturum, nisi quod mihi utile fuerit.. *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo... et ipse erit salvator meus.*

3° Si spectetur in se, homo *plenæ voluntatis*, est sacerdos qui vult absolute finem, vult quoque omnia media,

Luc. 8. ideoque finem perfecte consequitur : *Qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.*

Vult finem... absolute ac simpliciter... Vult media efficacia, quæcumque sint, absolute, sine conditione ulla neque exceptione... frequentatio nimirum orationis, examinis conscientiæ, laboris, mortificationis...

Scilicet *ex toto corde* agit ; illud sanctum *omnino, non ex parte* S. Ignatii, cordi suo inscribit, id pro tessera tenet... Ipse finem consequetur : ideoque quam beatus!... Hic vere efficitur *homo Dei*, qui sublato omni obice dono-

Machab.5 rum Dei abundantiam accipit : hic est *de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.*

Fiat demum oratio fervens ad Jesum, ad B. Virginem, ad S. Franciscum Salesium, vel alium Sanctum, ut gratia petatur voluntatis bonæ, optimæ ac generosissimæ.

De tribus sanctitatis gradibus.

Pr. 1. Me sistere coram divina Majestate, ut in luce veritatis ejus videam et eligam id quod optimum mihi sit.

Pr. 2. Petere voluntatem generosam ad cognoscendum, eligendum et amplectendum id quod vere et secundum Deum optimum est.

In meditatione *de tribus humilitatis modis*, tres distinguit S. Ignatius animæ sanctæ status, quos merito spiritualis vitæ ac sanctitatis gradus vocaverimus, et sequenti modo meditandos proponemus. I. Primus sanctitatis modus, seu gradus necessitatis. II. Secundus sanctitatis modus, seu gradus fervoris. III. Tertius sanctitatis modus, seu gradus perfectionis.

I P. PRIMUS GRADUS, QUI EST NECESSITATIS. — 1° In quo gradus iste situs est? — In odio peccati mortalis firmissimo, quo quis, ubi de hujusmodi peccato committendo agatur, ne deliberare quidem velit... nec spe, nec metu, neque illecebris ullis permotus...

2° Quis in eo constitutus est? — Ille qui Dei legem anteponit omnibus... paratus, divina opitulante gratia, omnia sacrificare quam Deum peccato mortali offendere...

3° Quis in eo non est? — Ille qui aliquid præfert Dei mandatis : exempli gratia, unicam creaturam... unicam passionem pravam... vel qui in peccato mortali existit et manet...

4° Quæ motiva nos urgent ut in hoc gradu maneamus? — Gradus iste necessarius est ad salutem : quicumque in eo non est, in statu damnationis existit,... quidquid boni alioquin facere videatur... *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest...* Deinde qui in eo gradu non est, miserrimus est... Qui vero in eo constitutus est et stabilitus, beatus vivit, securus, ac pace conscientiæ fruitur... — Petam gratiam ut magis magisque in hoc gradu stabiliar... 1 Cor. 13.

II. P. SECUNDUS GRADUS, QUI FERVORIS EST. — 1° Consistit in odio peccati, non tantum mortalis, sed etiam ve-

nialis firmissimo : quo quis ubicumque peccatum veniale intervenire deberet, ne deliberare quidem velit : nulla spe... nec metu... nec circumstantia ulla permotus...

2° Quisnam in hoc gradu non est ? — Quicumque peccatum veniale non æstimat esse malum super omne malum ordinis naturalis, aut non efficaciter illud fugere studet...

3° Quis vero in eo est ? seu, quid requiritur ut quis in eo gradu sit constitutus ? — Non est necesse ut nullum unquam peccatum veniale, etiam meræ fragilitatis committat... sed sufficit ut peccatum veniale super omnia detestetur... ut illud efficaciter vitare studeat, adhibendo media, præsertim hæc duo : vigilantiam et examen conscientiæ...

4° Quæ motiva gradum hunc conscendendi ? — Motiva sunt ejusdem excellentia : est enim gradus fervoris, puritatis conscientiæ... deinde incommoda hominis qui in eo non est... ac demum maxima bona quæ in illo gradu inve-
Matth. 5. niuntur... Illic homo longe beatior... *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

III. P. TERTIUS GRADUS, QUI PERFECTIONIS EST. — 1° Gradus hujus excellentia et celsitudo est summa : cum aliud non sit quam gradus seu culmen quo Christus ipsemet ascendit, gradus purissimæ charitatis, de quo Paulus scribit:
1 Cor. 12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro...*

2° In quo situs ? — In amore crucis : id est, in eo ut quis non modo a se repellat absque deliberatione quidquid peccato quantumvis levi maculatum ; sed etiam, ubi nullum peccatum intercedit, et res omnino licitæ proponuntur, ut eligat illud quod minus secundum carnem placeat : dummodo major Dei gloria non obstet ; et quidquid eligatur, Dei gloriam non minuat...

3° Quis in hoc gradu est, vel non est constitutus ? — Ille qui stultitiam crucis amplectitur... qui spinas Christi eligit præ floribus hujus vitæ... ille sublimem hunc gradum conscendit cum Christo et cum insignioribus discipulis ejus... Aliis verbis : qui servat ex animo regulam Apos-
Galat. 6. toli : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi , per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo... Et quicumque hanc regulam secuti*

fuerint, pax super illos et misericordia... Hunc gradum conscenderat S. Joannes a cruce, cum sic oraret : *Domine, pati et contemni pro te...*

In hoc gradu nondum est, ut patet, qui secus agit...

4o Quanta hujus gradus bona et felicitas ? — Quicumque in eo consistit et versatur, beatissimus est, in paradiso est... seu potius, paradisum possidet in corde. Etenim amorem crucis, crucem Domini, arborem vitæ, lignum paradisi in corde radicatum gerit... *Superabundo gaudio,* aiebat Apostolus, *in omni tribulatione nostra...* II Cor. 7.

O Domine Jesu, qui dixisti : *Ego cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum...* trahe me, quæso, in beatam crucem tuam... et per sanctissimum Cor tuum, in quo nobis crucem exhibes plantatam inter flammas charitatis, da mihi quoque crucem tuam in corde portare... Joan. 12.

In festo sanctorum Angelorum.

Pr. 1. Audire Dominum Jesum dicentem : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Matth. XVIII, 10.

Pr. 2. Ut spiritu fidei respectu sanctorum angelorum replear, salutarique devotione erga hos beatos spiritus crescam.

I. Cur oportet nos magna devotione colere SS. angelos ? II. Quænam hujus devotionis praxis esse debet ?

I P. DEVOTIONIS MOTIVA. — Cultus sanctorum angelorum, ac speciatim custodum nostrorum, una est ex devotionibus illis præcipuis, quas sacerdos ipsemet exercere, et in populo fovere debet. Nonne talis Ecclesiæ spiritus, quæ tanta pietate sanctos angelos colit et invocat... totque festa in eorum honorem instituit ?...

Nonne quoque Scripturæ verba eamdem devotionem commendant ? Vult Christus Dominus ut vel minimos parvulos revereamur propter angelos eorum : *Videte,*

Matth. 18. inquit, *ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*... Et Paulus : *Debet*, ait, *mulier potestatem habere supra caput propter angelos*... id est mulier, dum interest fidelium cœtui, debet velamen habere in capite, reverentiæ causa erga sanctos angelos ibidem præsentes...

Aliud motivum est ipsa angelicæ naturæ excellentia ac dignitas... pulchritudo... intelligentia et potentia, nostræ immense superior... et sanctitas... O beati spiritus, principes curiæ cœlestis, qui assistitis throno Altissimi, quanta vestra dignitas, quanta sanctitas !... Quanta reverentia a nobis honorandi !...

Accedit eorum beneficentia... Sunt enim custodiæ nostræ deputati... Quanta angeli custodis beneficia !... *Angelis suis*
Psalm. 90. *mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis*...

Demum fructus hujus devotionis maxime salutares. Illa enim devotio jucundissima est et consolatione plenissima... Dein pietatem fovet... reverentiam ingerit erga nos ipsos et erga alios homines... nec non magnam fiduciam in omni periculo... facitque ut intelligamus quanta sit Dei bonitas erga nos, quantum oculis ejus pretium animarum nostrarum...

Hic gratias Deo agam pro ingenti beneficio angelorum custodum... ipsosque angelos orabo, ut mihi augmentum impetrent fidei ac devotionis erga ipsos... *Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custo-*
Liturg. *diam mittere dignaris : largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi et æterna societate gaudere*...

II P. PRAXIS. — Ut practice perfecta sit devotio erga sanctos angelos, concursum requirit fidei, fiduciæ, charitatis.

1° Fides mihi angelorum celsitudinem ostendit... ministeria... præsentiam... Principes enim sunt cœlestis curiæ... thronum Dei tremebundi circumdant... multitudineque innumerabiles ac potentes virtute militiam ejus constituunt .. legati ejus sunt et ministri, voluntatis ejus executores... Omnes sancti sunt et fideles permanserunt Deo in defectione illa magna, qua rebelles eorum socii in diabolos conversi sunt...

Fides mihi præsentiam angelorum ostendit ad altare Eucharisticum... præsentemque ad latus meum custodem fidelissimum... et aliis hominibus custodes assistentes... An oculo fidei aspicio angelos puerorum, peccatorum, pœnitentium et auditorum meorum, et communitatum ?... Quantam illis angelis et meo tutelari debeo reverentiam?... An recordor in oratione eos nobiscum orare, et preces nostras, modo dignæ sint... offerre Domino ?... eos mecum assistere ad altare ?...

2° Fiducia angelus custos dignissimus. Nonne amicus devotus ac potens ?... An fiducia mea manifestatur invocatione quotidiana... recursu in omni periculo ?...

3° Charitas atque amor sanctissimus comiti tam sancto tamque benefico procul dubio debetur... An ego gratum ei animum demonstro, nec tam verbis quam docilitate monitis atque inspirationibus ejus ?... Imo, quod ei debeo amoris et obsequii testimonium, a me præcipue postulat docilitatem... et imitationem ejus...

Jam vero virtutes maxime in angelo meo splendentes atque a me imitandæ, sunt puritas... pietas... charitas et mansuetudo... obedientia Deo et impletio perfecta voluntatis ejus... O quam sancti, quam suaves sunt mores angelorum ! sunt enim mores cœli, mores et conversatio habitantium paradisi...

O cœlestes ac beati spiritus, tu præsertim angele mi, custos amabilis, impetrate mihi gratiam digne vos honorandi, utque adimpleam voluntatem Dei in terra, sicuti vos adimpletis in cœlo.

De sancto Joseph. Devotio specialis.

Pr. 1. *Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* In offic. ex Matth. XXIV, 45.

Pr. 2. Ut cognoscam eminentiam sancti Joseph, eique me devotione speciali devoveam.

S. Joseph devotione speciali colendus : I. ob voluntatem Domini ; II. ob ipsius Joseph excellentiam ; III. ob ejus patrocinium.

I P. VOLUNTAS DOMINI. — S. Joseph speciali cultu præ cæteris Sanctis colendus est a nobis præsertim sacerdotibus, ejusque nomen vix a nominibus Jesu et Mariæ separandum... quia nihil gratius Domino Jesu esse potest... nec B. Virgini, quam ut eum maxime veneremur quem ipsi tantopere venerati sunt... et adhuc venerantur amantque... Qualis enim fuerit utriusque affectus erga virum hunc, quis enarrabit ?...

Hinc Dei voluntati consonat mens Ecclesiæ, quæ tam solemniter festa S. Joseph celebrat... et hunc sanctæ Familiæ patrem, decreto Urbis et Orbis a Pio IX edito 8 decembris 1870, universalis familiæ christianæ, Ecclesiæ videlicet catholicæ Patronum proclamavit... Nobis autem Belgii sacerdotibus domesticum accedit motivum, quod S. Joseph fuit concessus patriæ nostræ Patronus...

O Domine Jesu, cui tantopere placet obsequium præcelso Nutritio tuo præstitum, da mihi aliquid de pietate qua tu ipsemet eum semper honorasti... O Beatissima Virgo, da mihi aliquam participationem amoris illius ac reverentiæ, qua sanctissimum Sponsum tuum es prosecuta...

II P. EXCELLENTIA S. JOSEPH. — Nonne ratione èminentiæ Beato Joseph peculiaris cultus debetur ? Nonne a Deo electus præ omnibus Sanctis, ut ad mysterium Incarnationis aliquo modo, etsi remoto concurreret, atque velut sub umbra nominis ejus, Filius Dei incarnatus honeste ac decenter ingrederetur in mundum ?...

Nonne vere fuit sponsus ac conjux Virginis immaculatæ, Reginæ mundi... quem ipsa ut talem honoravit et
Pet. 3. amavit, *dominum eum vocans ?*...

Nonne idem pater nutritius Christi, quem Filius Dei ut talem honoravit et amavit... ei subditus factus atque obediens ?...

Nonne ipse caput ac pater sanctæ Familiæ, *quem constituit Dominus super familiam suam ?*...

Matth. 1. De sanctitate autem ejus quid dicendum ? Nonne *vir justus* fuit eo gradu, qui sponsum Mariæ decebat et patrem Christi ?... adeoque ea gratia ipsi data est qua imaginem referret æterni Patris, cujus locum respectu Filii tenebat

in terris... Hæc autem gratia quam mira per intimam cum Maria et Jesu conversationem accepit incrementa!... Etenim si præsentia transitoria Mariæ cum divina prole nondum nata in domo Elisabeth, tanta effecit sanctificationis miracula, quid cohabitatio Joseph per annos triginta?...

Quanta quoque sancti Joseph bonitas, quanta amabilitas fuisse censenda est!... Nonne dignus dulcissimæ Matris Mariæ sponsus?... Nonne paterna ejus bonitas permanet, imo aucta est in cœlis?...

Et de gloria Joseph in cœlo, deque potestate ejus quid æstimabo? Si pro calice frigidæ quem pauperi quis dederit intuitu sui, Jesus gloriam cœlestem retribuit; quid pro cura, laboribus, beneficiis, sibi Matrique suæ a Joseph impensis?... Nonne sicut in terra, ita in cœlis Joseph locum occupat peculiarem, suæ Sponsæ suoque tutelari Filio proximum?...

O Beate Joseph, quam dignus es amore meo et obsequiis!... Quam jucundum, quam dulce mihi te colere, te invocare!... O Maria, o Jesu, date mihi aliquid de vestro erga S. Joseph affectu, ut digne eum valeam amare...

III P. PATROCINIUM S. JOSEPH. — Merito sane sancto Joseph applicantur verba illa, de altero Joseph, Ægypti principe dicta, qui Deiparæ Sponsi figuram gessit: *Ite ad Joseph*... Et illa: *Constituit eum dominum domus suæ et principem omnis possessionis suæ*... Gen. 41. Psalm.104.

Merito etiam S. Theresia dicit, Sanctos reliquos impetrare clientibus dona quædam definita; sanctum autem Joseph a Deo positum ut provisorem universalem, qui omnia largiatur petentibus...

Nonne S. Joseph, sicut fuit patronus, rector, provisor Familiæ Nazareth; ita patronus est cujusvis familiæ christianæ?...

Nonne adeundus pro educatione puerorum, gubernatione domus, proventuque rerum temporalium?... Nonne præsertim juvabit sacerdotem, qui in parochia tanquam pater constitutus est super familiam Dei?...

Nonne castissimus Mariæ sponsus, patronus est et custos castitatis?...

Nonne pueri Jesu educator, patronus est sholarum et juventutis?...

Matth. 13. Nonne sanctus *faber*, patronus opificum?...

Nonne patronus vitæ interioris, qui animabus ad perfectionem aspirantibus orationis spiritum, unionem cum Deo, fidem vividam, obedientiam, omnesque virtutes docebit et impetrabit?...

Nonne qui mortuus est inter Jesu et Mariæ brachia, patronus est bonæ mortis?... qui famulis suis impetret præservari a morte pessima, quæ est porta inferni... imo ab illa, quæ est porta purgatorii... ut moriatur morte pretiosa in conspectu Domini, quæ est porta paradisi...

Utinam digne colam te Beatissime Joseph, atque ita ut tam desiderabilia dona suscipere merear de manu tua. O Beatissima Virgo, impetra mihi hanc erga B. Sponsum tuum devotionem...

De S. Joseph. Devotionis praxis.

Pr. 1. *Clamavit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit : Ite ad Joseph : et quidquid ipse vobis dixerit, facite.* Gen. XLI, 55.

Pr. 2. Ut discam sancto Joseph dignum exhibere cultum cum imitatione virtutum ejus.

I. Quomodo amandus S. Joseph ; II. quomodo obsequiis colendus ; III. quomodo imitandus.

I P. AMOR. — Si in spiritu fidei virum hunc intueor tam amabilem, tamque Christo Domino ac B. Virgini charum, quomodo possem eum non amare?... Quod si vere eum amo, ex amoris impulsu Deum laudabo... ipsique beatissimo Joseph congratulabor, pro gratiis ac privilegiis, quibus tam mirifice a Deo fuit cumulatus...

Congratulabor ei de singulari felicitate qua donatus est in sua electione, in sua morte...

Inter omnes enim homines electus est a Deo, ut esset Mariæ sponsus et Christi nutritius...

Ipsi datum, non tantum videre Mariam, prout tanta felicitate contigit S. Dionysio... sed cum ea cohabitare, conversari familiarissime...

Ipsi concessum est non modo videre Jesum oculis... aut etiam, sicut Simeoni, accipere in ulnas semel... sed frui amplexibus ejus ac blandimentis, et præsentia continua atque exemplis... dum *esset eis subditus, et cresceret plenus sapientia, et proficeret ætate et gratia apud Deum et homines...* Gaudeo, Beate Joseph, de hac tua ineffabili felicitate ! fac me, quæso, ejusdem aliquatenus participem... Luc. 2.

Præterea felicissimus fuit S. Joseph eo quod potuerit pro Jesu et Maria laborare !... illud idem tamen et mihi, si voluero, non denegatur...

Felicissimus demum S. Joseph in hora mortis, adjutus, confirmatus a Maria et Jesu... in quorum brachiis expiravit...

O nimis felix, nimis ô beatus, Liturg.
Cujus extremam vigiles ad horam
Christus et Virgo simul astiterunt
Ore sereno !

Fiant, o Joseph, *novissima mea horum similia !...* Num. 23.

II P. CULTUS.— Si vera devotione Beatum Joseph colere voluero, ad eum in necessitatibus recurram, sive spiritualibus... sive etiam temporalibus, quæ sacram Ecclesiæ ac pauperum œconomiam concernunt... ejus imaginem venerabor... ejus nomen una cum *Jesu* et *Mariæ* nominibus invocabo... ejus festa solemniter celebranda curabo... non omissa concione ad populum de laudibus ac patrocinio ejus... Item, considerabo utrum confraternitatem sub ejus nomine erigere non conveniat ; aut, si hujusmodi confraternitas jam existit, curabo ut floreat... — Patres, matresque familias hortabor, ut ad eum tanquam certissimum consolatorem confugiant... — Omnibus demum industriis ejus devotionem procurare et promovere studebo... — Quid hactenus feci ?... quid faciam deinceps ?...

III P. IMITATIO. — Non tantum S. Joseph protector est, sed et exemplum : ideoque summopere ei placet obsequium quod ei præstamus imitando virtutes ejus.

Inter virtutes omnigenas quæ in sanctissimo Mariæ sponso effulgent, peculiari attentione spectandæ et imitandæ a nobis veniunt sequentes.

Cognitio intima, in spiritu fidei, et amor tenerrimus Verbi incarnati Jesu... et Genitricis ejus, Mariæ...

Fides vividissima, qua Joseph credidit Jesu sui, infantis atque adolescentis invisibilem divinitatem...

Silentium... et recollectio animi assidua... Ne unum quidem verbum ejus in Evangelio refertur...

Pietas et orationis spiritus... Si parum loquebatur cum hominibus, multum sane loquebatur cum Deo. Quomodo enim visibilem Deum sub oculis habens non in oratione assidua, imo non in extasi quadam continua esse potuit?...

Obedientia quæ effulsit præcipue dum, angelo jubente, fugit in Ægyptum, ibique exilium sustinuit...

Perpessio ac sanctificatio laboris...

Humilitas profundissima, qua meruit in tantam gloriam exaltari...

Bonitas ejus paterna...

Prudentia gubernativa atque fidelitas... quibus vocari meruit *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam...*

Matth 24.

Demum supereminens castitas, qua meruit sponsus esse Virginis, virginum Reginæ...

O beatissime Joseph, quantam mihi præbes imitationis materiam!... Utinam a longe possim virtutes tuas æmulari!... Adjuva me, quæso, orationibus tuis, ut quem tanta pietate in ulnis tenuisti Jesum tuum, eadem ego sub sacramentali velamine tractare possim... O Maria sanctissima, insta, quæso, cum digno tuo Sponso apud Filium, ut virtutes sancti Joseph in me aliquatenus resplendeant....

Nobis, summa Trias, parce precantibus.
Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

In festo sancti Petri.

Pr. 1. *Simon, Simon... tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Luc. XXII, 32.

Pr. 2. Ut magnum maximeque salutare exemplum

B. Petri intelligam, ex eoque prudentiam discam quæ Christi sacerdotem decet.

I. Quomodo Petrus lapsus sit in peccatum, II. Quomodo sit conversus. III. Quomodo post lapsum se gesserit prudenter.

I. P. LAPSUS PETRI. — Quis lapsus est ?... Apostolus... qui tribus annis cum Christo vixerat familiarissime... qui confessus fuerat divinitatem Jesu... qui acceperat claves regni cœlorum... qui prædicaverat evangelium et ejecerat dæmonia...qui sacerdotalem potestatem acceperat et paratum se dixerat cum Christo mori... hic apostolus, hic Petrus lapsus est in peccatum... O humana fragilitas !. . Utinam nunquam oblivioni detur !... Si talis vir cadere potuit, quid de me ipso sentiam ?... Quanta humilitate Deo adhærere et inniti debeo ?...

Quomodo lapsus est ? Gravissime... summa ingratitudine... ad vocem ancillæ... ut caveat vir apostolicus a quacumque muliere, etiamsi fuerit piissima, cognata... An mihi forte non est aliqua temeritas ?... An tot scandala me non sufficienter monent ?...

Qua de causa lapsus est ? Quia se periculo exposuit gratis et absque necessitate... Quia nec vigilavit nec oravit... quia fuit tepidus, quod eruunt Sancti ex his verbis : *Sequebatur a longe*... Quia adivit societatem pravorum hominum cum eis calefaciens se... Non erat ad eos missus, nec erat illic locus ejus... ut intelligam periculum adeundi mundanas societates absque necessitate ministerii...

Quænam hinc documenta capiam ?...

II. P. CONVERSIO. — In conversione beati Petri quatuor velut gradus distingui possunt. 1° *Respexit* Jesus Petrum...Aspectus ille eloquentissimus, misericordia plenus, est gratia Dei prævenions nos, necessaria quidem, sed quæ non denegatur, quamque humili prece reddere possumus efficacem...

2° *Recordatus est* Petrus verbi Jesu... Utinam id non fuisset oblitus !... Ne verborum Domini elabatur memoria salutaris, requiritur meditatio quotidiana, recollectio menstrua, secessus annuus...

3° *Egressus* est foras... occasionem scilicet peccati et periculum reliquit... Quæ res prorsus necessaria, nullo prætextu omitti, imo nec differri potest ..

4° *Flevit amare*... quia tam bonum Dominum negaverat... tam imprudenter egerat... Flevit autem per totam vitam...

An ego ita sum conversus?... An ita deflere pergo præterita delicta?... Quid hic mihi imitandum?...

III. P. PETRI POST LAPSUM PRUDENTIA. — 1° Postquam infeliciter lapsus est Petrus, fiduciam non amisit, sicut Judas... nec ab aliis apostolis se separavit, cum quibus eum mox conjunctum Evangelistæ ostendunt...

2° Confugisse ad Matrem Jesu pro solamine et consilio accipiendo credendus est...

3° Miserrimo lapsu humilior... factus est et cautior... Nec jam timendum, ne ex primatu suo atque exaltatione magnisque operibus superbiat aut infletur...

4° Compensationem dabit Domino pro triplici negatione : plus ceteris Dominum amabit in se et in agnis atque ovibus ejus... impendet setotum pro animabus, impendet omnia sua... et ipsam vitam dabit pro Jesu, in cruce, at capite deorsum verso...

5° Familiariter postea egit Dominus cum Petro, et Petrus cum Domino, quasi lapsus non esset... fiducia plenus, sed humillima... et flere non desinens...

Hanc Petri prudentiam imitabor... Utque id efficere valeam, orationem instituam ad B. Petrum, et cum Ecclesia dicam :

Beate Pastor Petre, clemens accipere
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita
Aperire terris cœlum, apertum claudere.

Deinde ad misericordissimum Jesum me convertam, gratiam flagitans.

In festo Omnium Sanctorum.

Pr. 1. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat... stantes ante thronum, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.* Apoc. VII, 9.

Pr. 2. Ut vivida fide contemplando sanctorum in cœlis gaudia, ardenti zelo ad eorum sequenda vestigia accendar.

I. Cor cœlum intuendum? II. Quosnam in cœlo sanctos videmus? III. Quænam verba sancti ad nos loquuntur?

I P. CŒLI ASPECTUS. — Quod mater Machabæorum olim juniori filio, id unicuique fidelium hodie dicit Mater Ecclesia : *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum...* Cur autem oculos sursum attollere et cœlum aspicere debemus? II Mach. 7.

Quia hæc patria est et terminus quo tendimus, quique semper præ oculis est habendus, ne a via recta discedamus...

Aspiciendum cœlum ne rebus terrenis semper intenti, corde adhæreamus, atque ita cœlestia amittamus...

Aspiciendum est cœlum cum bonis suis puris, æternis... ut despiciatur terra, universaque terrena, quæ vana sunt et fluxa... imo coinquinata et funesta... *Quam sordet mihi tellus*, aiebat S. Ignatius, *cum cœlum aspicio!...* Et S. Gregorius : *Si consideremus quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris...* Homil. 37.

Aspiciendum cœlum ad vitandum infernum. Etenim vel in cœlo vel in inferno esse debeo... eligendum mihi est... et quidem tempestive... atque efficaciter, opera nimirum perficiendo cœlestia, si quidem cœlestem mercedem volo serio obtinere...

Aspiciendum cœlum et merces copiosa atque æterna, Dei famulis parata, ut ad laborandum nos animemus. Si enim labor terret, merces invitat ac roborat... Si multæ tribulationes, si graves labores justorum, *non* tamen *sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8.

Aspiciendum cœlum, ut in omni hujus exilii tristitia gaudeamus... *Spe gaudentes...— Gaudete et exultate*, inquit ipse Dominus, *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis...* Rom. 12. Matth. 5.

An ego satis mentem attollo ad æterna?... An averto oculos ne videant vanitatem? An non gravi corde diligo vana et mendacia? O Sancti omnes, intercedite pro nobis,

ut corda nostra sursum erecta teneamus... et illud agamus quod nos quotidie monet Ecclesia, dicens : *Sursum corda !...*

II P. CŒLI HABITATORES. — Supernæ Jerusalem cives sunt omnes sancti, quos vidit Joannes multitudine innu-
Apoc. 7. merabiles, *ex omnibus gentibus et tribubus et linguis, stantes ante thronum, amictos stolis albis, et palmæ in manibus eorum... qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei... Non esurient neque sitient amplius, quoniam Agnus qui in medio throni est, deducet eos ad vitæ fontes aquarum...*

Hic considerandum venit, beatos istos cœlites quibusdam circumstantiis inter se discrepare, aliis autem esse simillimos.

1° Discrepant natione, statu, conditione qua vixerunt in terris... Alii ex aliis nationibus fuere oriundi... alii divites, alii pauperes... alii laïci, alii sacerdotes, religiosi aut anachoretæ... ut intelligam, in omni statu hominem posse salvum fieri, dummodo suum statum sanctificet... — Non tamen ex omni statu idem venit electorum numerus... In quo statu, in qua conditione securior ad cœlum via ?...

1 Cor 15. Differunt quoque gloria, sicut *stella a stella differt in claritate...* Quinam claritate præeminent ? An illi qui fuerunt majores in terra ?... An divites, docti, sacerdotes altiore loco constituti ? Nequaquam illi, sed humiliores :
Matth. 18. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum...* Item ille, qui magis particeps fuerit crucis et laborum Domini...

2° Similes autem sancti eo sunt, quod omnes pariter
Rom. 8. Christi ferunt imaginem in se expressam : *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui...* Agni nempe immaculati... et immolati...

In hoc quoque conveniunt cœlites, quod omnes sunt
Apoc. 21. sancti... Non enim in supernam civitatem *intrabit aliquod coinquinatum...* Omnes vel innocentes, ut Præcursor Domini, vel pœnitentes ut Petrus... Omnes tenent palmas in manibus : quia omnes vicerunt mundum, carnem et diabolum... eosdem videlicet inimicos qui nos impugnant,

et iisdem mediis quæ sunt præ manibus nostris... — Nullus ibi, qui vestem nuptialem non habeat, vel non dealbaverit in sanguine Agni... Exulant ergo ex hac societate *iniqui, fornicarii, idolis servientes... avari,* 1 Cor. 6. *ebriosi, maledici...* sacrilegi quoque et Judam imitati proditores...

O quam jucunda illa societas sanctorum !... *Ecce quam* Psalm. 132. *bonum et quam jucundum habitare fratres in unum !*

Quid igitur mihi terra offerre possit, quod pro regno cœlorum non despiciam ?... O ineffabilis Dei bonitas, quæ talia ac tanta mihi præparare dignata est !... *Festinemus,* Hebr. 4. merito Apostolus inquit, *ingredi in illam requiem...*

III P. VERBA SANCTORUM. — Nonne omnes nostri de cœlo fratres ad beatum suum consortium vocant et hortantur nos ?... Eo sane efficacius, quod fuerint ipsi olim sicut nos in carne positi... Hinc enim intelligimus, quo illi pervenerunt, et nos pervenire posse : dummodo sequamur vestigia eorum, adhibeamusque constanter, sicut ipsi, sanctificationis media...

Modicum, inquiunt, *laboravi, et inveni mihi multam* Eccli. 51. *requiem...* — *Momentaneum et leve tribulationis nos-* II Cor. 4. *træ æternum gloriæ pondus operatum est in nobis...*

Jam hiems transiit, imber abiit et recessit... Cant. 2.

O felix pœnitentia, aiebat S. Petrus de Alcantara, *quæ tantam mihi promeruit gloriam !...*

Nunc, inquiunt, cognovi veram vitam... veraque bona, quæ universa explent cordis desideria... — Quod si quid dolere possem, id unum mihi nunc acerbum foret, me non plura merita comparasse, non melius thesaurizasse, dum in terra degerem... O frater mi, sacerdos Domini, age nunc, dum vita manet, operare bona ferventer... expende tempus, sicut ego, si adhuc tuo in loco essem positus, illud expenderem...

Re quidem vera, si, postquam ineffabilem mercedem gustaverunt in cœlis, fratres mei adhuc vivere ac mereri possent in terris, quanto fervore laborarent !... Et ego, quomodo residuum mihi tempus expendam ?... O Beatissima Virgo, o sancti angeli, sancti sacerdotes et levitæ, sancti monachi et eremitæ... omnesque Sancti et Sanctæ Dei, orate pro me...

In Commemoratione fidelium Defunctorum.
Pietas erga defunctos.

—

Pr. 1. *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.* II Machab. XII, 46.

Pr. 2. Ut renover spiritu devotionis et charitatis erga defunctos.

I. Quid hodie juxta mentem Ecclesiæ facere debeo pro defunctis ?
II. Quid, pro me ipso ?

I P. QUID HODIE FACIENDUM PRO DEFUNCTIS ? — Quid fidelis quilibet, quid præsertim sacerdos hodie facere suadetur pro animabus fidelium defunctorum, quæ in purgatorio detinentur ? Nonne peculiari modo earum recordari debet et misereri ?... Nonne præterea omni quo potest auxilio eis opitulari ?...

Misereri nos oportet fratrum nostrorum ad nos clamantium : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei : quia manus Domini tetigit me...*

Job. 19.

Nonne sunt commiseratione digni, qui acerbiora patiuntur quam pauperes, quam infirmi ac maxime miserabiles hujus mundi ?... *Ibi* enim *una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in gravissima pœnitentia...*

Kemp.I,24.

Atque his pœnis physicis addendæ sunt pœnæ morales : torquentur enim amarissimo dolore quod, cum in terris agerent, non melius sibi providerint, evitando culpas ob quas nunc tam severe puniuntur... vel saltem expiando, dum tempus misericordiæ maneret...

Nonne sunt miseratione digni, qui se ipsos ullo modo juvare non possunt ?... In terris per confessionem, per orationes et lacrymas, per pœnitentiam et eleemosynas divinæ potuerunt satisfacere justitiæ ; nunc autem confessio jam non datur, lacrymæ non prosunt, solvenda sunt debita Deo usque ad novissimum quadrantem...

Nonne sunt miseratione dignæ animæ fratrum nostrorum, propinquorum, patris fortassis et matris nostræ... quos tantopere dileximus in terris...

Nonne sunt miseratione dignæ animæ illæ sanctæ, Deo charissimæ, cœlo destinatæ ?. .

Jam vero nostra commiseratio sterilis esse non potest : oportet ut animas dolentes solemur et juvemus...

Nonne id charitas requirit? Nonne hæc est excellentissima eleemosyna pauperibus eroganda ?...

Nonne Christus Dominus reputabit ut sibi præstitum solamen quod suis sponsis afflictis attulerimus ?... *Infirmus fui, et visitastis me ; in carcere eram, et venistis ad me...* Matth. 25.

Media autem suppeditant omnibus juvandi animas. Qui enim facultatem non habent solandi pauperes in terra, possunt solari indigentes animas in purgatorio... Nam ut fides docet, sacrificium Missæ... indulgentiarum applicatio... orationes... et quælibet opera bona, in cujusque potestate posita, apud Deum valent, ut animæ purgantes liberentur vel refrigerium et solamen accipiant...

Quid ego pro defunctis facere consuevi ?... An debitam eis misericordiam exhibeo ?... Quid in posterum agendum statuo ?...

II P. QUID PRO ME IPSO ? — Debeo, si prudens sum, providere mihi dum tempus habeo, juxta monitum quod unicuique ab animabus purgatorii datur : *Memor esto judicii mei, sic enim erit et tuum : mihi heri et tibi hodie...* Eccli. 38.

Sicut ego mortuus sum, ait defunctus frater, ita et tu morieris... Sicut ego judicatus sum, ita tu judicaberis... Sicut ego crucior in piacularibus flammis, ita tu, nisi omnia expiaveris in terra, mox cruciaberis...

Num itaque purgatorium me manet ?... Utique, saltem probabilissime. Etenim, an damnaberis ?... An recta in cœlum conscendes ?... Si utrumque minus probabile, remanet ergo purgatorium... Itaque ego, brevi, cras fortassis... in formidolosa illa pœnitentia ero. Quid ergo, dum tempus est, faciendum ?

Nonne me a severa illa expiatione eximere debeo ?... vel saltem curare ut brevis mihi sit et mitior ?... Ad hoc conferunt hæc tria :

Vitare ulteriora paccata...

Expiare præterita...

Animas purgantes misericorditer juvare: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur...* Matth. 5.

Quodnam hic propositum practicum faciendum ?...

O Domine Deus meus, firmiter credo purgatorium esse, animasque ibi detentas vivorum suffragiis juvari... Veniam peto quod hactenus tam parum pro defunctis fecerim... Da mihi fideliter exequi quod nunc statuo, in posterum nempe per indulgentias ac bona opera magnam eis misericordiam præstare...

In Commemoratione fidelium Defunctorum. De purgatorio.

Pr. *Memor esto judicii mei, sic enim erit et tuum : mihi heri et tibi hodie.* Eccli. XXXVIII, 23.

Pr. 2. Ut vivida fide considerem purgatorium, et salutaria inde documenta recipiam.

I. Cur de purgatorio cogitandum ? II. Quænam animæ in purgatorio detinentur ? III. Quid nobis inclamant ?

I P. COGITATIO PURGATORII. — Cur de purgatorio cogitandum ?... 1° Ut animabus ibi detentis opitulemur... Hoc enim opus misericordiæ, omnibus fidelibus implendum, nobis præsertim sacerdotibus obligatorium est. Si enim obligatio datur eleemosynam corporalem erogandi, quanto magis juvare nos oportet eleemosyna suffragiorum animas, in tanta necessitate positas ?... Nonne hæc obligatio imprimis urget sacerdotes, spiritualibus subsidiis tam divites ?...

2° Ut nobismet ipsis provideamus. Nam in purgatorio nos aliquando futuros nonne fere pro certo tenendum ? Quid probabilius ? In inferno esse non poterunt sacerdotes, qui ut nos facimus, ministerium suum ex animo studeant implere... ex altera autem parte, recta se in cœlum ingressurum, quis sibi promittere audeat ?... Manet ergo purgatorium. Quapropter ita mihi debeo providere, ut mitis expiatio ac brevissima fiat.

Atqui quonam pacto id efficere potero et obtinere ? Nonne expiando vetera delicta... et evitando contrahere debita nova ?... Nonne misericordiam exercendo ut ipse misericordiam merear invenire ?...

Huc pertinet istud Domini monitum : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris : amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem...* Matth. 5.

Da mihi, Domine, huic tuo monito obtemperare : et nunc in via vitæ tibi, Creditori magno, debita mea solvere cito... ne inopina morte in manus tradar justitiæ tuæ.

II P. ANIMÆ PURGANTES. — Quænam sunt animæ in purgatorio detentæ ? Non aliæ sane quam animæ sanctæ, Deoque gratissimæ, etsi nondum purissimo conspectu ejus dignæ... Animæ severis pœnis afflictæ et quibus summa commiseratio debetur... animæ parentum nostrorum, fratrum ac propinquorum...

Ibi animæ sacerdotum plurimæ, qui olim peccata venialia in levi habuerunt... qui tractando res sacras negligenter... orando tepide et oscitanter... sensualitati indulgendo...linguam nequaquam caute custodiendo...innumera coacervarunt delicta.

Ibi sacerdotes multi, qui, dum viverent, debita Deo solvere minime curarunt... et se ad mortem, licet infirmitate moniti, non sancte præpararunt... sacramenta infirmorum, quæ tantopere ad purgandam animam valent, non nisi tarde et absque pietate receperunt...

An in purgatorio inveniuntur sacerdotes qui vitam in tepiditate consumpserunt, spernentes modica ?... An luxuriosi ?... An sacrilegi ?... An sensualitati prorsus dediti, divitemque epulonem imitati qui sepultus est in inferno?... An pastores, quos Dominus non invenerit vigilantes, sed negligentia sopitos in parochia... quæ parochia interim zizaniis corrupta, similis facta est agro viri pigri, urticis ac spinis oppleto ?... An eorum locus in purgatorio ?... *Prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum...* Act. 1.

O misericordissime Jesu, libera me de viis inferni... deque viis purgatorii...

III P. ANIMARUM AD NOS SERMONES. — Clamant ad nos purgantes animæ, non tantum ut suffragia postulent... verum etiam ut nos salutaribus monitis juvent.

Fratres, inquiunt, vos adhuc in via versantes, *attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus...* Hic una hora Thren. 1.

gravior est in pœna, quam integer vitæ cursus in austera pœnitentia transactus...

Quam facile potuissem hæc mea supplicia vitare !... et pro peccatis meis satisfacere... per patientiam, per labores, per orationes ferventes, operaque misericordiæ...

Imit. I, 24. Obtestor te in Domino, frater, ne venias et tu in hunc locum tormentorum... *Melius* sane *est modo purgare peccata et vitia resecare, quam in futuro purganda reservare.*

Sap. 4. Dispone cito domui tuæ, quia morieris et tu... rationem reddes villicationis... *Horrende et cito apparebit vobis : quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet...*

Dan. 4. Dum itaque tempus habes, *peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum...* videlicet pauperum, tum vivorum tum defunctorum...

Psalm. 40. *Beatus* autem *qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus.*

Da mihi, piissime Jesu, magnam erga purgantes animas misericordiam... Da mihi quoque ipsarum periculo sapere, atque ita meam animam purgare in hac vita, ut nihil jam remaneat expiandum in futura.

In Dedicatione ecclesiæ. Templum christianum.

Pr. 1. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Apoc. XXI, 3.

Pr. 1. Ut intelligam mysteria domus Domini, et in eadem habitare dignus efficiar.

Consideranda veniunt duo : quid sit templum christianum seu ecclesia, et quid requirat a nobis. Ad priorem quæstionem respondetur : christiana ecclesia, locus sanctus est, domus Dei, mystica figura, et porta cœli. Hac meditatione perpendamus quomodo sit, I. locus sanctus, II. domus Dei, III. mystica figura.

I P. LOCUS SANCTUS. — Ecclesia christiana locus sanctus est et mysteriis plenus... Propterea tam solemniter ab Episcopo consecratur ac dedicatur... imo perenni dedica-

tionis festo celebratur... Propterea quoque templa novæ legis figurata fuere loco illo sancto Bethel, ubi Jacob in spiritu vidit scalam a terris ad cœlum pertingentem, Deumque innixum scalæ ; evigilansque dixit : *Vere Dominus est in loco isto... non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli..* Quam vere hæc de templo christiano dicenda !... Gen 28.

II. DOMUS DEI. — Christianum templum domus Dei est : scilicet illa domus Dei quæ dicitur *domus gratiæ* et *domus orationis*. Quadruplex enim distinguitur domus seu templum Dei : templum naturæ, templum gloriæ, templum amicitiæ et templum gratiæ.

Templum naturæ est mundi universitas, in qua creaturæ omnes suum Creatorem, ibi substantialiter præsentem, laudare debent, Ecclesia eas ad id invitante : *Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula...* Dan. 3.

Templum gloriæ est cœlum, ubi Deus tanquam Rex in aula sua sedens, gloriam regni sui electis manifestat...

Templum amicitiæ est anima justi... *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus,et mansionem apud eum faciemus.* In anima sancta Deus habitat, ut eam magis magisque sibi per charitatem uniat... Joan. 14.

Templum gratiæ est ædes sacra, solemni dedicatione consecrata. Quæ quidem verissime dicitur domus Dei, domus gratiæ, domus orationis.

Domus Dei est, quia realiter in ea habitat Deus ac Dominus noster Jesus Christus. Quo longe præstat vel minima christianorum ecclesia antiquo Jerosolymarum templo : ubi utique Deus trinus et unus habitabat, non vero Christus Dominus,qui solum intravit in illud...At vero in ecclesiis nostris, ubique terrarum, idem Christus cum humanitate sua sub velamine sacramentali latens, perpetuam facit nobiscum mansionem... Et quidem illic Filius Dei cum suis fidelibus habitat sicut Pater cum filiis... eos docens... eos nutriens ad mensam suam...

Porro dicitur domus *gratiæ*, quia in ea Deus habitat ut fidelibus suis largiatur omnigenam gratiam, qua præparentur ad gloriam.

Dicitur domus *orationis*, quia in ea residet Dominus ut audiat fidelium preces, ut accipiat eorum sacrificia et cultus obsequia... quibus gratiarum suarum largitione respondet...

Quid retribuam tibi, Domine, pro tanta erga nos misericordia ?...

III P. MYSTICA FIGURA. — Lapideum templum repræsentat domum Dei vivam, eamque triplicem : Ecclesiam videlicet militantem, Ecclesiam triumphantem, et animam justam.

Ecclesia militans ædificatur lapidibus vivis, sed mutabilibus... qui nempe ex vita gratiæ excidere possunt... et naturali mortalitate sibimet invicem in hoc mundo succedunt...

Ecclesia triumphans construitur lapidibus vivis, pretiosis et firmatis in æternum... Hi autem æterni lapides secantur ac limantur in terra, prout Ecclesia cantat : *Scalpri salubris ictibus et tunsione plurima fabri polita malleo hanc saxa molem construunt...* - Porro moles ista, quæ templum ac domus gloriæ Dei est, amplitudine sua civitatem constituit... eamdemque regiam Sponsam Christi... ut eodem hymno dicitur : *Cœlestis urbs Jerusalem, beata pacis visio, quæ celsa de viventibus saxis ad astra tolleris .. Regina formosissima, Christo jugata Principi, cœli corusca civitas !...*

Hymn. dedic.

Templum denique internum animæ justæ, in qua sanctissima Trinitas mansionem facit, loco lapidum, ædificatur virtutibus... fide, spe, charitate, reliquisque omnibus, tanquam totidem spiritualibus gemmis... imo operibus bonis quibuslibet, quæ cuncta ut pretiosi lapides ad illud ædificium conferunt... Quapropter vult Apostolus ut super fundamentum fidei a Christo positum, *superædificemus aurum, argentum, lapides pretiosos...* non vero *ligna, fenum, stipulam...*

1 Cor. 3.

O Deus, qui de vivis et electis lapidibus æternum Majestati tuæ præparas habitaculum, auxiliare populo tuo supplicanti : ut quod Ecclesiæ tuæ corporalibus proficit spatiis, spiritualibus amplificetur augmentis...

Liturg.

In Dedicatione Ecclesiæ. Sanctitudo domus Dei.

Pr. 1. *Domum Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Psalm. 92.

Pr. 2. Ut magis magisque diligam decorem domus Dei, et in sanctificando tabernaculo vivo Dei omnem operam ac zelum adhibeam.

I. Quomodo templum sit porta cœli. II. Quænam obligationes meæ respectu templi.

I P. PORTA CŒLI. — Christiana ecclesia *porta* est ac vestibulum *cœli*... 1° quia splendore cultus externi imaginem exhibet cœli... imo, quia oculis fidei apparet velut cœlum in terra, spectaculum subjiciens spirituale ipsius Regis gloriæ, ibi realiter præsentis, suorumque angelorum et piorum fidelium laudes accipientis... *Stetit angelus habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa... et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo...* Apoc. 8.

Nec tantum imaginem et spectaculum cœli, sed quasi inchoationem præbet cœlestium jucunditatum, in illa suavitate spirituali quam gustant in domo Dei animæ sanctæ...

2° Alio deinde sensu ecclesia porta cœli dicitur, quia per eam in cœlum intratur... scilicet media in cœlum intrandi suppeditantur. Sicut enim B. Virgo Maria *Janua cœli* prædicatur, quia intercessione cœlum aperit ; ita templum, salutis auxilia fidelibus offerendo, eadem adhibere volentibus porta cœli efficitur... In ecclesia enim, fideles docentur, mundantur ac sanctificantur... omnique modo præparantur ad introitum in cœlum...

Porta hæc semper quidem aperta est, sed *angusta, et pauci inveniunt eam*... Attamen porta ad introitum cœli necessaria... et quidem ita, ut alia non detur... quique per eam intrare noluerint, nullatenus intrabunt in vitam...Imo devenient in mortem : per aliam scilicet portam, de qua Dominus : *Lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam...* Matth. 7. Matth. 7.

Custodi me, Domine, et adjuva, ut ab omni via mala pro-

hibeam pedes meos... *Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ : ut videam voluptatem Domini et visitem templum ejus...*

Psalm. 26

Concede mihi, Deus meus, ardenter diligere domum tuam, et locum habitationis gloriæ tuæ... ut clamem ex animo cum Propheta : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini... Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum : rex meus et Deus meus ! Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te... Quia melior est dies una in atriis tuis super millia...*

Psalm. 83.

II P. OBLIGATIONES RESPECTU TEMPLI. — Quid a me templum Domini requirit ? 1° Quatenus christianus sum, debeo templum Domini frequentare... summaque religione revereri... divinis officiis devote interesse... verbum Dei audire... et sacramenta sancte recipere...

2° Qua sacerdos, meum est domum Dei fulcire, sicut columna virtute firmissima... quemadmodum de Simone, Oniæ filio scriptum est : *Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum...* Quod labore et orationibus efficiam....

Eccli. 50.

Dein domum Dei illuminare... doctrina et exemplis... *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei...*

Ibid.

Eamdem quoque ornare, ornatu nimirum corporali... et ornatu spirituali, animas nempe virtutibus christianis decorando... adeo ut in veritate dicere possim : *Domine, Dilexi decorem domus tuæ.*

Psalm. 23.

Eam præterea sancte administrare in cultu, in sacramentis... *Sic ministrent nullum crimen habentes...*

Tim. 3.

Demum omni zelo debeo domus Dei sanctitatem procurare, domus inquam vivæ, animæ meæ et animarum fidelium... *Domum Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum...*

Psalm. 92.

Liturg.

O Deus, qui ex omni coaptatione sanctorum æternum tibi condis habitaculum : da ædificationi tuæ incrementa cœlestia... ut euntes de virtute in virtutem, *impleamur in omnem plenitudinem Dei...*

Ephes. 3.

In festo Dedicationis ecclesiæ. Zachæus.

Pr. 1. *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere... Hodie salus huic domui facta est.* Luc. XIX, 5, 9.

Pr. 2. Ut exemplo Zachæi digne me gerere discam erga Jesum, hospitem in anima mea et in sacris ædibus manentem.

Considerandum in evangelica lectione de Zachæo, I. quomodo Zachæus quærat videre Jesum ; II. quomodo a Jesu vocetur ; III. quomodo a Jesu sanctificetur.

I P. DESIDERIUM VIDENDI JESUM. — *Jesus perambulabat Jericho*, transibat scilicet per istud oppidum, ut Jerosolymam peteret... Ita nos transimus per hoc sæculum... et utinam omnes nostri gressus in cœlestem urbem Jerusalem tendant !... Transit autem Jesus, non curiosa aut noxia oblectamenta sectando... sed cæcos illuminando, ovemque perditam quærendo... Quid ego ?...

Ecce vir nomine Zachæus, princeps publicanorum, dives... En peccator, bonis quidem hujus mundi abundans, in anima vero miserabilis... sed qui mutabitur a Christo Domino in virum alium... Sic omnes conversione indigemus, et omnes a Christo, misericordissimo Domino, possumus sanctificari...

Quærebat videre Jesum, quis esset, nempe quoad externam speciem ac personam. Quod quidem desiderium etsi mere naturale, quatenus cum reverentia erga Jesum erat conjunctum, fiebat bonum, et principium salutis Zachæo factum est... Quanta vis boni desiderii !... Quid si desiderium hujusmodi fuerit ardens, quasi *fames et sitis justitiæ ?...* Notandum tamen desiderium Zachæi esse efficax : quærit enim et satagit Jesum videre... surgit, et relictis ærarii negotiis exit e domo, media adhibens ut videat Jesum... Matth. 5.

Non poterat præ turba... Obstaculum est turba, sive turba rerum temporalium quibus implicamur, sive turba passionum quibus indulgemus... *Ascendendum est* cum Zachæo *in arborem*, in arborem crucis, per mortificatio-

nem christianam ac generosam sui victoriam... Homo porro se ipsum vincit superando suas repugnantias respectu boni faciendi, et resistendo inclinationibus ad res vetitas... Sic enim ascendit supra semet ipsum, et disponitur ad audiendam et sequendam vocem Domini...

Utinam ego sic dispositus inveniar !...

II P. VOCATIO. — *Suspiciens Jesus vidit illum et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*

En Jesu benignitas, qua bono hominis conatui respondet... Aspicientem aspicit... aspectu sane vivifico... O
Psalm. 24. Domine Jesu, *respice in me et miserere mei*... An ego eum oculo fidei intueor in sacra Hostia, ut merear vicissim aspectum ejus ?...

En Jesu bonitas, quam homini ipsum quærenti ostendit : ad eum ultro se invitat... et quidem iis verbis quæ singula ejus amorem ac cœlestem sapientiam spirant.

Zachæum nomine vocat, benevole significans se eum cognoscere... *Descendere* jubet, ut humilitatem doceat, ad suas gratias recipiendas necessariam... Descende, inquit, *festinans*, ut significet diligentiam ac fervorem... *hodie*, quia displicet ei bona proposita nostra in diem crastinum differre... *Oportet me manere in domo tua*... id est, in anima mea, quæ ad hoc destinata est ut sit templum Dei vivi, tabernaculum Christi... Quanta est hujus Hospitis dignitas ! Quanta hospitii vilitas !... — O Hospes sanctissime, adjuva me, ut hospitium animæ meæ digne valeam parare atque mundare...

III P. SANCTIFICATIO. — Vocanti Domino respondet Zachæus *festinans* et *gaudens*... Quid ego, dum quotidie mane ad sacra mysteria me vocat Dominus ? An ferventi meditatione me præparo ?... An in spiritu fidei de tanta Jesu erga me bonitate gaudeo ?...

Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus ; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. En conversio vera : mirabilis effectus præsentiæ Domini et sacræ Communionis... — En Zachæi generositas : dimidium fortunæ *dat*, non *dabit*... pauperibus... Quid ego ?... An neminem, nimirum neque Deum neque proximum, quidquam defraudavi ?... Et an pro delictis præteritis reddo quadruplum amoris et laboris ?...

Hodie salus domui huic facta est... En sanctificatio animæ digne communicantis, ac sacerdotis digne celebrantis... si fructum eumdem ex Christi in me adventu non percipio, quodnam obstaculum?... An quia Zachæi humilitatem, diligentiam non imitor? Hospitemve meum oculis fidei non intueor?...

Hic quoque templorum nostrorum sanctitas velut in viva quadam figura monstratur : tum quatenus sunt habitatio Christi : *In domo tua oportet me manere...* tum quatenus sanctificatio populi : *Salus domui huic facta est...* Christus enim in templo fideles suos, instar familiæ coadunatos, sanctificat per doctrinam, per sacramenta, per sacrificia... An ego sacerdos, tum zelo decoris domus Dei, tum pietatis exemplo, fideles ad frequentandum templum allicio?...

Da mihi, Domine, sancte excipere quotidie divinum Hospitem in domum animæ meæ... tunc etiam diligam decorem domus tuæ lapideæ ita efficaciter, ut appareat et sit vere *domus Dei et porta cœli...* Gen. 28.

De cœlo. Pulchritudo loci.

Pr. 1. *O Israël, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!* Baruch III, 24.

Pr. 2. Ut pulchritudinem cœli contemplando ejus desiderio inardescam.

I. Qualis sit cœli sedes ac locus. II. Quales inhabitantes.

I P. SEDES CŒLESTIS. — Ubi de cœlo agitur, primum occurrit illud Apostoli verbum : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum...* Scilicet in hac mortali vita ea perfecte nequimus cognoscere, multo minus enarrare... Sumus enim respectu cœlestium, velut cæci nati respectu solis et ornatus naturæ... 1 Cor. 2.

Imperfecta tamen cognitio nobis datur, *per speculum et in ænigmate...* id est per fidei documenta, quæ nobis velut umbras quasdam et imagines exhibent rerum cœlestium...

Scimus enim paradisum, sive cœlum, esse domum gloriæ Dei, ubi Beati cum ipso, sicut filii cum suo Patre habitant, omnium bonorum ejus participes...

Cœlum domus Dei est, at domus gloriæ, ubi peculiari modo Deus præsens est, sese videndum præbet, suamque gloriam manifestat... Sicut rex terrenus, licet aliquo modo sit in toto regno suo, tamen duntaxat in palatio thronum habet positum, ibique magnificentiam ostentat... — Imaginem quamdam cœlestis domus Dei exhibet magnificentia mundi corporei, cœlique stellati : qui mundus aspectabilis idcirco etiam vocatur domus Dei ac templum naturæ... Item, imago cœli est terrestris Ecclesia, domus gratiæ Dei : quo spectat istud : *Dominus est in loco isto... non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli...*

Gen. 28.

Cœli locum seu spatium definitum existere Scriptura docet ; ubi autem proprie situs sit, non docet : indicat tamen esse locum a terreno nostro loco distinctum, quo tanquam in altitudinem ascenditur... *Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum...* Locus porro videtur omnino intelligendus corporeus, quippe hominibus corporeis destinatus. « Veritas communiter in Ecclesia « recepta, inquit Suarez, et omnino certa est, ultra omnes « cœlos mobiles dari quoddam cœlum immobile, nobilius « cæteris et lucidissimum ac pulcherrimum, Beatorum « domicilium, quod *empyreum* appellatur, quia sicut « ignis natura sua totus est lucidus, ita corpus illud (cor« poreum habitaculum) lucidissimum est. »

Psalm. 113.

De op. sex dierum l. 1. c. 4.

In Scriptura, cœlum quoque vocatur thronus Dei... regnum Dei... civitas Dei... paradisus Dei... domus Patris... tabernaculum æternum... patria...

Quanta sit hujus loci pulchritudo et immensitas, prorsus est ineffabile... *Solummodo ibi magnificus est Dominus noster...* Splendida Apocalypsis descriptio dumtaxat umbra est... vera namque cœli magnificentia tantum superat omnem magnificentiam hujus mundi, quantum Dei majestas superat creaturas...

Isaï. 33.

O Deus, quam sordet mihi tellus quum cœlum aspicio !

II P. INCOLÆ. — Habitatores cœlestis domus sunt, præter ipsum Regem, Deum, omnes electi, tum angeli, tum homines, in beatam Dei familiam adscripti...

Electi hujusmodi omnes sunt sancti et immaculati: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum...* Apoc. 21.

Sunt angeli, spiritus præcelsi, quos ad hoc Deus creavit, ut essent principes ac ornamentum domus suæ, et exercitus majestate sua dignus... ideo exhibentur ut multitudine innumerabiles... Dan 7.

Sunt homines, terrestres creaturæ, supra naturam suam ad hoc misericorditer assumpti, ut cum angelis habitent in cœlis... *ut sedeant cum principibus, cum principibus populi sui...* — Ut autem novæ huic mansioni sint idonei, regenerari debent et velut novæ creaturæ fieri: *Dedit eis filios Dei fieri...* Psalm.112. Joan. 1.

Tales sunt omnes justi, tum veteris tum novi Testamenti... qui vixerunt sicut nos in hac terra... quos vidit Joannes *habentes nomen Agni scriptum in frontibus suis, stantes ante thronum et in conspectu Agni, amictos stolis albis, et palmæ in manibus eorum...* Apoc. 14.7.

Inter homines cœlicolas eminent duo: Christus Rex, et Maria Regina... Eminent quoque inter cæteros viri apostolici, sacerdotali charactere insigniti...

Pauci ex eis corpore jam sunt induti, quorum principes apparent Christus et sanctissima ejus Mater... Reliqui, corpore mortis in terra deposito, spiritu vivunt et beantur, donec, in novissimo die, beatitudinem cum suo corpore communicent...

Hi omnes, purissimæ charitatis vinculo conjuncti, unam civitatem Dei, unam familiam cœlestis Patris constituunt...

O supernæ civitatis mansio beatissima! O dies æternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat!... O utinam dies illa illuxisset!... Jesu bone, quando stabo ad videndum te? quando contemplabor gloriam regni tui? quando eris mihi omnia in omnibus?... Imit. III,48

De cœlo. Beatitudo cœlitum.

Pr. 1. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psalm. XXXV.

Pr. 2. Ut cœli delicias contemplando earum desiderio inardescam.

I. Cœlestis beatitudo excludit omne malum ; II. comprehendit omne bonum secundum animam ; III. comprehendit omne bonum secundum corpus.

Apoc. 21. I P. LIBERATIO AB OMNI MALO. — *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum ; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra...*

Quæ et quantæ sunt in hoc mundo tribulationes justorum ?... quænam ex parte suimet, ex parte corporis vel animæ ?... quænam ex parte diaboli ? ex parte pravorum
Psalm. 83, hominum ?... *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus...*

Absterget Deus, omnem lacrymam, jucunda tamen manebit recordatio lacrymarum sanctarum... Da mihi, Domine, ita hic patienter degere, ut aliquando cum B. Petro de Alcantara dicere possim : *O felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam !*

II P. BONA ANIMÆ. — Beatitudo animæ essentialiter in possessione ac fruitione Dei, summi Boni, consistit, per visionem beatificam .. Est autem hæc fruitiva Dei intuitio, non minus clara atque distincta, imo longe clarior visione rerum quas corporeis oculis conspicimus, totamque animam suavissima inflammat charitate. Anima porro exardescens, in Deo velut in amoris oceano immergitur et
Psalm. 35 purissimis deliciis inebriatur : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ...*

Tunc plene satiabitur anima, et implebitur immensum felicitatis desiderium sibi a Creatore inditum : quoniam
Psalm. 16. objectum possidebit propter quod creata est... *Satiabor cum apparuerit gloria tua...* Satiabitur intellectus ejus, omni visione veritatis ac pulchritudinis, rapieturque æterna admiratione mirabilium ac thesaurorum Dei... Satiabitur voluntas et appetitus omni amore infinitæ amabilitatis... Satiabitur amor proprius ille sanctus, qua nostram gloriam in Deo quærimus : nam ex ipsa Dei visione
1 Joan. 3. orietur gloria sanctorum : *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Porro beatæ mentes, lumine gloriæ illustratæ, non tantum in Deo videbunt increata mysteria... sed etiam quascumque cognoscere juvabit creaturas clarissima luce spectabunt...

Inter Beatos datur inæqualitas, quæ ab uniuscujusque merito et gratiæ sanctificantis gradu pendebit... Practice, quanto magis quis passionum, laborum, humiliationum Christi fuerit particeps, tanto magis erit et gloriæ... *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum... — Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum...* Matth.18,5.

Ad inæqualitatem quoque pertinent speciales aureolæ Martyrum, Virginum et Doctorum... *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates...* Dan. 12.

Da mihi, Domine, thesaurizare thesauros in cœlo...

III P. BONA CORPORIS. — Beatitudo corporalis accipietur in resurrectione gloriosa, quando *reformabit Christus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ...* Phil. 3.

Corporis gloria in quatuor dotibus consistet, quas ipsa Christi humanitas post resurrectionem glorificata exhibuit, suntque impassibilitas ac immortalitas... subtilitas... agilitas... claritas seu pulchritudinis splendor... Corpus enim *resurget spiritale, in incorruptione, in virtute, in gloria...* 1 Cor. 15.

Homo beatus, his dotibus instructus, licet corporeus remaneat, angelicis spiritibus similis existet incorruptibilitate, penetrabilitate, celeritate, pulchritudine... *Erunt sicut angeli Dei in cœlo...* Matth. 22.

Dotes gloriosi corporis ab ipsa animæ gloria dimanabunt : gloriosam enim animam gloriosum corpus decet... *corpus*, ut Apostolus ait, *spiritale*, seu corpus conveniens animæ spirituali ac beatæ, ei in motu ac celeritate non obsistens, neque claritatem ejus occultans... S. Thom. contra Gent. I. 4. c. 86.

Sicut in Christi carne glorificata sunt vulnera, ita existimat S. Augustinus, vulnera martyrum gloriose mansura... Et cur non oculi, lingua, manus, quæ peculiaria fuerint instrumenta virtutum, propria gloria donarentur ?...

Etsi gloriosa corpora cibo potuque non amplius indigebunt, sensuum tamen gaudiis purissimis fruentur, visus... auditus... odoratus... gustus... *Quam dilecta tabernacula*
Psalm. 83. *tua, Domine virtutum !... Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum...*

Jam, quod rei caput est, quænam ad tantum bonum est via ?...

Da mihi, Domine, ita vivere, ita momentaneum et leve tribulationis meæ sustinere, ut mox habitare in domo Dei mei, aspectu cœlestis Patris ac Matris... fraternaque societate angelorum et sanctorum perfrui merear in æternum.

De cœlo. Æterna merces sacerdotis.

Pr. 1. Spectare Christum benevolo vultu me aspicientem et dicentem : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Matth. xxv, 21.

Pr. 2. Ut viva fide paratam mihi mercedem cognoscam, ejusque intuitu in omni patientia et doctrina et labore perseverem.

I. Quanta erit boni sacerdotis merces ? II. Qualis erit ? III. Quomodo promerenda ?

I P. QUANTA MERCES? — Quamquam jam in hac vita bono sacerdoti merces a Domino promissa est... præcipua tamen et perfecta remuneratio ei dabitur in cœlo... Hæc autem erit præ cæteris copiosa, proportionata tamen cujusque sanctitati ac virtutibus, proportionata laboribus.

Omnibus quidem servis suis Deus mercedem, divino remuneratore dignam, retribuet... regnum videlicet pro aquæ calice...adeo ut infimus locus in cœlo superet omnia gloriæ culmina hujus mundi...et melior sit dies una in atriis Domini super millia... — Nam sicut in inferno una hora gravior est in pœna quam super terram centum anni in gravissima pœnitentia ; ita in cœlo melior est una hora in beato gaudio, quam super terram centum anni in omnibus deliciis... Quapropter pro uno beatitudinis die, libenter im-

pendendi essent centum anni laborum et pœnitentiæ... quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8.

Quod si tanta dabit communibus discipulis Dominus, quid sacerdotibus suis ac ministris?... Quid pro spirituali eleemosyna erogata animabus suo sanguine redemptis?... *Si quis*, inquit, *mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Honorificabit eum Pater meus... Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum...* Joan. 12. Matth. 24.

Merces utique copiosa, proportionata, non scientiæ neque potestati externæ... sed sanctitati et virtutibus, præsertim humilitati et fervori charitatis... — proportionata quoque laboribus : *Unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem...* 1 Cor. 3.

Da mihi gratiæ auxilium, Domine, *ut laborem sicut bonus miles Christi Jesu... sciens quod labor meus non sit inanis in Domino...* II Tim. 4. 1 Cor. 15.

II P. QUALIS MERCES? — Ineffabilis sacerdotis merces consistet in eo, ut post breve tempus vitæ, admittatur in domum Dei, in societatem omnium sanctorum, et in participationem summi boni per visionem beatificam...

Admittar itaque in domum Dei gloriosam, si bene conversatus fuero in domo gratiæ ejus, quæ est Ecclesia... Quando autem veniam et apparebo ante faciem Dei? Adhuc modicum... *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem...* Modicum, et intrabimus, et videbimus... Psalm. 121.

Quid autem videbimus? Omnes angelos .. et sanctos, nobis ut fratres occurrentes... Et B. Virginem, Matrem...et Christum Dominum, qui nos sistet Patri suo, dicens : *Hic est fidelis servus et prudens, quem constitui super familiam meam...* Matth. 24.

Tunc dicet Pater : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui...* Simulque ineffabili amore omnes divinitatis suæ thesauros nobis aperiens, semetipsum clare intuendum dabit : *Videbimus eum sicuti est, et similes ei erimus,* gloriæ ejus et infinitæ beatitudinis participes. . Matth. 25. 1 Joan. 3.

O Domine Jesu, *da mihi sic currere ut comprehendam...* 1 Cor. 9.

III P. QUOMODO PROMERENDA? — Omni sane promerenda est pretio, omni sacrificio... quia de summo bono agitur. Pro inæstimabili margarita prudens negotiator cum gaudio vendit universa... Quodnam autem pretium Dominus postulat? Nonne illud requirit, ut participes simus calicis ejus?... id est, ut labores ac tribulationes cum ipso sustineamus.

1° Sustinendi labores ministerii animarum usque ad finem,
II Tim. 4. exemplo Apostoli : *Tempus resolutionis meæ instat : bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi ; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ...* Delectet igitur, inquit S. Gregorius, magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.

2° Sustinendæ tribulationes, per quas oportet nos intrare
Luc. 6. in regnum Dei... *Gaudete* itaque *in illa die et exultate ; ecce enim merces vestra multa est in cœlo.*

Quoties igitur in ministeriis meis quidpiam occurret naturæ contrarium, durum aut asperum... quoties urgebit tentatio aliqua, et contra spiritualia nequitiæ subeunda
II Cor. 6. erit colluctatio, recogitabo verba Apostoli : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operabitur...* Cœlum suspiciam, et illic te, Christe, regnantem, palmasque manu protendentem intuebor ; atque ita ad difficilia quæque propter te subeunda, meus obfirmabitur animus.

Concede mihi, Domine Jesu, ita pro te et pro Ecclesia tua indefessim laborare, *ut cum* mox *apparueris, o Princeps Pastorum, percipere merear* de manu tua *immarcesci bilem gloriæ coronam.*
I Pet. 5.

INDEX

De variis sacerdotum classibus 1
De puritate sacerdotali 3
De pietate sacerdotali 5
De humilitate 7
De obedientia 10
De prudentia 13
De temperantia 15
De amore Ecclesiæ 17
De persecutione toleranda. 19
De zelo. Notio, incentiva 22
De zeli dotibus. In subjecto, in objecto 24
De zeli dotibus. In exercitio 26
De zeli dotibus. In exercitio, continuatur 28
De castitate. Castitatis amor. 31
De castitate. Castitatis custodia 33
De spiritu paupertatis 35
De fortitudine. 38
De constantia et perseverantia 41
De patientia 43
De mansuetudine. 45
De reverentia 48
De amando decore domus Dei 50
De recreatione sanctificanda. 52
De pace servanda. 55
De tristitia 57
De gaudio. Gaudium duplex. 59
De gaudio sancto. Impedimenta, fontes 62
De conformitate cum voluntate Dei. Motiva 64
De conformitate cum divina voluntate. Notio, praxis 66
De præsentia Dei. 69
De unione cum Deo. 71
De officiis status sacerdotalis propriis. 74
De sacrosancto sacrificio Missæ. Excellentia 76
De sacrosancto Missæ sacrificio. Celebratio. 79
De sacris Missæ cæremoniis 81
De officio divino. Recitatio privata Breviarium 84
De officio divino. Celebratio publica 86
De sacramentis administrandis 88
De Baptismo et Confirmatione 91
De Extrema Unctione et Matrimonio. 94
De sacramento Pœnitentiæ. Zelus 96
De sacramento Pœnitentiæ. Præparatio 99
De sacramento Pœnitentiæ. Administratio 101

De sacramento Pœnitentiæ. Regulæ speciales. 104
De directione spirituali. 106
De sanctissimo Eucharistiæ sacramento 109
De SS. Sacramento. Prima Communio 111
De munere docendi. Prædicatio. Præparatio remota. 114
De prædicatione. Præparatio proxima. 116
De prædicatione. Prædicandi actus. 119
De catechismo et scholis 121
De prædicatione boni exempli 123
De ministerio pastorali. 126
De sanctificatione parochiæ 128
De cura infirmorum. 131
De cura infirmorum. Regulæ Ritualis. 133
De studio sacræ Scripturæ 136
De vigilantia pastorali. 138
De ministerio pædagogico. 141
De ministerio pædagogico. Exercitium 143
De bono sacri ministerii successu 145
De successu sacri ministerii. Impedimenta 147
De via unitiva. 150
De resurrectione Domini 152
De resurrectione Domini. Resurrectionis socii. 155
De resurrectionis manifestatione. Apparitio Virgini Matri. . . 157
De ressurrectione manifestata per angelos 159
De apparitione Christi Mariæ Magdalenæ. Hortulanus 162
De apparitione Christi Magdalenæ. Agnitio Domini 164
De apparitione aliis mulieribus 166
De apparitione sancto Petro 168
De discipulis euntibus in Emmaus. Comes incognitus 171
De discipulis in Emmaus. Manifestatio 173
De apparitione in cœnaculo, absente Thoma. Domini verba . . 175
De apparitione discipulis, absente Thoma. Domini actiones . . 177
De apparitione discipulis, absente Thoma. Remissio peccatorum. 180
De apparitione discipulis præsente Thoma 182
De vulneribus Domini in glorificato corpore conservatis . . . 185
De apparitione septem discipulis ad mare. Piscatio 187
De apparitione ad mare. Agnitio Domini 189
De apparitione in monte Galilææ. Missio apostolorum 191
De apparitione in monte. Baptismus 193
De apparitione in monte. Credentium miracula 195
De apparitione in monte. Ego vobiscum sum 197
De spiritualibus visitationibus animarum. 199
De ascensione Domini. Exitus e cœnaculo 202
De ascensione Domini. Benedictio. 204
De ascensione Domini. Nubes, futurus reditus. 206
De ingressu Christi in cœlum empyreum 208
De ingressu Christi in cœlum. Consessus ad dexteram Patris . 210
De donatione Spiritus sancti. Causæ 212
De dono Spiritus sancti. Excellentia 214

De Spiritus sancti adventu. Spiritus vehemens 216
De adventu Spiritus sancti. Domus repleta, ignis. 218
De adventu Spiritus sancti. Mirabiles effectus. 221
De amore spirituali. Excellentia, incitamenta 223
De amore spirituali. Opera Dei, perfectiones 225
De notione Dei 228
De existentia Dei. 230
De existentia Dei. Manifestatio 232
De æternitate Dei 234
De æternitate Dei, ut communicabili 236
De ineffabilitate Dei. 239
De unitate Dei. 241
De Deo trino 243
De infinitate Dei 245
De infinita Dei perfectione 248
De bonitate et sanctitate Dei. 250
De benignitate Dei 252
De amabilitate Dei 254
De pulchritudine Dei 256
De dulcedine Dei 259
De magnitudine Dei. 261
De Dei immensitate et ubiquitate 264
De præsentia Dei in sanctuariis 266
De providentia Dei 268
De sapientia Dei 271
De omnipotentia Dei. 273
De charitate Dei 275
De proprietatibus charitatis Dei. 278
De desiderio divinæ charitatis respectu nostri 280
De præeminentia misericordiæ in Deo 282
De devotione erga SS. Eucharistiam. Hujus sacramenti excellentia 285
Devotio erga Sanctissimum. Consolatio 287
Devotio erga Sanctissimum. Institutio 289
Devotio erga Sanctissimum. Institutionis finis. 291
Devotio erga Sanctissimum. Sacrificium. 293
Devotio erga Sanctissimum. Convivium 295
Devotio erga Sanctissimum. Effectus sacræ Communionis . . 297
Devotio erga Sanctissimum. Communionis fructus 300
Devotio erga Sanctissimum. Species 302
Devotio erga Sanctissimum. Sacramentale signum 304
Devotio erga Sanctissimum. Symbolum charitatis 307
Devotio erga Sanctissimum. Symbolum humilitatis 309
Devotio erga Sanctissimum. Transsubstantiatio 311
Devotio ergo Sanctissimum. Symbolum Ecclesiæ. 313
Devotio erga Sanctissimum. Exempla. 316
Devotio erga Sanctissimum. Cultus 318
Devotio erga Sanctissimum. Christi persona. 320
Devotio erga Sanctissimum. Visitatio. 323

De sanctissimo Corde Jesu. Cultus excellentia 325
De SS. Corde Jesu. Devotionis motiva 327
De SS. Corde Jesu. Amabilitas 330
De SS. Corde Jesu. Thesauri 331
De SS. Corde Jesu. Sanctificatio animarum 334
De SS. Corde Jesu. Sanctificatio sacerdotis. 336
De SS. Corde Jesu. Cultus 339
De SS. Corde Jesu. Contemplatio 341
De SS. Corde Jesu. Praxis, obstacula cultus 343
De SS. Corde Jesu. Ejus desideria. 345
De devotione erga B. Virginem. 347
De speciali devotione erga Beatam Virginem Mariam 350
De B. M. Virgine. Conjunctio Mariæ cum Jesu. 352
De B. M. Virgine. Electio et privilegia 355
De B. M. Virgine. Immaculata conceptio. 357
De B. M. Virgine. Nativitas et nomen 359
De B. M. Virgine. Præsentatio 361
De B. M. Virgine. Vita in templo. Desponsatio. 364
De B. Maria Virgine. Gaudia et dolores 366
De B. Maria Virgine. Convictus cum Jesu 368
De B. Maria Virgine. Post ascensionem 371
De B. Maria Virgine. Consilia evangelica 373
De B. Maria Virgine. Virtutes ejus 375
De B. Virgine. Quædam opera sancta. 377
De B. Maria Virgine. Transitus ex hac vita. 379
De B. Maria Virgine. Mors et funus 381
De B. Maria Virgine. Assumptio quoad animam 384
De B. Maria Virgine. Assumptio corporalis 386
De B. M. Virgine. Sacratissimum Rosarium 389
Dn B. Maria Virgine. Magnificat 391
De compassione B. M. Virginis 393
De tribus ascetarum classibus 395
De tribus sanctitatis gradibus 399
In festo sanctorum Angelorum. 401
De sancto Joseph. Devotio specialis 403
De S. Joseph. Devotionis praxis 406
In festo sancti Petri 408
In festo Omnium Sanctorum 410
In Commemoratione fidelium Defunctorum. Pietas erga defunctos. 414
In Commemoratione fidelium Defunctorum. De purgatorio . . 416
In Dedicatione ecclesiæ. Templum christianum 418
In Dedicatione ecclesiæ. Sanctitudo domus Dei 421
In festo Dedicationis ecclesiæ. Zachæus 423
De cœlo. Pulchritudo loci. 425
De cœlo. Beatitudo cœlitum 427
De cœlo. Æterna 430

Bruxellis. — Typis Alfredi Vromant.

10915

BOSTON COLLEGE
3 9031 01324364 7

DOES N... ...CULATE

DOES NOT CIRCULATE

BOSTON COLLEGE LIBRARY
UNIVERSITY HEIGHTS
CHESTNUT HILL, MASS.

Books may be kept for two weeks and may be renewed for the same period, unless reserved.

Two cents a day is charged for each book kept overtime.

If you cannot find what you want, ask the Librarian who will be glad to help you.

The borrower is responsible for books drawn on his card and for all fines accruing on the same.